V. Brunet. Tom: III.
479.
This copy contains
the auctarium (97 pp)
printed in 1699, which
is generally missing.

MUSEUM
REGIUM

MUSEUM REGIUM

SEU

CATALOGUS

Rerum tam naturalium, quàm artificialium,

QUÆ

IN BASILICA BIBLIOTHECÆ

AUGUSTISSIMI DANIÆ NORVEGIÆq;

MONARCHÆ

CHRISTIANI QVINTI

Hafniæ asservantur,

Descriptus

Ab

OLIGERO JACOBÆO,

Med. & Phil. Prof. Regio.

CUM PRIVILEGIO.

HAFNIÆ,

Literis Reg. Celſ. Typogr. JOACHIM SCHMETGEN,

ANNO M. DC. XCVI.

SUMMA PRIVILEGII.

Leopoldus Divinâ favente Clementiâ Electus Romanorum Imperator, Semper Augustus, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ &c. Rex, Privilegio singulari sanxit, ne qvis intra sacri Romani Imperii regnorumqve ac ditionum hæreditariarum fines Muséum hoc Regium intra qvindecim annos à die perfectæ primæ editionis, sive in toto sive in parte mutatisve titulis, qvocunqve modo & formâ id fiat, recudere aut aliò recudendum dare, adducere, vendere vel distrahere apertè vel occultè præsumat, citra voluntatem OLIGERI JACOBÆI ejusve hæredum vel Substituti. Qvi secus fecerit, librorum confiscatione & pœnis, qvæ latiùs in diplomate continentur, mulctabitur.

Wiennæ die 13. Maj 1695.

Augustissimo Monarchæ
CHRISTIANO QVINTO,
REGI HÆREDITARIO
DANIÆ, NORVEGIÆ, VANDALORUM
GOTHORUMQVE,

DUCI
SLESVICI, HOLSATIÆ, STORMARIÆ
ET DITHMARSIÆ,

COMITI
IN OLDENBORG ET DELMENHORST;
STUPENDA NATURÆ ARTISQVE OPERA
MUSÉO REGIO INCLUSA,
QVÆ
MISSA PER IMMENSA TERRARUM, PER PROFUNDA PELAGI, INDAGINE
VEL IN BORÉO ORBE
TELLUS PATRIA SUPPEDITAVIT,
VEL AB OCEANO UTROQVE, AB ORTU SOLIS
AB OCCASU HESPERIO
COLLECTA
VELUT TRIBUTARIUS MISIT ORBIS PEREGRINUS,
QVI
MUMIAS PYRAMIDUM ÆGYPTI,
CROCODILOS ET HIPPOPOTAMOS NILI,
OSTREA MARIS PERSICI,
GEMMAS ET IDOLA INDIÆ,
PORCELLANAM CHINÆ, PICTURAS JAPONIÆ,

MARMORA ET ANTIQVITATES ITALIÆ,
INNUMERA BELGII. GALLIÆ, GERMANIÆ, HUNGARIÆ
E DISJUNCTIS LATÈ SEDIBUS
IN UNO JAM DANIÆ GAZOPHYLACIO
CONJUNCTA MIRATUR,
PIO OBSEQVIO, SUBMISSO CALAMO
DESCRIPTA
HUMILLIMÈ OFFERT
ET
JUNCTIS CUM ORBE BOREALI VOTIS
PATRIÆ PATRI
PIO, FELICI, INVICTO
PERPETUUM IN OSTRO ET DIADEMATE
SPLENDOREM,
FIRMUM IN DOMO REGNATRICE ROBUR,
VITAM IN TERRIS COELO COÆVAM
INTIMÈ EXOPTAT

SACRÆ REG: MAJESTATIS

Devotissimus Subditus

OLIG. JACOBÆUS.

LECTORI S.

Heatro Orbis publico Muséum Regium *se sistit, breviter descriptum, & sidere felici, jubente sic sacrâ Regiâ Majestate, prælis impressum. Vastum penè Orbem, & qvicqvid vel produxit natura fœcundior, vel excogitavit ars subtilior, ambitu suo claudit, res plurimas ostentans, qvæ à vulgi observatione remotæ omnium in se oculos convertunt. Qvemadmodum enim vim auri ingentem mercesq; alias insignes Salomoni sapientissimo Regnum Ophir olim suppeditavit, ita modô non dispari Regi nostro clementissimo, redivivo in septentrione Salomoni, res varias pretiosas ab utroq; solis termino Orbis universus subministravit, & in Augustum hoc sapientiæ domicilium ac velut Capitolium æternitatis certatim contulit. Est qvippe in confesso, Reges ac Principes aliosq;, qvi spiritu heroico calent, naturæ artisq; studia, qvæ basilicas ipsas ac palatia intrant, sæpius excoluisse, ipsumq; Salomonem, præter opes immensas, eam á DEo adeptum fuisse sapientiam, ut recondita qvoq; naturæ perspexerit, & de cedro Libani ad hyssopum usq; è pariete egredientem disseruerit. Augustum, qvod rariora hæc servat, Palatium structuræ inprimis magnificentiâ superbit, & immensos illos rerum thesauros per conclavia octo in classes seriemq; ordinatam distinctos exhibet. Conclave primum varia ex homine desumpta, item qvadrupedes, aves, pisces, conchylia, plantarum arborumq; partes, lapides, terras, metalla & mineralia monstrat. Secundum res varias artificiales ex auro, argento, ære, ferro, ligno, ebore, unicornu, succino elaboratas, & qvicqvid laboribus manuariis egregium est, omnibusq; vel Phidiæ & Praxitelis, vel Lysippi & Polycleti artificiis majus. Tertium varia armorum & vestimentorum genera, vasa, utensilia & res alias innumeras ex Indiâ utrâq;, Chinâ, Japoniâ, Turciâ, Tartaria, & totô ferè divisis Orbe Grönlandiâ & Islandia, Insulisq; Feröensibus allatas. Qvartum Optica & Mechanica, ab ingeniis sagacissimis effecta, & Antiqvitatum variarum spolia qvæsitissima, à temporis edacis jam tuta injuriis. Qvintum præter picturas varias Principum & Magnatum, ac res pretiosas innumeras, Reges, Reginasq; ac Heroes varios illustres artificiô plasticô ita efformatos exhibet, ut vivis ac spirantibus simillimi videantur. Sextum & septimum picturas rerum variarum elegantissimas monstrant, qvarum hîc ubertas tanta, ut parietes totos velut peristromata artis exqvisitæ, & peripetasmata exornent, artificium tantum, ut penicillum ipsum vel Zeuxis & Apellis, vel Parrhasii & celebriorum omnium provocent. Octavum numorum tam veterum qvàm recentiorum, qvos nitor, raritas & artificum nobilitat industria, copiam immensam exhibet. Et licet in conclavi hôc collecta ex omni ferè terrarum parte numismata asserventur, suas hîc monetas ostentet Gallia, suas Hispania & Portugallia, suas Italia, Anglia, Belgium, Svecia, Germania, Hungaria, Polonia, suas Turcia, India, China, Japonia, ex immensa tamen illa farragine, & spoliis conqvisitissimis, jussu sacræ Regiæ Majestatis, sola hîc numismata Danica, Romana ac Græca inseruimus. Inter illa verò soli numi aurei familiæ Olden-*

Oldenburgicæ figuris á Calcographo repræsentantur, cùm easdem ferè, qvas argentei, signaturas exhibeant, secundum ætates suas annorumq; seriem dispositi. In rebus mensurandis pedem Danicum, qvi à Leydensi seu Rhinlandico vix differt, in ponderandis verò, libras 16 Unciarum passim adhibuimus. Et proliziorem qvidem adhuc calamum, fontemq; eloqventiæ uberiorem Basilica hæc ab aliis efflagitare posset, si singula, qvæ ambitu suo comprehendit, attentiùs consideremus. Sub structurâ qvippe Muséi hujus Augustissimi Bibliotheca Regia *visitur, nulli inter Europæas secunda, qvæ Voluminum delectorum copiâ insigni oculos animosq; intuentium pascit, ac forulis pluteisq; serie eleganti dispositis innumera exhibet, qvæ lucernas eruditorum olent. In parte infimâ structuræ Mars habitat, & tela varia, pyrobolos, catapultas ac instrumenta alia militiæ terrestri destinata monstrat, adeò ut consortio felici Bellonæ hîc ac Sapientiæ armamentaria jungantur, Martemq; cataphractum Pallas haud reformidans literis attollat, qvicqvid alter designat armis. Vale interim, Lector benevole, & ex rebus his creatis Creatorem Omnipotentem ac opera digitorum ejus, in coacervandis verô Naturæ artiumq; thesauris Augusti nostri sagacitatem veneratione debitâ perpende.*

Augustum heic qvodcunq; vides. Qvid PRINCIPE majus,
Cujus adoratô Numine crevit opus?
Naturæ spectas qvanta hîc *certamina* & *artis*,
Eminet hæc, vinci se tamen illa negat.
Addideris tandem facundi *Interpretis* ora,
Nil desiderio deerit inde tuo.
Atqve ubi discedis, miratus singula, dices:
Muséo pulchrô pulchrior iste *liber.*

P. VINDINGIUS.

ARS

ARS NATURAM ALLOQVITUR.

Adeſto Rerum Naturâ
Hîc tua panduntur penetralia
Hîc æmulæ Artis ſagacitas tibi diſputat
Victoriam.
Qvicqvid habes & non habes
Perfecta vel imperfecta
Oculis oberrantium detecta prodis.
En genus qvadrupedum!
Superbit mortuus eqvus,
Maximi olim Regis lator,
Qvaſi qvo calce terram premat dubitans,
Hîc leo rugire deſinit
Doctus mansvetudinem.
Utqve raris accenſeri poſſet,
Lateri cornu excusſit ovis,
Ne fronti qvidem debitum.
Cervi & alces depoſuerunt carnes
Ut eò, ſi viverent, eſſent Celeriores,
Sed mortui ſecuriores,
Non à canibus, ſed caneſcentis ævi
Injuriis.
Hîc tuum æthra debilis admirare
Pennata ubi degit cohors,
Te qvidem obſtetricante nata
Artis auxilio renata,
Dum tu ſaltem vitam, hæc ævum conceſſit.
Intuere, qvas olim Nilum bibere vidiſti
Aviculas,

Qvibus potæ Caſpii & Herculei maris aqvæ
Cognita ultimi Septentrionis Promontoria,
Easdem hîc cernis plumas
Ungviculos Eosdem,
Ut non tam vitam, qvàm vocem
Ademptam conqverantur.
Sub undis frabricata
Ad ipſas etiam Conchyliorum minutias
Jam tecum poſſidet
Dania,
In maris, qvod exercet, Imperii
Æternum teſtimonium.
Faucium rictus, Pinnarum remigia
Corporum flexuras, Variegata tegumenta
Acutas & ſerratas proboscides, ſqvammeas loricas,
Mille luſus & varietates
Vectigal Hafniæ miſit Oceanus.
Adſpice numeroſam reptilium copiam!
Amphibium hîc eſſe deſinit,
Solo contentus pulvere
Famoſus Nili accola & incola
Vivum diceres, niſi creſcere deſiisſet,
Mordacem putares, niſi Trochilum adhuc metuens
Maxillam deprimeret.
Adeſt natus cum domicilio Tatus
Proprii habitaculi portitor teſtudo,
Salamandra, Chamœleon,
Qvorum prior rarò in igne vixit,
Poſterior in äere mortuus.
Qvi neminem voravit Draco
Nullos viſu occidit Baſiliſcus
Taceo Ceraſtes, Ammodytes, Hæmorrhoos

Fatalem

Fatalem Ægyptiacæ Principi Aſpidem
Scytalen, Amphisbœnam, Cœciliam, Acontiam
Latentem in angve vulgari Æsculapium
Et parvum genus vermium
Brevi ales futurum,
Si in oculatos Papiliones ſtellatas libellas,
Veſpas inutiles & fucos ignavos deſinit.
Inqvilinas ſibi merces porrigit
Amata Tellus,
Magnum Cereris & Triptolemi Regnum
Gangi, Arari, Tibri, Tago, Rheno, Albi
Remotis oceani filiis proprias
Qvas
Cura laudabilis, labor improbus, prudens ſolertia
Acqviſivit, in pulpita congesſit, ordine diſpoſuit
Semina Plantas
Flores Fructus
Cortices truncos
Arcton noſtram cornucopiæ probatura.
En abdita terræ visceribus ſagax excusſit
Induſtria.
Feraces auri argentiqve mineras,
Malorum irritamenta futuras,
Humanos qvaſi lapides ſaxeas lingvas
Petroſa ligna ſemicoctas arenulas,
In ipſis incunabilis
Secura ne deliteſceres
Majeſtati Regiæ Homagium dictura.
Tandem & Homines hîc conſpicis,
Sed intuendo erubeſcere,
Cur pellis & muſculi innocentibus detracti osſibus,
Cur intra feralem Mumiam Gelatina facta

 Cur

Cur nervis destituta tenui saltem filo pendent
Vacillantia in acetabulis stamina,
Nisi qvòd
Tua temeritas obstiterit innocentiæ
Et præmium desideratæ Sapientiæ fuerit
Rerum omnium dira Corruptio.
Et tantum tuum, nec tuum tamen omne,
Misera Natura!
Spolia sunt,
Qvæ mors & temporum tibi detraxissent injuriæ,
Nisi vindices manus adhibuissent
Artifices
Hîc Æmula tuæ adsum
Artificum Mater.
Meum est, non tuum,
Qvod integra urna relictos ex busto sepiat cineres,
Qvod antiqvam Sepulchreti Venerationem
Superstites testentur Lampades.
Humata cum Dominis arma,
Sepultos cum Patronis Lares Domesticos
In præsens ævum revocavi.
Meo Auxilio
Qvâ caput Tiarâ circumdedit
Magnus olim Septentrionis Præsul,
Qvem manu lituum gessit, Qvo linteo vestitus,
Ex ordine hic Viator Conspicit,
Qvâ vestem Romanus fibulâ strinxit,
Qvâ Pallium collegit,
Cujus ope demisit ad talos Togam.
Verbo, qvicqvid Antiqvum ætas reddidit
Plurimarum Gentium,
Ad fatidica etiam Lapponiæ tympana,

Hic

Hic inter Cimelia reposui.
Non loqvor Crateres & fixam in Poculis
Volubilem monetam,
Non cava & torta Cornua
Olim temeti puri & Massici liqvoris Condos,
Hodie Antiqvi Erroris Indices.
Orbem Universum peragrando,
Indis arma dedi, Barbaris arcus & Pharetras,
Docui Principes Afros.
Latere in Plumis Regalem Purpuram,
Ex terrâ fabricari Utensilium pretiosa,
Qvalis Hostibus metuendus Acinaces,
Qvinam ictibus avertendis securior umbo.
Me Duce Trilune Vexillum
Adustus excogitavit Sarmata,
Qvod orbi licet Christiano Infestum.
Hic inter raptos enses & signa Victoriæ
Placidè suspenditur.
Ego inter medias Glacies
Grönlandiæ Colonos aptos Commerciis reddidi
Breviqve Metamorphosi
Ex piscibus Navigia fieri,
Et Undis innatare probavi.
Auro, Argento, Ebori, Succino, Æri, Ferro, Figuras
Concessi,
Ut fugerent ruentis ævi injurias
Daniæ Monarchæ æternum Serviture.
Mea Mathesis est,
Qvæ minutissima temporis momenta
Properantis fati viam monstrando
In Horologiis distingvit.
Siderum Uniones & Recessus

Qvod oculis pateant meum eſt,
Per longos tubulos propinqvum cernere ſolem,
Per breves longam objectorum diſtantiam,
Me fabro, didicit Optica.
Qvid qvod in novâ machinâ
Aerem, ſine qvo Natura nihil,
Præſentem furari didicerim,
Ablatum pro lubitu reddere,
Me Auſpice, effosſæ Telluris opes
Prælum ſentiunt,
In vili ære Apparent,
Magnus Dictator, Auguſtus Triumphator,
Et ſuperbæ Romulidum Nurus
Captæ Urbes, victa mari terraq; prælia,
Munita Campeſtria, locati in maris medio portus,
Plura Principum Danorum & rara facinora,
Cedro Auroq; digna,
In Nobili metallo æternitatem posſident.
Ergo tibi ubiq; par ſi te non major
Natura Rerum,
Auguſtisſimi Septentrionis Monarchæ

Chriſtiani Qvinti

Glorioſâ humilitate pedes exoſculor,
Ille larga manu & liberali clementiâ
Me cum ſororibus ſuſtinet.
Ejus ope contingit, qvod nulla Arcton incolat barbaries,
Floreant literæ, regnet induſtria
Mihiq; licitum novâ qvotidie accesſione
Orbem locupletare.
Sacros mihi vultus conceſſit

Pro-

Propitius Patriæ Pater
Ut ſimiles in cerâ fingerem
Sed magnis auſis ex parte decidi,
Cùm nec oris nec artis ſit exprimere

Chriſtianum

Ubiqve Magnum ubiqve menſuras ingeniorũ Superantem
Circumſtant Maximi Regis Simulachrum
Diva & Regnatrix Ameliæ
Pater Regis & Avus, Frater, Sorores
Cum exſtinctâ Thereſiâ
Magnus Ludovicus.
Præſenti Auguſto gratulatur
Principum variorum ſelecta cohors
In pictis vultibus illuſtris Brennorum Propago
Uno qvaſi ore dicerent:
Vivat ſeros venientium temporum annos
Maximus Boreæ Monarcha
Orbis amor, ſubditorum delicium
Verum vidimus in Bello Martem
Pium veneramur Pacis tempore Apollinem
In Sago & Togâ ubiqve Regem
Sint nobis Cum ſacro hoc Divorum filio amica omnia
A qvo & apud qvem diu deſideratus exſpectatur
Turbati Orbis Pacificator.
Deniqve
Cum hoc Caput imperii Hæc terræ Gloria
Futurorum Seculorum Miraculum
Tibi aliqvid Natura debet
Cauta eſto, provida, ſapiens.
Ut diutisſimè ſoſpiti opituleris
Nec tuâ Culpâ committas,

Qvod

Qvod Universo Flebile Daniæ funestum,
Satage hujus negotii alma Natura
Et tum demum amice conveniamus
Zephyros interim Eurosqve colligens flores
Fama pervolat
Sertum componit
Qvod pro navatâ in adytis tuis excutiendis
Operâ, Curâ, Industriâ
OLIGERO JACOBÆO
Amico, Affini, Collegæ
Publico nomine imponet

O. W. WORM. Eloqv. P. Regius.

PARS PRIMA
DE
REBUS NATURALIBUS.



SECTIO I. DE

Homine & Qvadrupedibus.

MUMIA ÆGYPTIACA (*Tab. I. Fig. I.*) pedum qvinq; longitudine, carbaſô ſubtili & telâ variâ undiq; involuta. In faſciis circumjectis figuræ qvædam peculiares conſpiciuntur & characteres Hieroglyphici. Limbi circulares, pectus inprimis veſtientes, ex colorum diverſorum orbiculis & figuris aliis aſſuti ſunt, auroq; hinc inde illiti.

CAPSA ſeu repoſitorium, (*Tab. I. Fig. II.*) cui incluſa eſt Mumia goſſypio hinc inde tecta, ex ligno concavo oblongo, craſſo admodum & coloris ſubflavi, ac in partes binas diviſo, ad ſimilitudinem Mumiæ accedit, & parte ſuperiore capitis humani figuram exprimit; inferiore verò, & qvidem anticâ, notas & characteres peculiares, vetuſtate ferè exeſos. Mumiæ tales ab Ægyptiis olim inprimis confectæ, & funera medicata *Plinio* appellatæ, voce Perſicâ, pro cadaveribus exſiccatis ſumuntur & certâ ratione conditis, qvæ ſub ſtructuris Pyramidum vel in cryptis aliis ſubterraneis apud Ægyptios olim condebantur. De mumiis, præter alios, eruditè *Athanaſius Kirckerus* & in Itinerario ſuo *Thevenotius*.

MUMIA ÆGYPTIACA minor, pedum trium longitudine, pannis variis involuta & faſciis circumligata.

MUMIA DANICA. Licet enim inter deperdita Mumiæ veræ à *Pancirollo* habeantur, à recentioribus tamen, ſucceſſu haud diſpari, ars condiendi cadavera exculta eſt, qvâ inclaruêre inprimis hoc ſeculo *Bilſius, Boyléus, Blankardus*, alii.

FOETUS Lapidefactus. (*Tab. XI. Fig. II.*) Mirandum hunc fœtum ſpatio viginti octo annorum mulier Agendici Senonum in Gallia geſtavit, qvæ *Columba Charria* dicta, ſartoris uxor. Diſſectô uterô, portentoſâ demum mole gypſeâ eductus eſt fœtus Anno 1582, membris bene conformatis, niſi qvòd ultra modum induruerant. Spectatum diu Agendici, tranſiit demum corpuſculum ad mercatorem Pariſienſem primarium, hinc ab aurifabro & gemmario *Giliberto Vautron* Venetias delatum, ac tandem ex Italia anno 1653. ad Auguſtiſſimum Daniæ Regem FRIDERICUM III, qvi inter rariora Muſei

hujus reposuit, judicio sagaciorum subjiciendum. De fœtu hoc fusè admodùm *Bartholinus* Histor. Anat. Cent. II. & in opere Gall. *Paræus*, l. 25. de monstris.

EMBRYO, pollicis unius longitudine, vitro oblongo & pellucido inclusus.

EMBRYO, septem pollicum longitudine, exsiccatus.

VASA HEPATIS lege artis Anatomicæ præparata eleganter & exsiccata.

SCELETON HUMANUM.

MANUS VILLOSA HOMINIS SILVESTRIS INDICI, *Ourang Outang*, dicti. Talis ex Angola *Friderico Henrico* Arausionensium Principi oblatus est, & à *Tulpio*, lib. 3, observ. 56, descriptus.

CAPILLI cum CUTE iratâ manu avulsi. Ortâ Helsingoræ inter duos contentione & à verbis ad verbera re delatâ, in caput & capillos alterius alter involavit, manuq; tam firmiter apprehendit capillitium, ut subjecta cutis cum pilis ex cranio divelleretur. Pars illa cutis pilosæ avulsa à coriario demum præparata est & in rei fidem hìc asservata.

PLICA POLONICA, 6 pedum & 3 pollicum longitudine. Vitium hoc capillorum, dum in cirrhos ita contorqventur, ut extricari neqveant, Polonis familiare fertur, in qvo extirpando brancæ Ursinæ decoctum *Hercules Saxonia*, *Sennertus* & Medici alii extollunt, muscum verò terrestrem clavatum *Ephemerides Germanorum*.

UNGVES MONSTROSI DIGITORUM, qvos gestavit diu juvenis qvidam Hafniensis stipem ostiatim colligens. Maximus illorum unciarum qvatuor cum dimidia longitudinem æqvat. Digiti omnes, duobus exceptis, ungulis his monstrosis armati erant, qvæ recisæ manu Chirurgicâ iterum crescebant.

CALCEI & SANDALIA ex cute humana. Parata qvoq; ex corio humano Cingula hìc conspiciuntur, qvæ fœminis suffocatione uterinâ laborantibus vulgò circumligari solent.

OVUM qvod peperit mulier. Exemplum partûs hujus mirandi Norvegia suppeditavit Anno 1638. *Anna* qvædam *Amundi* filia, Uxor *Gudbrandi Erlandsonii*, qvæ sæpiùs antè genuinos fœtus feliciter enixa fuerat, gravida iterum, majoribus verò in puerperio qvàm anteà doloribus, bina ova peperit gallinaceis simillima. Fractum ex illis unum, alterum ad celebrem *Ol. Wormium* transmissum, demum Muséo huic Regis nostri Augustissimi illatum. De testibus rei & circumstantiis aliis prolixè in Hist. Anat. Cent. *I. Th. Bartholinus*. Et licet magicum hoc ovum ac miraculi res plena à *Wormio* aliisq; deprædicetur, miraculi tamen vim qvodammodo imminuere videntur detecta hôc seculô in ovariis mulierum ova seu vesiculæ humore limpidô refertæ, qvæ à membranis ovarii post impregnationem liberatæ per Tubas Fallopianas in uterum delabuntur. Et cum ludat variè in ovorum cortice Natura, adeò ut ova illa, qvæ, consvetâ naturæ lege, cortice investiuntur, è gallinis avibusq; aliis sine omni cortice & velut solæ vesiculæ interdum exeant, ita qvoq; modô contrariô, ovum hoc muliebre, qvod ex ovario protrusum, limpidæ vesiculæ formâ, uteroq; exceptum, adauctis sensim membranis & humoribus contentis ad productionem fœtus ac incrementum dilatari debuisset, cortice duro obductum est, adeoq; formâ insolitâ exclusum. Forsan qvoq; ad hyda-

tidem

tidem crustâ investitam referri posset. Exempla demum non dissimilia sagaciores alii passim commemorant. Ita oviforme qvid ex utero muliebri excretum fuisse *Antonius de Heyde* Centur. Observ. Med. 44 refert. In agro Vicentino, Anno 1621, fœminam obortis doloribus parturiendi consvetis, ovum perfectum peperisse *Joh. Rhodius*, Cent. 3. Obs. Med. 27. annotavit. Ipse deniq; rerum naturalium scrutator sagacissimus, *Th. Bartholinus*, de muliere Hafniensi refert (libro de insolitis partûs hum. viis c. 16.) qvòd post impraegnationem 12 hebdomadarum dolores parturientium senserit, & anxiè se demum in lecto versans, ovum pepererit.

CALCULUS vesicæ humanæ, qvi uncias duodecim cum dimidia pendet. Hic ex Sacerdote Anglicano qvondam exsectus fuit. Alius, ex cive Holsato demtus, pondere est unciarum duodecim. Ex fœmina deniq; exsectus uncias qvatuor cum dimidia pendet. Asservatur præterea hic calculus ex vesicâ Illustris *Hugonis Lutzow* extractus, qvi coloris subflaui est ac uncias duas cum dimidiâ pondere suo superat.

EQVI BRASILIENSIS CAPUT, eleganti naturæ artificiò discolor, *(Tab. II. Fig. I.)* pedis unius & dimidii longitudine: Pili animalis hujus serie alterna modò albi, modò flavescentes sunt. A lateribus capitis utrinq; latiores sunt series pilorum flavescentium, à parte capitis anteriore, & nasi inprimis, tenuiores sunt, arctiusq; invicem coeunt. In Indiâ tam eqvos qvàm asinos versicolores gigni itineraria testantur.

AURIS ELEPHANTI pedum trium & dimidii longitudine, duorum verò & dimidii latitudine. Elephantem ipsum è fluvio bibentem in Promontorio Bonæ Spei trucidavit Centurio *Magnus Jacobi*, anno 1675 d. 12 Decembr. globo plumbeo ponè aurem è bombardâ immisso, cùm ex tractu Indiæ Orientalis, Coromandel dicto, ubi urbs Danorum Tranquebar cum castello Dansburgo sita est, huc tenderet. Pendebat auris memorata, adhuc recens libras 44. Tempore eodem percussit Cervum, qvi exutus corio & exenteratus, pondere 256 librarum extitit.

DENTES seu CORNUA duo ELEPHANTI, qvorum singuli pendent 150 libras. Cornua appellari malunt antiqvorum plurimi, & inter recentiores qvoqve *Ludolfus* Hist. Æthiopic. lib. I. c. 10. Cornua esse, inqvit, & non dentes, qvod ebur vocamus, apud Æthiopes non ambigitur. Ideo hæc Elephantorum arma lingvâ Æthiopum *Akronot* sive cornua, vel *Karna nage* seu cornu Elephanti ex Lexico suo Æthiopico demonstrat. Sententiam eandem anatome Elephanti à sagacioribus instituta uberiùs confirmat. Solertissimus *Polybius* lib. 8. c. 10. in Africa extremâ tanta Elephantorum cornua memorat, ut trabium ac tignorum loco ad postes, sepes & stabula exstruenda adhibeantur.

DENTES duo ELEPHANTI ex Angola allati, prædictis candidiores multò ac magìs splendentes. Pendent singuli libras 88.

Qvinq; DENTES MOLARES ELEPHANTI. Pendent singuli libras 6 cum dimidia.

CAUDÆ duæ ELEPHANTORUM, singulæ longitudine pedum duorum cum dimidio. Pilos habent densos admodùm, &, juncorum minorum crassitie, splendidos ac atros. Ornare iis cervicem incolæ regni Angolæ ac locorum circumjacentium memorantur, inprimis viri ac fœminæ nobiliores, tam bestiæ, ex qva avulsi sunt, robur, qvàm validitatem pilorum ac pulcritudinem æstimantes.

UNGU-

UNGULÆ seu PEDES duo ELEPHANTI, qvorum singuli longitudinem pollicum octodecim, latitudinem verò 9 pollicum habent.

EXUVIÆ EQVI FARCTÆ.

SCELETON EQVI.

CORNUA EQVINA (*Tab. II. Fig. II. & III.*) Eqvum hunc cornigerum habuit Rex Daniæ potentiss. gloriosæ Memoriæ FRIDERICUS III. cui ex utraq; auriculâ, parte exteriore, enatum fuit cornu incurvum, acutum, pennæ olorinæ crassitie, longitudine pollicum duorum cum dimidio. Cornua hæc pendula & mobilia fuêre & temporibus statis decidua, succrescentibus demum aliis, & longitudinem priorum attingentibus. De his eruditè in Muséo *Ol. Wormius* & *Th. Barthol.* Hist. Anat. Cent. 2. Memorant qvoq;, inter Antiqvos, *Plinius* & *Ælianus* eqvos Æthiopiæ cornubus armatos esse, ac Indicos eqvos unicornes vel tricornes.

CORNUA duo STREPSICEROTIS. Singula longitudinem habent pedum duorum cum dimidio, coloris nigerrimi, qvæ ambitu rugarum & velut annulorum à basi ad partem mediam cinguntur, hinc verò lævia ac polita in apicem usq; sensim gracilescunt, in fastigium leve acuminata. Animal, qvod cornua hæc gerit, inter capras silvestres *Plinius* recenset lib. 8. c. 51.

CORNU RHINOCEROTIS DUPLEX (*Tab. III. Fig. IV.*) cujus ramus alter acutior pedum duorum, obtusior alter pedis unius longitudinem habet. Animal, qvod cornu hoc gestavit, in vivario magni Indiæ Mogolis trucidatum est.

CORNUA varia RHINOCEROTUM longitudinis diversæ. Ex cornubus his spiritus arte Chemicâ potentissimus elicitur, de qvo uberiùs Acta Med. & Phil. Hafniensia anno 1674. pag. 166.

CORIUM RHINOCEROTIS. Coloris est cineritii, crassum admodùm & rugis variis sulcatum, qvod ictui acinacis validissimo facilè resistere Scriptores memorant. Animal ipsum, qvod Bengala, Cambaja, Malacca, Sumatra, Siam & regiones aliæ copiosè gignunt, ab *Aldrovando*, *Jonstono*, *Wormio*, aliisq; fusè descriptum est.

DENTES varii HIPPOPOTAMI longitudinis diversæ. Maximus illorum pollicum novem longitudinem vix æqvat. Animal ipsum, qvod dentibus memoratis instruitur, Nili Ægyptiaci incola est & vastæ admodùm molis, qvemadmodum farctæ illius exuviæ inter rariora Leydensia prope hortum Academicum luculenter evincunt. Phlebotomiæ usum ab animali hoc hausisse olim Medici memorantur, qvòd obesum jam satietate nimiá ac sangvine copioso distentum, littus qværat ac cuspidi arundinum inprimat corpus, venamq; in crure vulneret, ut sangvine effusô corpus exoneret.

CORNUA CAPRÆ BEDZOAR, qvæ longitudine suâ pedem dimidium vix excedunt, coloris ex fusco nigricantis, nodis qvibusdam interstincta & versus extremitatem acuta. Animal ipsum his cornibus instructum Capræ silvestris species esse memoratur & *Pazan* a Persis appellari.

EXUVIÆ CERVI VERSICOLORIS farctæ.

CORNU CERVINUM triplici ramorum trunco instructum.

COR-

CORNUA CERVI, qvi anno 1611. d. 8. Decembris in urbe Calmaria captus est.

CORNUA duo CERVINA (*Tab. III. Fig. I.*) sibi invicem implicita & circumvoluta.

CORNUA duo ingentia CERVINA Philosophicè calcinata.

CORNUA duo CERVINA (*Tab. III. Fig. V.*) ita sibi invicem circumtorta & implicita, ut extricari aut divelli neqveant.

CORNU ingens CERVINUM (*Tab. IV. Fig. III.*) cujus extremitati frustum ingens ligni adhæret.

CORNUA duo CERVINA (*Tab. IV. Fig. II.*) è frusto ligni exerta.

CORNUA varia CERVINA miris Naturæ artificiis intorta, qvemadmodum & pedes varii CERVINI, figurarum diversitate, monstrosi.

SCELETON CERVI.

CORNUA varia CAPREARUM Naturæ ludentis artificiò variè intorta.

CORNUA ALCES. Animal ipsum eqvô maximô procerius, qvod Lingva vernaculâ Elsdiur appellatur, Norvegis antiqvioribus Ellgur/ ut in Lexico Islandico *Resenius* docet, Norvegia, Russia, partesq; aliæ Orbis septentrionales inprimis gignunt. Americam qvoq;, qvà Septentrionem spectat, alces gignere itinera varia Anglorum docent. Lata admodùm sunt hujus animalis cornua & crassitie duorum digitorum transversorum, in ramos breves & velut apices circa limbos dispersa. Temporibus statis mutari, velut cervina, sagaciores notarunt, ac primò repullulantia lanugine obduci, qvalia se possedisse *Jonstonus* de Alce refert. Tam cornua qvàm ungves insultibus Epilepticis vulgò opponi solent.

CRANIUM ALCES cum cornubus (*Tab. III. Fig. III.*) qvorum alterum ramô duplicatô instructum est.

CRANIUM BABYRUSÆ. (*Tab. II. Fig. V.*) Qvatuor dentes exertos, longos & incurvos, habet, qvorum duo ex maxillâ inferiore prodeunt, duo verò ex maxillâ superiore ossa rostri perforantes. Dentes reliqvi maxillares à porcinis vix differunt. Animal ipsum Monstrum porcinum censeri potest. Icon animalis in insula Java anno 1650. depicta juxta cranium hìc appensa visitur.

CORNUA LEPORINA (*Tab. III. Fig. VI. VII. VIII.*) Captum qvoq; fuisse in Saxoniâ cornutum leporem, & plus qvàm annuo spatio areæ inclusum vixisse testantur *Ephemerides Germanorum*, anni sexti volum. pag. 369. Ità viduam Medici Lovaniensis duos cornutos ex Norvegia lepores habuisse *Gassendus* refert lib. 2. in vita *Peireskii*. Consentit prædictis in itinerario suo *Johannes Baptista Tavernier*, cum Saxoniam perlustraret: *Digressi*, inqvit, *Freistadio sumus ad egregiam arcem Augustoburgum qvæ in monte perqvam edito collocata cameram qvandam ostentat rebus rarioribus refertam; aliìs ibi ornamentìs insigniti non sunt parietes, qvàm variìs muro affixìs animalium cornibus, inter qvæ & Leporis apparet caput, duobùs præter solitum corniculìs à Natura instructum, qvod à Rege Daniæ pro munere singulari Electori transmissum est.* De cornibus Leporinis plura eruditè adfert *Th. Bartholinus* Epist. Medic. Cent. II.

MANDIBULA EQVI INFERIOR ligno qverno immersa (*Tab. IV. Fig. I.*) qvam arbor crescendo undiqvaq; involverat, de qva fusiùs in Musæo suo *Ol. Wormius.*

EXUVIÆ LEONIS FARCTÆ.

SCELETON LEONIS Africani, cujus longitudo eſt, à cranii parte anteriore ad caudæ extremitatem, pedum ſex cum dimidio. Leo hic, qvi fabrum lignarium cubile ejus ingresſum dilaniaverat, globo bombardæ plumbeo percusſus eſt A. 1671. & examini Anatomicorum ſubjectus.

CRANIUM LEONIS, ſclopeto trajectum.

SCELETON Apri magnitudinis inſignis.

SCELETON CASTORIS.

SCELETON CANIS, qvi in cubiculo Regis glorioſæ memoriæ *Christiani Qvarti* vigilantiam ſemper præſtitit, Tyrck appellatus, & in Arce Regia Fridericiburgenſi depictus.

VULPES ALBA magnitudinis inſignis.

CERCOPITHECUS ALBUS.

PELLIS ERINACEI INDICI, qvæ ſpinis longisſimis inhorreſcit. Spicula ſeu ſpinæ bicolores ſunt, partim albæ, partim nigræ, in extremitate acutisſimæ, dorſum inprimis ac latera obſidentes, qvas animal pro lubitu erigit.

EXUVIÆ GLIRIS INDICI, pilis nigerrimis obſitæ.

LEPUSCULUS monſtroſus ſeptem pedibus inſtructus (*Tab. IX. Fig. V.*) longitudinem habet pollicum qvinqvè cum dimidio. Vivus autem captus eſt in diſtrictu Aalburgenſi.

MUS NORVAGICUS, LEMING vel LEMEND dictus, qvi è nubibus qvandoq; decidere & ſata ac gramina depaſcere vulgò fertur. Hiſtoriam muris hujus tractatu peculiari contexuit olim celeberrimus noſter *Olaus Wormius.* Credibile interim eſt vulgari maris ac fœminæ copula generatos eſſe mures memoratos, & ex montium faſtigiis aliisve terræ partibus, vi procellarum, in loca alia qvandoq; translatos, inprimis cùm, aſſerente *Olao Magno*, in ventriculo herbæ crudæ nondumq; ſubactæ reperiantur qvamprimum deciderint. Vel forſan, decidente pluvia, è latibulis campeſtribus copia majore prorepunt, qvemadmodum ranæ, lumbrici terreſtres, cochleæ domiportæ & beſtiolæ aliæ, qvas pluvia decidens ex antris ſuis & latibulis foràs prolectat. Firmat qvoq; ſententiam hanc aſſertum *Wormii*, qvi nunqvam in tectis & culminibus domuum, in urbibus aut pagis, ſed ſaltem in mollibus arvis & paſcuis hos reperiri ait. Ita ranas qvoq;, pluviales vulgò dictas, ex imbre generari & cum eodem decidere qvidam inter veteres dixerunt. Verùm, decidente pluviâ, è ſcrobibus ſuis cavernisq; prorepunt, in ſicco ante delapſam pluviam morantes ac inter ſaxa vel dumeta ſcrobesq; terræ cavernoſas abditæ. Et ſi aperiantur protinus, plenus cibîs ſtomachus & diſtenta excrementîs inteſtina deprehendentur. Notavit qvoq; hoc olim *Theophraſtus Ereſius*, in fragmentis libri περὶ τῶν ἀθρόως φαινομένων ζώων ſeu de animalibus ſubitò apparentibus.

OVIS, cui CORNU in latere dextro enatum (*Tab. II. Eig. IV.*) Vixit hæc in eqvili Sereniſſimæ Reginæ Danorum *Sophiæ Amaliæ*, cui in dextro latere circa coſtas ſpurias ex cute propendet cornu pedis unius longitudine, latitudine verò ſex pollicum, figuræ qvodammodò pyramidalis.

COR-

CORNUA duo RANGIFERI. Animal ipſum Norvegis hodiernis Rein- vel Reensdyr/ antiqvis verò, & Septentrionalibus aliis Hreindyr appellatur, ut in Lexico Islandico *Reſenius* docet. Ad figuram Cervi minoris proximè accedit, apud Norvegos, Lappos & Finnos freqventisſimum. Errat omninò *Thevetus*, qvi in Coſmographia ſua apud Norvegos, Finmarchos, & Moſcovitas unicornem facit Rangiferum. Errant ſimiliter *Olaus Magnus*, *Geſnerus* & *Jonſtonus*, qvi tricornem depingunt. Rangiferis duobus junioribus anno 1672. à *Nicolao Stenone* Hafniæ diſſectis cornua bina & tenella fuerunt ac cervinorum inſtar lanuginoſa, variis utrinq; ramuſculis ornata.

CORNUA duo RUPICAPRÆ. Decem pollicum longitudinem habent, nigra & polita, ductu parallelo à capite ſurgentia, circa radices ad latitudinem pollicis unius cava, ſupernè leviter inflexa in uncum acutum & hamata. Animal, qvod cornua hæc geſtat, Capra Tyrolenſis vel Carinthiaca appellatur, qvòd in Carinthia & Comitatu Tyrolenſi ac regionibus Alpinis freqvens ſit, Camazza Italis, circa Alpes degentibus. Disjunctas latè rupes, inſidiis venatorum expoſita, ſaltu facilè ſuperat hamulisq; cornuum inflexis rupium jugis adhærere creditur. De capra hac eleganter, more ſuo, *Martialis*:

Pendentem ſummâ capream de rupe videbis,
Caſuram ſperes, decipit illa canem.

De capra hac videatur qvoq; *Cluſius* lib. 1. Obſerv. 54. *Jonſtonus* pag. 52. *Peyerus* de ruminantibus lib. 1. cap. 5.

PEDES SIMIARUM lorô ſeu funiculô traducti. Cùm Indos admodùm vexet copia ſimiarum, glorioſum incolis cenſetur truncata plurima ſimiarum capita pedesq; Magnatibus offerre. Sponſi præterea munere tali amaſias ſibi conciliare memorantur.

UNGULÆ TIGRIDUM cingulo inductæ. Coloris ſunt albicantis & maxima ex parte pellucidi.

PELLIS animalis, qvod TAMANDUA-GUACU, vulgò MYRENETTER appellatur. Pilos habet duros ac ex albo flaveſcentes, maculis nigris interſperſis. Referunt Scriptores lingvam animalis hujus longam admodum eſſe & in ore convolutam, qvam tumulo formicarum tamdiu immittit, donec ab iis obſideatur; arreptaq; hoc pacto lingva omnes deglutiat. De animali hoc fuſè *Marcgravius* Hiſt. Braſil. l. 6. c. 4. & *Joh: de Laet* Ind. Occid. pag. 55. & 618.

CRANIUM SIMIÆ, qvæ Fabianus appellatur, vulgò Mammoneth. Meminit hujus *Geſnerus*, qvi Mammonethum eſſe animal ſcribit ſimiâ majus. Caudam illi prolixam perperam aſſignant *Jonſtonus*, *Albertus Magnus*, & Scriptores alii. Vixit hoc animal ante annos plures Hafniæ, formæ planè monſtroſæ ac inuſitatæ, cujus anatomen exhibent Acta Medic. & Philoſophic. Hafnienſ. vol. 1. anno 1670.

OS FEMORIS vaſtiſſimum animalis ignoti, trium pedum longitudine. Nonnulli hoc pro oſſe gigantéo ſumunt.

TOPHI varii ANIMALIUM. Sunt pilorum qvædam glomeramina, figuræ qvandoq; ſphæricæ, qvandoq; ovalis, qvæ teſtam habent coloris utplurimùm fuſci, aut qvalis eſſe ſolet lapidis Bezoartici occidentalis. Repeꝛiuntur Tophi tales freqventiùs in ventriculis boum, vitulorum, ovium, aliorumq;

liorumq; animalium. Verisimile autem est, bestias, dum cutem pilosam lambunt, adhærentes lingvæ madidæ pilos sensim deglutire, qvi salivâ mixti à motu inprimis ventriculi peristaltico implicantur sibi invicem & in globulos densantur.

CROCODILUS NILOTICUS 6 pedum longitudine. (*Tab. VIII. Fig. VI.*) Animal hoc totâ vitâ crescere *Aristoteles* refert, tantamq; interdum attingere magnitudinem, ut viginti sex cubitos æqvet. Fusè admodùm à *Gesnero, Aldrovando, Jonstono*, aliisq; descriptum est hoc animal, qvod Leviathan *Jobo* appellari, copticè autem sucki *Bochartus* docet, qvasi natatorem vel urinatorem; socium autem Hippopotami in historia Æthiopicâ *Jobus Ludolfus* vocat, cœterisq; nocentiorem testatur, qvi in flumine Tacaze in Nilum effluente degit. Species autem Lacertæ est tam Niloticæ, qvàm Indicæ, & qvidem oviparæ, cùm ova illius, testâ duriore tecta, gallinæ Numidicæ ova magnitudine ferè superent, saltem maculis tamen seu punctis destituta. Observavit *Gyllius*, referente *Jonstonô*, Crocodilum ova sua arenis obruere, & ità tandem sine incubatione catulos crocodili prodire. Rem ipsam pressiùs illustrat testimonium *Curtii Adelerii*, Generalis qvondam in Dania maris Præfecti, de qvo seqventia adfert illustris *Borrichius* in scripto politissimo de sapientia Hermetis Ægyptiorum: *Amicus qvidam Adelerii*, inqvit, *cùm unà Cairi æstate hospitarentur, relictîs in diversorio, in cistâ suâ obseratâ cùm vestimentis aliis, ovîs crocodili duobûs recens emptîs, ut Venetias transferentur, ad negotia in aliis urbibus Ægyptiis obeunda secesserat. Reversus post aliqvot hebdomadas, dum cistam fortè aperit, vestes suas lustraturus, ecce monstrum horrendum, informe! prosiliit crocodilus uterq;, qvi, rupto jam caloribus æstivîs ovo, sui juris erat, minutus ille qvidem, sed pestifer, irruitq; in nudum adstantis Æthiopis pedem, & eodem non perfunctoriè vulneratô ægrè avulsus occiditur.*

CROCODILUS Indiæ Orientalis 6 pedum totidemq; pollicum longitudine.

CROCODILI duo, qvi anno 1669. mense Octobri, vivi ex India Orientali Hafniam allati fuêre, novô & inauditô exemplô, qvorum anatome à Medico Regio *Simone Pauli* instituta est, scriptóq; Borrichiano de sapientiâ Hermetis Ægyptiorum posteà inserta. Horum alter longitudine est circitèr pedum trium & qvinq; pollicum; alter ad pedes qvatuor in longum porrectus.

CROCODILI 6 alii magnitudinis diversæ.

IGVANA seu SENEMBI BRASILIENSIUM (*Tab. VIII. Fig. IV.*) species lacertæ est, & qvidem fusè admodùm descriptæ à *Carolo Clusio, Johanne de Laet, Marcgravio, Wormio*, aliis; & cùm partes ejus omnes à prædictis accuratè jam dudum descriptæ sint, hoc saltem hìc adjicimus, qvòd juxta ingluviem sub mento ad pectus usq; pendulam, qvædam qvasi laciniæ carneæ, & velut palearia conspiciantur, qvemadmodum in Lacerta qvoq; alata Indiæ Orientalis, qvam obtulit mihi qvondam illustris *Borrichius*, me vidisse memini.

IGVANÆ novem, magnitudinis diversæ.

ARMADILLO, seu TATOU BRASILIENSIUM (*Tab. IX. Fig. IV.*) Animal hoc Erinaceum Brasiliensem *Gesnerus* appellat, Phaleratum verò *Petrus Martyr*, ob tegmen durum & testaceum, coloris ex albo flavescentis, qvod tes-

tessellatò hinc inde munitur scuto. Animal ipsum magnitudine est porcelli, cujus carnem in epulis Brasiliensium expetitum esse Scriptores memorant.

Qvinq; ARMADILLI magnitudinis diversæ.

LACERTA SQVAMOSA ingens (*Tab. IX. Fig. III.*) Ità dicta est, qvòd sqvamis densissimis & qvidem corneis admodùm ac duris partes pleræq; corporis obducantur. Coloris est obscurè flavescentis. Fusiùs hoc animal à *Carolo Clusio* descriptum est.

LACERTA SQVAMOSA minor.

LACERTA BONONIENSIS. Species est lacertæ communis, qvam longitudine & elegantiâ coloris viridissimi superat, in tractu Italiæ Bononiensi freqvens.

LACERTA minor, longitudine pollicum octo cum dimidiò.

CHAMÆLEON. (*Tab. VIII. Fig. IV.*) Species lacertæ est 6 pollicum longitudine. Lacertam hanc solò aere victitare referunt inter Antiqvos *Plinius* & *Aristoteles*. Verùm muscis & insectis aliis illam vesci recentiores tradunt, adeoq; bestiolam memoratam lingvâ longissimè exsertâ, cujus extremitati gluten adhæret, insecta freqventiùs venari. Naturam animalis hujus partesq; interiores partim *Dominicus Panarolus*, & in Itinerario suo *Jacobus Sponius*, partim in vitâ *Peireschii Gassendus* & in Ephemeridibus suis eruditi Parisienses perlustrarunt.

SALAMANDRA (*Tab. VIII. Fig. III.*) Longitudinem pollicum sex ferè attingit. Vitam Lacertæ hujus in mediis flammarum amplexibus illæsam esse ac permanentem veteres prodidêre. Verùm cùm superficies tota cutis lentò qvodam glutine, instar vernicis splendente, obducatur, reluctari qvidem initio flammis videtur, constipatis forsan ab humore viscido meatibus cutis, & salivæ inprimis ex ore eructatæ copia. Postea verò, more animalium reliqvorum, in flammis comburitur. Vidit qvoq; hoc olim *Galenus*, qvi lib. 3. de temp. c. 4. Salamandram ad certum usq; terminum ab igne nihil pati asserit; uri autem, si longiore morâ sit igni admota. De experimentis aliis circa Salamandras tentatis plura in Actis Med. & Philos. Hafniensibus subministrantur, qvemadmodum & in observationibus nostris de Ranis & lacertis.

TESTUDO MARINA Ingens Indiæ Occidentalis, longitudine pedum 6, latitudine pedum duorum cum dimidio. Differt inprimis a Testudine terrestri qvod pedes habeat pinnis piscium non dissimiles & ad natandum aptos. Ab *Aldrovando*, *Jonstonô*, *Wormio* aliisq; fusè describitur. Animal autem est oviparum, é cujus ovis testâ duriore cinctis, & qvidem coloris albicantis, ac figuræ oblongæ, sine incubatione fætus prorumpunt. Poni qvippe in arenâ littorum ova, inprimis versûs plagam meridionalem, ubi calore Solis erumpunt pulli, sagaciores viderunt.

TESTUDINES variæ minores.

SCUTUM TESTUDINIS pedum 4 & 6 pollicum longitudine, duorum pedum & pollicum 6 latitudine. Testudinum majorum testis seu corticibus tuebantur se olim Amazones; qvemadmodum & pro cunabulis infantum ab Indis illas usurpari, itineraria testantur: imò tantæ esse in mari Indico molis, ut incolis pro cymbis inserviant. Tantæ præterea firmitatis testa est, ut rotis

 plaustri

plaustri currentis conteri neqveat. Testa autem inferior cum superiore arctiùs cohæret, cui, beneficiò cutis crassæ ac duriusculæ, capite, caudâ & pedibus liberis, animal ipsum agglutinatur. Capite adhuc adhærente irritatum, dum vivit, animal se contrahit, & intra domicilium testæ abscondit, resectô autem capite ad rem irritantem amovendam pedes adhuc diutiùs extendit; imò vigesimâ qvartâ, post caput amputatum, horâ motus distincti caudæ pedumq; observantur.

SCUTA varia minora TESTUDINUM, plurimis qvasi suturis, qvæ ex figurarum tessulis constant, coagmentata.

SCINCUS MARINUS. Lacertam parvam communem magnitudine æqvat, crassitie pollicis, pedis verò dimidii longitudine, coloris ex griseo flavescentis; sqvamis tectus minutissimis, caudâ rotundâ, capite oblongô, & rostrô acutô. In Nilo Ægypti flumine freqvens perhibetur. Ingreditur vulgô Diasatyrium, & compositiones alias pharmaceuticas.

IGNAVUS seu PIGRITIA. Animal est Americanum, vulpeculæ magnitudine, pilis rubentibus hirtisq;, ursorum instar, vestitum. Longitudine est pedum trium & pollicis unius cum dimidiò. Ungvibus longissimis, qvibus obvia qvævis fortiter apprehendit, instructum est. Ob tarditatem motus Latinis *Pigritia* dicitur, Americanis *Ai*, Nostratibus Lojert. Tam tardè autem incedere à Scriptoribus memoratur, ut in rependo passus qvinqvaginta diem solidum reqvirant, in cacuminibus arborum, in qvibus freqventius degit, biduum integrum & in descensu tantundem. De voce animalis hujus prodigiosa & intervalla Musica referente scripsit uberius in Musurgiâ *Kirkerus* lib. 1, c. 14. Anatomen verò partiumq; descriptionem *Marcgravius* Hist: Natur: Brasil: lib. 6. exhibet.

SECTIO

SECTIO II.
DE
Avibus earumq; partibus.

ANSER MAGELLANICUS seu PINGVIN Clusii. Avis marina est ex Anserum genere, parte supernâ plumîs nigrîs vestita, supinâ verò albîs, qvæ alarum loco parvas qvasdam coriaceas pinnas habet, rigidis angustisq; pennîs confertim tectas. Rostrum Corvino majus habet, cujus pars superior sulcis qvibusdam obliqvis insignitur. Pedes anserinis simillimi sunt. Vivam hujus generis avem in ædibus suis hìc Hafniæ olim aluit celeberrimus noster *Olaus Wormius*, qvæ piscibus saltem vescebatur. A *Clusio* verò, lib. 5. Exotic. c. 5. prolixè describitur.

ROSTRUM ONOCROTALI seu PELECANI cum APPENSO MARSUPIO. Rostrum est oblongum, osseum, & in extremitate hamatum, longitudine pedis unius cum dimidio. Sub mandibulâ inferiore capax qvoddam receptaculum seu marsupium, membranosum admodùm & rugosum, dependet, qvod in spatium immensum dilatari potest. Avis ipsa Germanis Kropffgans / juxta littora maris Caspii freqvens est. Cum ave interim patriæ nostræ inqvilinâ, qvæ Onocrotalus qvoq; appellari solet, lingvâ vernaculâ Rordrum non temerè confundi debet, cùm ab ave jam memoratâ sit planè diversa. Hæc qvippe apud nos in arundinibus degit, ex Ardearum genere, rostrò qvidem acutò, sed sine omni marsupiò, & à sonitu, qvem edit, Bos palustris à nonnullis appellatur. Avem prædictam cum marsupio vivam, & caveæ inclusam Regi gloriosæ memoriæ *Friderico Tertio*, Legati Magni Ducis Moscoviæ Anno 1662. mense Decembri obtulerunt.

ROSTRUM avis SEMENDÆ. Longitudine est palmari, acutum admodum & intus cavum, coloris buxei, hinc tuber figurâ ovali eminet, parte anteriore coloris flavescentis, in ambitu purpurei. Ex tractu Coromandel Indiæ Orientalis allatum est.

ROSTRUM PICÆ BRASILIENSIS. Longitudine est novem pollicum, latitudine trium cum dimidiò. Totum aviculæ corpus, qvæ Brasiliensibus Taucan appellatur, rostro jam memorato longitudine cedit. Refert *Aldrovandus* avem hanc granis piperis nutriri, qvæ integra devorat, & immutata iterum per alvum reddit.

ROSTRUM avis RHINOCEROTIS. Leve admodum est, concavum

cavum, coloris flavescentis, & in parte qvadam rostri superiore rubelli, longitudinem novem policum non excedens. Apophysin qvandam instar cornu in rostri parte superiore habet, unde Rhinoceros dicta est, qvòd, instar qvadrupedis nominis ejusdem, cornu in fronte gerat. Avis ipsa, qvæ Topau Indis appellatur, *ab Aldrovando*, *Olao Wormio*, *Jacobo Bontio*, aliisq; descripta est. In Muséo Anglico Collegii Greshamensis sub titulo Hungum seu Hornedcrow, id est, corvi cornuti discribitur.

Qvatuor ROSTRA minora ejusdem generis.

ROSTRUM avis PLATINÆ. Gesnerò aliisq; PLATYRINCHOS dictæ, Germanis Lepffel-Gans. Ità dictum qvòd cochlearis figuram referat. Avis ipsa juxta mare Caspium reperitur, in Muséo Wormiano descripta.

Avis BRASILIENSIS GVARA dicta. Avem hanc, qvæ pennis vestita est coloris elgantis coccinei, ex Brasiliâ olim secum attulit Nobilissimus *Christophorus Lindenow*. Meminit avis hujus *Marcgravius* Hist: Nat: lib. 5. cap. 8. post illum ab *Olao Wormio* accuratè discribitur.

AVIS PARADISIACA. In insulis Moluccanis, qvas freqventiùs incolit, Manucodiata appellatur, seu avis Dei. Fertur *Antonius Pigafeta* avem hanc primus Europæ intulisse. Pedes illi denegat *Nierembergius*, illumq; secuti innumeri alii apodem hanc avem semper depingunt, cùm interim pedibus evidenter satis instructæ hæ aves in Muséis ferè omnibus conspiciantur. Feruntur autem incolæ Moluccani avibus prædictis pedes abscindere, ut eò aptiùs cum rebus aliis mercatoriis compingi & deportari qveant. Avem memoratam calamô accuratô describit illustris *Thomas Bartholinus* Hist: Anat: Cent. VI. pag. 291.

REGULUS PARADISIACUS. Color plumarum saturatè ruber est, circa collum verò viridis cum aureo resplendens: Avis ipsa vix palmæ integræ longitudinem æqvat. In extremo caudæ duo qvasi fila setis eqvinis non dissimilia extenduntur, qvorum qvodlibet versus extremum incurvatur. Feruntur incolæ Moluccani pennas avis memoratæ sollicitè secum portare, credentes se harum ope ab ictibus hostium tutos fore, etiamsi in primâ acie ante alios collocati fuerint.

Decem AVICULÆ BRASILIENSES GVAINUMBI & GVINAMBI dictæ. Corporis totius longitudo ab initio rostri ad extremum caudæ duos pollices cum dimidio vix æqvat. Color plumarum, per totum corpus, splendens admodùm est & ex aureo viridi ac flavo mixtus, radiisq; solaribus imprimis expositus egregiè coruscans.

PASSERES duo ALBI hic in Selandia capti. In qvibusdam Norvegiæ locis tempore hyemali passeres omnes niveum colorem induere nonnulli referunt. Meminit alborum passerum *Aldrovandus* lib. 15. Ornith. cap. 10. Visæ qvoq; in patriâ nostrâ interdum hirundines albæ.

VESPERTILIONES duo INDICI (*Tab. V. Fig. III*) Horum singuli corvum majorem magnitudine æqvant, à capite ad extremum caudæ pedis unius longitudine, ab extensis verò utrinqve alis transversim mensurati pedem unum cum dimidio ferè attingunt. Membrum genitale pollicum duorum longitudine extensum est. Refert *Linscotanus* fructibus & arboribus adeò infestos esse vespertiliones memoratos, ut Canarini eam ob causam pernoctare cogantur, & in vigiliis excubare, Indis verò gratissimun cibum existere,

ſtere, et perdicum loco haberi. De Veſpertilionibus Indicis ſeqventia habet *Nicolaus Matthiæ* Svecus in Itinerario anno 1677. Viſingsburgi lingvâ Svecicâ impreſſo, fol: 123. *Noctu*, inqvit, *gregatim hic volant veſpertiliones tantæ magnitudinis, ut expanſæ illorum alæ integram etiam ſuperent orgyiam. Defluente ex palmis ſucco ità noctu ſe ingurgitant, ut præ ſola ebrietate velut mortui ſub arboribus jaceant; qvô etiam modô ut plurimùm capiuntur. Ebrium ego unum ſemel inveni, &, adactîs per alas clavîs ferreîs, parieti affixi; crapulam verò cùm obdormivisſet, ore, qvod vulpino ſimile, ipſos clavos ferreos velut fiſtulas qvasdam fictiles arroſit.*

SCELETON FALCONIS. Capta primò in Islandiâ hæc avis fertur & in Daniam transmiſſa, hinc verò Wiennam Auſtriæ delata, poſtea in Islandiâ iterum capta, cum ornamentis & crepitaculis, qvibus initio cincta erat, & in Daniam ruſus transmiſſa.

SCELETON avis peregrinæ, qvæ CASSUARIUS appellatur & in Inſulis Moluccanis, Sumatra aliisq; Indiæ Orientalis locis reperitur.

SCELETON GALLI GALLINACEI, qvi oviparus creditus eſt, de qvo *Th: Bartholin.* Hiſt: Anat: Cent: I.

PULLUS GALLINACEUS BICEPS.

CORNU CAPONIS magnum & intortum, longitudine pollicum novem, & in apicem acutum deſinens, ſtriis variis inſtructum.

NIDI AVIUM ex Indiæ Orientalis tractu, qvi Coromandel appellatur, allati, ſubſtantiâ gluten piſcium ſeu icthyocollam referentes, figuræ hemiſphæricæ, qvos diſſolvi in juſculis, & cùm materia ſit glutinoſa, furculis diſcerpi ac cum voluptate ab Indis devorari, ex *Johanne de Laet*, Hiſt: Americanæ Authore, *Wormius* refert.

OVA STRUTHIONUM magnitudinis diverſæ, qvorum pleraq; coloris ſunt albicantis & figuræ qvodammodò ſphæricæ, punctis minutis ac nigricantibus conſperſa. Hinc Garamantes ſibi pileos & tegumenta olim efformarunt, ſi fides *Plinio*. Vitellus palato Indorum expetitus eſt, qvemadmodùm varii ex Indiâ reduces teſtantur.

OVA ANATIS FERÆ, qvæ in Islandia & Inſulis Ferőenſibus Eyder appellatur. Magnitudine ſuâ ova anſerina æqvant, extremitate unâ obtuſa, alterâ acutiora, coloris ex albo griſei, maculis nigris hinc inde conſperſa. Sapida admodûm eſſe memorantur, ad qvæ capienda è rupibus per funes periculoſè ſe demittunt accolæ, & eâdem operâ plumas molles ac pretioſas, culcitrisq; fulciendis aptas, qvas Eyderdun appellamus, operoſè colligunt.

OVUM CASEARII ſeu EMEU, Avis Indicæ ſuperiùs memoratæ. Magnum admodum eſt & qvodammodò oblongum, coloris externâ parte ex cineritio viridis, punctis ac tuberculis variis, viriditate ſaturata præditis, conſperſum.

SECTIO



SECTIO III.
DE
Piſcibus eorumq; partibus.

NICORNU MARINUM, cranio balænæ infixum. Cornu hoc, oblongum & ſtriatum, ſiniſtræ parti mandibulæ ſuperioris inſertum eſt, qvod bellua marina geſtat in Oceano ſeptentrionali degens circa Gronlandiæ, Spitzbergæ & Novæ Zemblæ oras, Islandis & Feröenſibus Narrhval/ Grönlandis Touwac appellata. De balænâ hac prolixè admodùm *Wormius*, *Bartholinus*, *Schonfeldius*, *Sachſius*, alii, qvam unicornem aſſerunt. Veriſimile interim eſt, eam utplurimùm bicornem eſſe, cùm in latere potiùs capitis, qvàm in medio exporrectum ſit cornu, qvod hìc aſſervatur, indicio haud obſcuro ſocium cornu deſiderari. Anno præterea 1684. è Gronlandia navigium civis Hamburgenſis *Wilhelmi Köens*, cranium piſcis hujus bicorne ſecum attulit. Uſum cornu hujus in medicinâ Practici extollunt. Subjectum qvippe violentiæ ignis ſpiritum potentiſſimum fundit, in pulverem redactum pro ſudorifero inſervit, morbisq; malignis, vel hauſtis per infortunium toxicis ex voto opponitur. Imò ex cornibus hiſcé pretioſis, qvæ auri olim pretium ſuperabant, conſtat thronus integer ſeu ſolium Regale Auguſtiſſimi Daniæ Norvegiæq; Monarchæ *Chriſtiani Qvinti*, omniumq; tam exterorum qvàm indigenarum in ſe oculos convertit.

UNICORNU MARINUM ex Islandia allatum Anno 1693, qvod cranio ſimiliter infixum eſt. Longitudine eſt 6 pedum & 5 pollicum.

UNICORNU aliud 7 pedum & 6 pollicum longitudine.

Duo generis ejusdem, pari ferè longitudine.

CRANIUM TURSIONIS ſeu Delphini. Piſcis ipſe, unde deſumptum eſt cranium, cetacei generis videtur, cujus caro ſeu lardum ad eſcam inprimis & excoqvendum inde oleum nauticæ genti eſt expetitum.

CANIS CARCHARIAS. Piſcis hic inter pelagios cartilagineos locum obtinet, vorax admodùm & carnis humanæ avidùs. A piſce hoc Prophetam *Jonam* devoratum fuiſſe, præter doctiores alios, *Rondeletius* putat.

RICTUS CANIS CARCHARIÆ. (*Tab. IV. Fig. III.*) In circumferentiâ ſuâ 6 pedes, totidemq; pollices æqvat. Maxilla qvælibet ſerie dentium numeroſâ ſcatet, qvi duriſſimi ſunt, acutiſſimi, figurâ triangulari, utrinq; ſerrati & gloſſopetris ſimillimi. CRANI-

CRANIUM ROSMARI, ex cujus mandibula ſuperiore dentes duo, longi admodùm, craſſi & incurvi, dependent. Animal ipſum Anglis & Ruſſis Walruß appellatur, aliis Eqvus marinus, in Oceano Septentrionali freqvens, magnitudine vitulum aut phocam longè ſuperans, coriô denſo & piloſo tectum. Narrant Islandi Urſum & Roſtungur (ità Roſmarum appellant) qvando conveniunt, ad internecionem invicem pugnare.

MEMBRUM GENITALE ROSMARI. Subſtantiæ eſt oſſeæ, ſed levis admodùm ac ſpongioſæ, qvod in pulverem redactum calculos & arenulas exturbat, fœtumq; ac ſecundinam expellit. In compeſcenda inprimis ſtranguria à *Bartholino* Hiſt: Anat: Cent: II. laudatur, præſertim ſi ab extremâ oſſis ſpongioſi parte, qvæ tuberoſa eſt & bibula, cereviſia ſugatur.

GALEUS ſeu CANIS ARISTOTELIS. Piſcis eſt corpore oblongo ac tereti, coriô glabrô tectus, roſtrô acutô, qvod parte ſupinâ oris duobus dentium ordinibus inſtruitur. A *Jonſtono*, *Wormio* aliisq; prolixè deſcribitur.

MANUS duæ SIRENIS. Licèt plurima, qvæ de Sirenibus adferunt Scriptores, pro falſis ac fabuloſis habeantur, belluas tamen facie humanâ in mari reperiri non adeò abſurdum eſt, inprimis cùm in Oceano piſces conſpiciantur, qvi animalia alia terreſtria ſpecie qvadam referunt, qvemadmodùm canes marini, vituli, eqvi & plures alii. Imò eodem Naturæ ductu ac facilitate formam humanam piſcis in Oceano referre poſſet ac in terra formam externam hominis geſtusq; ſimia repræſentat. Figuram manus Sirenis ſimul cum coſta *Bartholinus* profert Hiſt: Anat: Cent. II. cum diſſertatione de Sirenibus uberiore.

ROSTRUM piſcis SERRÆ, qvod longitudinem pedum trium & ſeptem pollicum æqvat. Utrinq; in lateribus aculeis dentatum eſt acutiſſimìs. Per longitudinem poroſi oſſis, duas habet cavitates, qvæ juxta extremitatem coàleſcunt, nec in apice hiant. Piſcem ipſum modò Priſtin, modò Serram Scriptores appellant.

Tria generis ejusdem paullò minora.

Qvinq; generis ejusdem minima, qvæ pollicum ſeptem longitudinem vix attingunt.

OSSA ex capitibus BALÆNARUM. Dura admodùm ſunt & ponderoſa, pugnum maximum humanum magnitudine æqvantia, qvæ vulgò oſſa auditûs appellantur. Credibile interim eſt eo modo in capite balænæ hæc gigni ac in piſcibus aliis, qvemadmodùm Carpionibus, Aſellis &c: concretiones lapideæ generantur.

MEMBRA GENITALIA BALÆNARUM. Horum alia pedum 6, alia qvinq; cum dimidio longitudinem æqvant, in acutum deſinentia. Nonnulla qvoq; coloris flavi & qvodammodo tranſparentis, alia nigri, alia ſubfuſci. Præterea tam ex vertebris qvàm membris genitalibus balænarum efformati hìc baculi ac ſcipiones ſpectantur.

FOETUS BALÆNÆ ex utero matris EXSCISSUS, *(Tab. VI. Fig. II.)* qvi pedis dimidii longitudinem vix attingit. Color corii niger eſt in dorſo & lateribus, ſub mento ventrisq; parte aliqvâ anteriore albicans.

PISCIS CORNUTUS GUAMAJACU APE. (*Tab. VII. Fig. III.*) Longitu-

gitudine eſt pollicum 7, qvatuor autem latitudine vix æqvat. In Oceano indico reperitur à *Marcgravio* Hiſt: Natur: lib. 4. cap. 1. deſcriptus.

PISCIS MONOCEROS. (*Tab. VII. Fig. IV.*) In mari Indico reperitur à *Cluſio* libr. 6 Exot. cap. 27. deſcriptus. Hic longitudine eſt pedis unius cum dimidio.

PISCIS MOLA ſeu LUNA. (*Tab. VI. Fig. III.*) Longitudine pedum duorum, latitudine pollicum octodecim. Piſcis admodùm monſtroſus eſt, rotunditate corporis lapidi molari non diſsimilis, & caput potiùs truncatum, qvàm piſcem integrum repræſentans. A *Rondeletio* & *Salviano* accuratè deſcriptus eſt.

ZYGÆNA ſeu LIBELLA (*Tab. VII. Fig. V.*) piſcis monſtroſus eſt pedum 6 & pollicum trium lòngitudine. A figura capitis, qvâ τὸ ζυγὸν imitatur, qvô transverſum libræ, ex qvo lances dependent, ſignificatur, nomen obtinuit. Præ partibus cæteris admirationem oculi merentur, qvi extremitatibus duabus capitis in longitudinem transverſim procurrentibus utrinq; infixi. In mari Mediterraneo interdum conſpicitur, *Salviano*, *Bellonio*, *Jonſtono*, aliisq; memoratus.

ANGVILLA magnitudinis monſtroſæ. Tam craſsitie qvàm longitudine Angvillas noſtrates ſuperat.

HUMOR CHRYSTALLINUS piſcis cujusdam, qvi URANOSCOPUS dicitur. Magnitudine piſum maximum æmulatur, clarus admodum & vitri inſtar pellucidus. Piſcis ipſe ab *Ariſtotele* & *Æliano* Καλλιώνυμος appellatur, recentioribus Uranoſcopus, à *Rondeletio* & *Aldrovando* deſcriptus.

MANATUS INDORUM. Piſcis admodùm monſtroſus eſt, longitudine pedum trium & qvatuor pollicum, qvi pedes duos alis non diſsimiles in parte corporis anteriore, capiti vicinâ, habet. Circa inſulam Hiſpaniolam Indiæ Occidentalis reperiri fertur. Meminit hujus *Cluſius* Exot: lib. 6. cap. 19.

CRANIUM XIPHIÆ cum ROSTRO, qvod pedem unum cum dimidio longitudine æqvat. Piſcis ipſe à mucrone roſtri, ſeu figura gladii nomen ſortitus, noſtratibus Sværd-Fiſk / Italis Peſce Spada appellatur. Ab *Æliano*, *Plinio*, *Aldrovando*, *Wormiô*, aliisq; accurate deſcriptus eſt.

LUPUS MARINUS Indiæ Orientalis. (*Tab. VII. Fig. II.*) Piſcis voraciſsimus perhibetur, dentibûs acutisſimìs armatus, qvi in parte oris ſuperiore ſerie triplici invicem glomerantur.

PISCIS Indiæ Occidentalis, qvi memoratum ſuperius Lupum marinum refert.

ACUS MARINÆ ſpecies variæ. Harum aliæ communes appellantur, tenues & longæ, roſtro durô & acutô, aliæ tenues qvoq; & longæ, ſed roſtrô in extremitate latô, ac rictu in altitudinem dehiſcente, & figurâ tubæ non diſsimilì.

ORBIS PISCIS variæ ſpecies. Noſtrates coriô denſô admodum & ad tactum aſpero muniuntur, clavìs albicantibus obſiti, ſub mento circulare qvid habentes inſtar ſcuti rotundi. Lingvâ vernaculâ Steenbider appellantur.

ORBIS ACULEATUS, ſeu ſpinis & cuſpidibus inhorreſcens, à *Cluſio* deſcribitur lib. 6. Exot: cap. 21. Alius deniq; à cæteris diſtinctus Echinatus ſeu

Muri-

Muricatus dictus, Germanis Meer-Taube/ in mari rubro freqventer repertus. Præter hos Stellatus qvoq; seu Asterias reperitur, qvod figuras corpori impressas habeat stellis seu asteriscis non dissimiles.

RAJARUM variæ species. Harum aliæ læves sunt in pinnas amplissimas laterales expansæ, cauda ordinibus tribus aculeorum instructâ; aliæ asperæ seu aculeis instructæ; aliæ oculatæ seu asteriæ, à maculis stellatim dispositis; qvædam deniq; corporis brevioris clavatæ dictæ. De utero & ovis Rajarum accuratè *Stenonius*.

Duæ RAJÆ minores, qvæ artificio singulari basiliscos mentiuntur.

STURIO seu ACIPENSER ingens; octo pedum longitudine, qvi anno 1672 extra arcem Alburgensem captus est. A *Salviano*, *Wormiô*, aliisq; accuratè descriptus est. Ex ovis piscis hujus sale conditis & in massam coactis edulium qvoddam seu salsamentum parari solet, qvod caveare appellatur, saponem viridem colore ac substantiâ referens.

ACIPENSER minor.

HIRUNDO *Plinii* seu MUGIL ALATUS. (*Tab. VII. Fig. I*) Juxta branchias utrinq; qvaternas binæ conspiciuntur pinnæ, latæ admodum ac longæ, qvarum operâ volatum exercet, & extra aqvam per aëra se effert. Memorant Scriptores juxta promontorium Bonæ Spei navigantibus in Indiam Orientalem copia ingenti se pisces hos volantes offerre, & qvandoq; velis navium antennisq; adhærescere.

SEPIA seu LOLIGO. (*Tab. VI. Fig. I*) Piscis est monstrosus admodum, prope Schevelingam Anno 1662 in Hollandia captus. Octo velut pedes seu cirrhos habet, qvi duobus acetabulorum & velut calicum ordinibûs decorantur. Dum vivit piscis, succô qvodam nigro, qvi atramento scriptorio pingviori & gummatibûs saturato simillimus est, aqvas protinus infuscat, qvotiescunq; manu apprehenditur.

RANA PISCATRIX. Sic dictam nonnulli existimant, qvòd figurâ fœtum ranæ caudâ adhuc instructum, gyrinum vulgo, repræsentet; Græcis Βάτραχος ἁλιεύς. Anatomen piscis hujus accuratissimam instituit *Georgius Entius* Anglus in onomast: Zoico ultimæ editionis.

CANCER MOLUCCANUS. Ità dictus est, qvod circa insulas Moluccas freqventius reperiatur, & ad naturam cancri accedat. A *Clusio*, *Johanne de Laet* & *Wormio* prolixè descriptus est. Araneus Marinus aliis appellatur, Signoc Americanis.

CANCER SPINOSUS. Parte anteriore in acutum desinit, aculeìs latè prominentibus inhorrescens. Caudam ex multis compactam laminis in ambitu spinis aculeatam, in media verò parte variis & inæqvalibus protuberantiis instructam, sub ventre recondit. Pedes octo longos & spinosissimos habet.

CANCER PAGURUS. Crusta validâ & glabrâ munitur, qvæ in gyrum crenìs variìs, imbricis modô, incisa est. Crura habet villis hirsuta & articulationibus ternìs geniculata.

CHELA seu ACETABULUM CANCRI INDICI.

VERTEBRÆ variæ piſcium diverſorum.

CORPUS qvoddam OSSEUM craſſum & qvodammodo ſphæricum (*Tab. IX. Fig. II.*) qvod roſtra duo mobilia habet & appendicem ſeu caudam anguſtam craſſitie pennæ anſerinæ, qvod ex piſce **Remora** eſſe nonnulli exiſtimant. Refert *Ol: Wormius*, in Muſéo Archiducis *Ferrandi Caroli* os ſimile aſſervari titulô oſſis **remoræ**, qvod triremibus qvibusdam adhæſiſſe referunt.

ECHINI MARINI ſeu CARDUI MARIS. Forma ſunt rotundâ & conglobatâ, parte inferiore tantillum compreſſa. Horum nonnulli in convexâ parte aculeis ſeu ſpinîs armantur, alii iisdem denudati, facie exteriore teſtæ plerumq; flaveſcente & punctis creberrimîs diſtinctâ.

SECTIO

SECTIO IV.
DE
Conchyliis & Testaceis.

VALVÆ duæ OSTREI magnitudinis monſtroſæ. (*Tab. X. Fig. I.*) qvarum diameter pedes tres cum dimidio excedit. Pendent valvæ ſingulæ 224 libras. In parte concava veſtigium adhuc ſcabrum admodum ac inæqvale conſpicitur, ubi muſculi valvarum motores adhæſerunt, qvod duas palmas æqvat, ubi per tranſverſum menſuratur. Craſſities valvæ in parte inferiore circa cardinem 6 pollices æqvat, in margine verò ſeu limbis lateralibus pollices duos.

VALVÆ duæ generis ejusdem (*Tab. X. Fig. II.*) qvarum pendent ſingulæ libras 60.

VALVÆ duæ adhuc minores. (*Tab. X. Fig. III.*) pendent ſingulæ lib. 26½. Duæ adhuc minores.

OSTREORUM TESTÆ, qvas tubuli vermium anfractibus variis perreptant.

MYTULI, qvorum teſtis adnati hinc inde balani.

AURES MARINÆ ſeu PATELLÆ majores Bellonii. Teſtam concavam habent, coloris Margaritis æmuli, parte gibbâ cineritii. In linea qvadam ſpirali circa extremos limbos foramina qvædam conſpiciuntur, qvæ qvò magis ab initio tendunt, eo amplius ſenſim augentur.

PATELLÆ MARINÆ ſeu LEPADES. Sunt Teſtacea qvædam ſaxis plerumq; adhærentia, & in limbo ſeu ambitu cœrulea.

PATELLÆ CYPRIÆ. Sic dictæ, qvòd in mari Cyprio freqventius generentur. Rimas habent à centro ad circumferentiam hinc inde extenſas, coloris in parte externa flaveſcentis, in interna albicantis.

PATELLÆ ſeu LEPADES verſicolores ſtriatæ. Centrum purpureum ambit circulus albus, hinc flaveſcens, mox purpureus, alternante ſic ad latera ſeu limbos usq; colorum varietate.

PECTINES, ſeu Conchæ ſtriatim ac pectinatim diviſæ. Species harum variæ in Muſéo hoc conſpiciuntur. Aliæ qvippe ſtriis majoribus; aliæ minutioribus ſignatæ, aliæ qvaſi planæ, aliæ plano-convexæ; qvædam coloris roſei; nonnullæ ſubnigri & notis flavis interſtincti, plurimæ qvoq; lutei aut ſubalbi. Mini-

Minimæ inter conchas memoratas pectunculi appellantur, ſtriis minutisſimis à centro ad oram ſignati.

CONCHÆ ECHINATÆ. Ab aculeis, qvibus hinc inde armantur, dictæ, coloris albicantis, & qvandoq; fulvi aut citrini, teſtis hinc inde ſtriatis & in limbo inciſis.

CONCHÆ CORALLINÆ. Pars exterior teſtæ colore purpureo imbuta eſt & tuberculis inæqvalibus aſpera; Interior verò lævis ac nitida.

CONCHÆ FASCIATÆ, à faſciis ſic dictæ, qvibus exornantur.

CONCHÆ IMBRICATÆ. In ſtriis velut tectorum Imbrices, eleganter diſpoſitæ, conſpiciuntur.

CONCHÆ VENEREÆ. Aliis PORCELLANÆ & LÆVIGATORIÆ dictæ, qvod ad chartas & linteamina læviganda conchas has adhibuerint Antiqvi, docente *Plinio*. Teſtam habent duram admodum & colorum varietate maculisq; variis exterius deſtinctam; intus verò candidam figurâ ovali. Parte pronâ cavitatem habent & velut rimam oblongam, in ambitu dentatam.

PSEUDO-NAUTILI. Reperiuntur freqventer in mari tam Adriatico qvàm Indico, ac inter ſcopulos littorales ſepiis polypisq; plerumq; ſociati à piſcatoribus capiuntur. Teſtam habent ſubtilem admodum, fragilem ac pellucidam, ſubſtantiâ conchis margaritiferis non diſſimili. Naviculam referunt partibus tribus compactam, binis nempe lateribus & carinâ, in qva ſtriæ ubiq; ductæ terminantur. Ab his navium fabricam, artemq; navigandi deſumptam eſſe Scriptores exiſtimant.

PSEUDO-NAUTILI COELATI. His pretium addit ars elegans, qvæ inſignes florum aviumq; cœlaturas ubiq; repræſentat.

NAUTILI tenues ſtriati, ſeu Nautili veri, magno olim pretio empti. Navis rotundæ formam qvodammodò effingunt, inflexa puppe & prorâ roſtratâ, qvorum teſta lactei coloris, pellucida ac fragilis admodùm ſtrias in longitudinem porrectas habet, ac pulchritudine ſuâ oculos intuentium moratur.

COCHLEÆ CYLINDROIDES. Colorum varietas inſignis in facie teſtæ exteriore hìc oculos paſcit. In regno Congi, Tombuti, alibi apud Indos cochleas has monetæ ſupplere vices *Linſcottanus* refert.

COCHLEÆ PERLATÆ. Harum nonnullæ magnitudine pugnum æqvant, & colore ſuo in teſtæ utraq; parte margaritas æmulantur.

TROCHI. Teſta horum in anfractus contorta eſt, multis conſtans voluminibus; planam ac latam habet baſin, & verſus extremitatem ſenſim gracileſcit, adeò ut turbini puerili luſorio non disſimilis videatur.

TURBINES. Horum varietas inſignis eſt, ſeu fabricam ſeu colores intueamur; alii qvippe læves & politi; alii aſperi & inæqvales, alii candidi; alii cinerei; qvidam velut notis Muſicalibûs diſtincti.

STROMBI UMBILICATI. Centro teſtæ cavitatem qvandam, inſtar umbilici, inſculptam habent, in littore Indicô freqventes.

PURPURÆ varii generis. Harum aliæ aculeatæ ſeu Echinatæ, aliæ ob ſubſtantiam ſolidam ac ponderoſam marmoreæ dictæ, aliæ triangulares, aliæ gibbo-

gibbosæ; qvædam ventricosæ. Celebres fuêre olim & ob succum purpureum ab Antiqvis expetitæ. Vestimenta qvippe succô earum imbuta tanto olim in pretiô fuerunt, ut libra unica centum numis aureis, *Plinio* referente, constiterit.

MURICES varii generis. Horum nonnulli cinerei & lividi, qvorum testam circumvolutiones spirarum exornant, supra qvas aculei extantes eleganter admodum disponuntur; alii auriti ob labrum, instar auriculæ, exertum, mucrone turbinato. Septem inprimis magnitudine hîc cæteris præcellunt.

NERITES. Conchæ rotundæ in spiram exiguam desinentes.

APORRHAIDES. Conchæ sunt turbinatæ, duritie marmoreâ, qvæ in alis seu laterum extremis processus qvosdam extuberantes habent. Superficiem exteriorem striæ variæ exornant.

CONCHÆ ANATIFERÆ, vulgò BERNACLES Anglis. Triqvetræ sunt & foris læves, coloris ex albo cœrulei, valvis binis compressæ, qvas tubulus qvidam seu pedunculus oblongus & concavus connectit. Tam in Anglia & Scotia, qvàm in Norvegia freqventer reperiuntur, sed veras inde prodire anates pro commento sagaciores hodierni habent. In Muséo Societatis Regiæ Anglicanæ Barnacle-Shels & Centre-Shels seu Balani compressæ appellantur. De conchis his fusè admodum *Wormius* lib. 3. Mus. c. 7. Sennert. Hypomnem. 2. c. 8. *Th. Barthol.* Hist: Anat: Cent. VI. pag. 271. Robertus Sibaldus Scot: illustrat: part: secundæ lib. 3. c. 12. & plures alii innumeri ad sententias discrepantes & conjecturas varias ambigui. Verùm ad insecta potius seu vermes referri posse videntur. Vidit qvippe Mathematicus Illustris *Olaus Römer* in animali hoc vivente, qvod in littore Galliæ Caletano inter arenas invenerat, nulli adhærescens ligno, partem illam, qvam tubulum seu pedunculum scriptores vulgò appellant, contrahi & coarctari, eo planè modo, qvo per annulos suos fibrosos lumbricus contrahitur. Totus vermis crassitie digiti humani, longitudine 5 vel 6 pollicum, colore niveo, caput suum inter concharum valvulas continere visus est. Cauda in conum obtusum desiit.

CANCELLUS in CONCHA, qvibusdam BERNHARDUS EREMITA. Parte superiore, qvâ extra testam pedes chelæq; seu forfices prominent, Astaco vel Gammaro planè similis est, caudæ verò extremitate, qvæ vermiformis est, anfractibus seu spiris interioribus conchæ firmiter agglutinatur. Adeoq; verisimile non est cancellum hunc in testaceum hoc migrâsse domicilium, ut ibi hospitaretur, sed probabile potius est, ex illapso forsan in concham ovo, generatum ità fortuitò esse, partesq; caudæ extremas, crescente sensim animali, figuræ spirarum ac circumvolutionum in concha se accommodâsse. Nec à cancello hoc ipsa concha efformata videtur, cùm testacea generis ejusdem habitacula ex bestiolis, humore viscidô ac glutinosô scatentibus, qvemadmodum cochleis domiportis, limacibus aliisq; vulgò effingi soleant.

ANTALIA. Hæc coloris plerumq; rosei existunt, & lineis fuscis in basi interstincta.

TUBULI seu SIPHUNCULI marini. Horum nonnulli dentes caninos qvodammodo æmulantur, rotundi ac striati, in extremitate modicè inflexi, adeoq; dentales seu dentalia vulgò appellantur.

TUBULI minores VERMIUM ac PENICILLI. A vermibus ſic dicti, qvos intra cavitates ſuas plerumq; abſcondunt.

BALANI ſeu GLANDES. Harum Teſtæ invicem plerumq; junctæ, ac, inſtar racemi uvarum, glomeratæ glandium qvernarum calices qvodammodò referunt, lignisq; & Oſtrearum ac Mytulorum teſtis plerumq; adhæreſcunt. Ex cruſtis multis componuntur teſtæ, qvæ in apicem obtuſum perforatum deſinunt.

UMBILICI MARINI ſeu VENERIS. A ſimilitudine umbilici, qvem repræſentant, nomen ſortiuntur. Superficies partis ſuperioris & eminentis glabra eſt, ſed inæqvalis; partis verò inferioris compreſſa ac plana, coloris rubelli, in qva ſpiræ variæ in gyrum actæ conſpiciuntur, & lineamenta conchæ qvodammodò referunt. Ungvem pollicis magnitudine ſuâ raro excedunt.

UMBILICUS MARINUS ingens Indiæ Orientalis. Figuram hic rotundam habet, ſuperficiem partis ſuperioris convexam, glabram & albicantem, inferioris verò leviter concavam & in gyros varios inſtar cochleæ efformatam, coloris obſcurè rubri, & in parte aliqvâ cinerei. Pollices tres cum dimidio longitudine ſua in diametro excedit. Pro operculo conchæ cujusdam à nonnullis ſumitur.

SECTIO

SECTIO V.
DE
Serpentibus & Insectis.

BOICININGA seu DOMINA SERPENTUM. Serpens hic venenatissimus omnium perhibetur, in America freqvens. Pars caudæ extrema (*Tab. VIII. Fig. I.*) novem velut annulis seu articulationibus, tenuibus qvidem, sed duris admodùm ac intus cavis insignitur. Annulos hos, vivente adhuc animali, sonoros admodùm esse Scriptores referunt. Anatomen serpentis hujus ab *Edoardo Tyson* Anglo institutam Acta Eruditorum Lipsiensium exhibent, Anni 1684, pag. 138.

SERPENS Indiæ Occidentalis pedum viginti duorum longitudine. Qvàm immensæ longitudinis serpentes in India & regionibus aliis inveniantur, ad ravim usq; Scriptores inculcant, & curiosi alii, qvi ista loca investigârunt. Memorat, præter alios, *Plinius*, in India serpentes in tantam magnitudinem excrescere, ut solidos hauriant cervos taurosq;. Ita ad flumen Bagradam, qvemadmodum ex Val. Max. Lib. I. cap. ult: liqvet, in bellis Punicis à Regulo Imperatore ballistis tormentisq;, velut oppidum qvoddam, expugnatus fuit serpens 120 pedum longitudinis.

SERPENS Indiæ Occidentalis 9 pedum longitudinem æqvans.

SERPENS Indiæ Orientalis pedum 6 longitudinem excedens.

SERPENTES varii Indiæ tàm Orientalis qvam Occidentalis magnitudinis diversæ.

EXUVIÆ SERPENTIS ex India Orientali, pedum duodecim longitudine.

EXUVIÆ variæ SERPENTUM ex india tàm Orientali, qvàm Occidentali, sqvamis serie pulchrâ dispositis & auri fulgorem reddentibus tectæ. In qvibusdam ab initio capitis ad extremam caudam dorsum ipsum continuô ordine, secundum longitudinem, maculis latioribûs nigris insignitur, qvarum pleræq;, inprimis caudam versus, figuræ ovalis conspiciuntur.

VIPERA. Scriptoribus qvasi vivipera dicta, qvòd, cùm serpentes alii ova pariant, hæc sola vivos excludat fœtus. De humore in vesica flavescente ad dentium radices plurima orbi literato hactenus communicarunt *Franciscus Redus Florentinus* & *Moyses Charas Parisiensis*. Trochisci ex carne

ejus

ejus confecti basin theriacæ *Andromachi* constituunt. Eliguntur inprimis viperæ ex montibus Euganeis Italiæ circa Patavium. Celebre qvoq; est sal volatile viperarum in morbis variis profligandis, qvemadmodùm &, in tollenda lepra, vinum viperinum.

CAPUT truncatum VIPERÆ ducatum aureum ore tenentis, qvem in arce Fridericiburgensi surripuerat.

SCELETON VIPERÆ ac deglutiti ab illa BUFONIS. Vera dixisse Aristotelem, qvi gulosissimos animalium serpentes obvia qvævis, etiam magnitudine conspicua, devorare asseruit, testatur *Bartholinus* Hist. Anat. Cent: IV. qvi non saltem Helsingoræ apud Pharmacopæum viperam nostratem exsiccatam vidit, qvæ alaudas qvatuor cum plumis in ventriculo congesserat, adhuc ibidem conspicuas; non dissimile qvoq; notante Aurel. *Severino* in Vip. Pyth: c. 12. sed & in prædio fratris sui *Bartholi Bartholini* ranas integras dexteritate qvadam à vipera deglutiri, capite primùm intrusô, pedibusq; ad partem posticam compressis, qvi deinde corpore compressô feliciùs succedunt.

FOETUS duo VIPERINI, qvi longitudinem pollicum qvinq; cum dimidio vix attingunt.

LINGVA ingens SERPENTIS bifida. Errore epidemicô sumuntur lingvæ tales pro spiculis Serpentum venenatis, qvibus vulnus lethale infligere creduntur, cùm tamen nec cuspide, aut spiculô, sed morsu saltem lædant nec lingvæ tales bifidæ spiculorum vicem supplere possunt, cum molles admodùm sint, & ad pungendum ineptæ.

VERTEBRÆ variæ SERPENTUM. Ex iisdem efformatæ armillæ ac monilia hìc conspiciuntur.

SCOLOPENDRA *(Tab. VIII. Fig. II.)* qvam alii à multitudine pedum Centipedam, alii Millepedam, vel Multipedam appellant. Annulis prætereà seu incisuris plurimìs vermis hic instruitur, coloris ex fusco lutei ac splendentis, à Moufeto *Aldrovando* aliisq; fusiùs descriptus.

Insectum TAURUS. Ex genere scarabæorum est cornu unico instructum, pollicum 6 longitudinem æqvans, in Brasilia freqvens.

Duo generis ejusdem minora.

TARANTULA APULIÆ. Insectum est, qvod araneam maximam formâ refert, sed magnitudine superat, maculis qvibusdam nigrìs conspersum, à cujus ictu saltationes effectusq; alii mirabiles produci solent. Nec solùm homines ad saltum propensos reddere venenum insecti hujus, verùm & alia qvoq; animalia, qvemadmodùm vespas, crabrones, gallos gallinaceos à Tarantula ictos concinnè saltâsse Sengverdius refert. Saltus interim ex veneno insecti hujus emergens species qvædam convulsionis esse videtur, qvæ diversô concentu, ac instrumentis Musicis compesci solet. De cura ejus per Musicam fusè admodùm *Kircherus* de arte magnetica. Non dissimilis remedii contra Scorpionum ictus meminit *Olearius* in itinere Persico, pag: 496, qvi sanari protinus hominem asserit à Scorpione læsum, si rudentem audiverit asinum.

SCORPIONES ITALICI. Insecta sunt venenata, sed mole corporis exigua articulum digiti vix superante, si caudam spondyliis seu articulis sex distinctam exceperis. Bini in ore forfices conspiciuntur, qvi in medio dentati & in

& in longum exporrecti. Dorſum annulis ſeptem inſtruitur; qvatuor ſunt utrinq; pedes, extremitate furcatâ, chelis ſeu acetabulis gammarorum non diſſimiles, nodis 4 ſeu articulis diſtincti. In ſpondilo ſeu articulo caudæ extremo veſicula latet, qvæ ictu Scorpionis compreſſa venenum ſub forma guttæ flaveſcentis emittit. Fœminæ maribus majores ſunt & magis nigricantes, mares colore rubello tincti. Sola hæc inſecta vivipara ſunt, fætusq; vivos ac in ſpecie ſua perfectos pariunt.

Inſectum OSCABIÖRNO dictum. Cruſtaceum eſt animal coloris ex albo flaveſcentis, digiti integri craſſitie, ſeſqvidigiti longitudine, decem juncturis conſtans & pedibus 14, qvorum ſinguli ungviculis armantur. Admirationem inprimis oculi merentur, qvi in teſtâ caput conſtituente defixi opus qvoddam cancellatum ſeu reticulare repræſentant, mille filis in ſe recurrentibus diſtinctum atq; ſubviride. Piſcibus verò in Islandiâ Inſectum hoc adhærere, velut pediculi animalibus aliis, memoratur.

HIPPOCAMPUS. *(Tab. XI. Fig. I.)* Inſectum eſt, qvod ad aqvatica apoda refertur. Pollicum ſeptem longitudinem æqvat. Cauda, qvæ corpore reliqvô tenuior, qvadrata qvodammodò eſt, & aculeis inſtructa ac velut ex circulis cartilagineis compacta. Circa Inſulam Venetiis vicinam, Lido dictam, qvemadmodum & apud Puteolos copioſè admodum Inſectum hoc reperitur.

VERMIS in Ovo diffracto repertus in culina Regia Anno 1680 d. 24 Decembr. Hic, effuſo in patinam vitellô, in albumine ovi adhuc delituit, qvi exemtus demum & microſcopio ſubjectus colorem exhibuit vernici flavæ & ſplendenti non diſſimilem. Binis velut capitibus inſtructus videbatur, & in extremitate caudæ nodo ſeu ſpondylo, qvi aculeo nigricante armatus erat. In corpore toto ſtriæ qvædam ſeu inciſuræ, per longitudinem decurrentes, viſæ. Sub ventre aperto cavitas fuit, cui incluſa maſſa, filamentis variis velut telis aranearum plena. Ex ovo qvoq; gallinaceo, cum in menſa Principis Florentini effringeretur, vermem prodiiſſe Acta Med. & Phil. Hafnienſia teſtantur. Vol. 2. Anni 1673.





SECTIO VI.

Varia ex Arboribus Plantisqve desumpta.



UMBRACULUM (UMBERELLA vulgò) ex foliis Palmæ. Refert Pro-Regis Indiæ Medicus *Garzias ab Horto*, in magnitudinem tantam folia Palmæ excrescere, ut ædium tectis naviumq; tabulatis & operculis apud Indos inserviant.

FRUSTA duo LIGNORUM dissecta *(Tab. X. Fig. I.)* qvorum parti internæ literæ hæ incisæ conspiciuntur : JENS HAMMERSHOLT ERR IF KONGENS ARBEDT FOR EN TIIF, Ita qvoq; parti internæ arboris, cum in silvâ Helsingorensi finderetur hæ incisæ literæ N. D. Credibile est cortici exteriori arboris, adhuc crescentis, incisas initio fuisse literas, adeoq; cum libro arboris interiori apponatur sensim cortex exterior, novis sensim superinductis corticibus, in parte arboris internâ jam conspici literas.

LIGNA varia MONSTROSA, qvorum alia ductu anfractuosò serpentes, alia leones, alia cornua cervina & res varias figurâ repræsentant. Qvoddam illorum brachium manumq; hominis exactè admodùm refert. *(Tab. IV. Fig. IV.)* Aliud pernam apprimè figurâ exprimit; aliud clavam Herculis.

LIGNUM FOSSILE ISLANDICUM. Nigrum hoc est & coloris adusti, ponderosum & fragile, qvod in variis Islandiæ locis laminatim eruitur. Pulverem ligni hujus, qvod Sorturbrandur Islandis dicitur, à tineis & vermibus vestimenta tueri *Ol. Wormius* monet.

LIGNUM FOSSILE UMBRICUM. Non saltem in Provinicià Italiæ, Umbriâ dictâ, sed & juxta viam Romanam copiosè eruitur. Latera ejus coloris fusci velut in assulas arcuantur, & lente admodum ac cum fumo fætente, igni admota, comburuntur. De ligno hoc, qvod cedro Mauritanico simile est, scripsit eruditè *Franciscus Stellutus.*

FRUSTUM LIGNI à vermibus PERFORATUM ex India Occidentali. Partes ejus omnes à tubulis qvibusdam, qvasi testâ albicante & conchyliatâ vestitis, excavantur. Tubulos memoratos in tabulatis navium à vermibus mari-

marinis interdum effingi nautæ narrant in Indiam euntes. Meminit qvoq; illorum *Olearius de itinere Mandesloviin Orientem libr: 1. cap. 10. Anglica, inqvit, navis ad littus deducebatur, ut novis resarciri tabulis posset; absq; hoc enim si foret, securè satis navigare vix poterant proter vermes, qvi extemplò tabulas perterebrant, victum hinc sibi ut parent. Belgæ alioqvin naves suas clavis qvibusdam muniunt, qvibus lata sunt capita, ut ita velut loricâ qvadam, ceu cataphracti eqvites, videantur indutæ.*

SPONGIA INDICA, qvæ cornu venatorium figurâ repræsentat.

BACILLI qvatuor ex LIGNO CINNAMOMI. Cortex coloris est cinerei, odoris fragrantis, saporis aromatici lingvam vellicantis; lignum verò ipsum inodorum est ac sapore grato destitutum. Ramos hos odoratos Insula Indiæ Ceylonensis inprimis mittit.

PARTICULA PELLIS ex Planta BORAMEZ seu AGNO SCYTHICO. De plantâ hac, præter Scriptores alios innumeros, ità in Itinerario suo *Olearius. Referunt, inqvit, prope Samaram, inter fluvios Volgam & Don, fructum crescere, magnitudine & formâ melonis externâ verò figurâ agnum referentem, cujus membra satis affabrè exprimit. Caulis umbilico inseritur; & qvocunq; in terra prorepit (crescendo namq; locum mutat) arescunt gramina, qvod absumere vocant. Ubi ad maturitatem pervenit, arescit caulis, fructusq; corticem pilosum nanciscitur agni instar. Qvi cortex pellis instar præparatur, eoq; contra frigoris injuriam utuntur. Moscovitæ hujus pellis frusta ex lectisternio decerpta nobis monstrârunt & dederunt, hujus fructus esse asseverantes.* Præter Philosophos alios ad conjecturas varias ambiguos plurima de agno hoc Scythico profert *Fortunius Licetus.*

TABACUM COMOSUM. In Japonia crescit, tenuissimìs qvibusdam filamentìs constans, coloris subfusci, de qvo plura adferunt *Ephemerides Germanorum Ann. Prim. observ: 153.*

NUX INDICA, cujus arbor Lusitanis *Coqvo* appellatur, ex Palmarum genere. Fructus est magnitudine suâ caput humanum qvandoq; excedens, cujus cortex crassus admodum est, & coloris modò subnigri, modò ad rubedinem tendentis, qvi involucro qvodam villosò & capillatò tegitur, ex qvo rudentes & funes navium apud Indos conficiuntur, qvemadmodùm apud nos ex cannabe. Intra corticem durum superiùs memoratum modò nucleus delitescit saporis grati, modò liqvor albicans natat, sapore suo emulsionem vel amygdalatum referens. Ex nucleo memorato trito lacteus liqvor ab Indis exprimitur, cui oriza & alimenta alia incoqvuntur, qvemadmodum & ex medullâ exsiccatâ ac torculari suppositâ oleum paratur tam lucernis, qvàm orizæ condiendæ inserviens. Refert *Linscotanus* navem cum omni apparatu ex arbore hunc fructum ferente confici sine ullo ferreo clavo, adeoq; vela ex foliis per fila culeolorum consutis, onus navium ex nucibus pro mercatoribus, cibum deniq; navigantium ex eadem arbore existere. Hinc cum utilitates tantæ ad genus humanum inde redundent, refugium pauperis, nux Indica Scriptoribus qvibusdam appellata est. Ex nucibus memoratis pocula & vascula varia, partim figuris elegantibus cælata, partim polita artificum manu, limbisq; argenteìs cincta, in Muséo hoc conspiciuntur.

NUX FAUFEL seu PAC vel ARECA Malabarensium. Fructus est coloris cinerei, substantiâ intus variegata , involucrò villosò & capillatò tectus,

 qvod

qvod cortex tenuis circumvolvit. Demtô involucrô nucem myristicam primo aſpectu refert. Maſticari freqventius ab Indis fertur, ut gingivarum vitia emendet, dentesq; vacillantes firmet. Colligata inter ſe folia villoſa, qvæ nucem cingunt, cocturâ ſuccum ſubminiſtrant rubrum admodùm ac generoſum, qvem exſugunt incolæ, adeò ut per diem totum rubra inde appareant labia, & halitus oris ſvaveolens exiſtat. Alius qvoq; fructus oblongior hìc conſpicitur, qvi ſubſtantiâ & colore nucem memoratam refert, qvem fructum palmæ cujusdam eſſe *Bauhinus* exiſtimat.

COCCUS MALDIVENSIS. Ex inſulis Maldivis fructum hunc ſubminiſtrantibus nomen ſortitus eſt. Longitudinem pedis unius cum dimidio, latitudinem verò pollicum qvinq; æqvat. Cortex hujus niger admodùm eſt, nitidus & ſplendens, parte anteriore in duos qvaſi lobos diviſus, figurâ qvodammodo ovali. Deſcriptionem ejus uberiorem proferunt *Garzias ab Horto* & *Carolus Cluſius* in Hiſt: Aromat: *In inſula Maldiva*, inqvit, *Linſchotanus, eximiæ ac ſingulares aliæ ſunt nuces, adverſus venena validæ, magnitudine ac colore nigro notabiles. Vidi ego oblatas Pro-Regi Indiæ capacitate duarum amphorarum æſtimatas ad 300 Pardauvos, qvæ Regi Hiſpaniarum in munus ſervabantur.* Fructum eundem tractatu peculiari deſcripſit accuratisſimè & depinxit *Augerius Clutius.*

FRUCTUS BOMBACIS ſeu GOSSYPII. Corticem habet coloris cinerei, qvi in partes tres, figuræ triangularis, qvandoq; dehiſcit, ſub qvo tomentum ſeu lana candida latet, qvæ ſemina nigra, medullâ albâ & pingvi, ſibi intermixta habet. In aſthmate & ægritudinibus pectoris variis ſemina memorata offerri ſolent. Arbor ipſa lanifera circa Bantam in Javâ inſula copioſè creſcit, tomentoq; memoratô impleri pulvinaria Indorum ex *Franciſco Roderigvez* Bengalenſi *Carolus Cluſius* refert, Exotic: lib: I.

CONUS CEDRI de LIBANO. Figuræ eſt oblongæ & qvodammodò pyriformis, ex ſqvamis tenuibus ac velut foliolis membranaceis compactus. Arbor ipſa Cedrus magna de monte Libano appellatur, procera valdè & patulis undiq; diffuſa ramìs. Lignum ejus, qvod à carie & ſenio immune creditur, in fabricâ templi Heroſolymitani à Salomone adhibitum eſt.

FRUCTUS AMERICANUS CACAO dictus. Amygdalum magnitudine æqvat, dulcis admodùm nec ingrati ſaporis. Ex fructu hoc potus conficitur Europæis hodie uſitatus Chocolate dictus, ſtrigoſis & macilentis expetitus. Nummorum loco ab Indis uſurpari fructum memoratum Scriptores referunt, ac pauperibus Americanis erogari.

FRUCTUS BRASILIENSIS ANDA dictus. Fructus eſt rotundus, teſtæ durioris, unâ extremitate acuminatus & in latere fisſuram habens. Deſcripta eſt arbor cum fructu à *Johanne de Laet* lib: 15. Ind: Occid: cap: 8. & *Marcgravio* Hiſt: Plant: lib: 3.

FRUCTUS Hiſpaniæ Novæ YECOLT appellatus. Arbor, in qva creſcit, Hiſpanis Palma Montenſis appellatur. Fructus ipſe oblongus eſt, & multìs velut ſqvamis, in medio nonnihil compreſſis ac imbricum modô diſpoſitìs, conſtans.

FRUCTUS AMERICANUS AHOVEI ſeu AGVAY dictus. Figuræ eſt qvodammodo triangularis, magnitudine caſtaneæ minoris. Fructus venenatus admodum perhibetur, qvo inimicos ſuos perimunt Indi, & maritos inprimis fœminæ protervæ. Ex corticibus fructûs memorati filo connexis monilia qvoq; effingunt, qvæ cruribus infra ſuras circumligant, ut inter ſaltandum ſonum ſtrepitumq; edant.

FRUCTUS ACAJOU, ſeu CAJOS *Linſchottani*. Figurâ ſuâ anacardium æmulatur, aut caſtaneam phaſeoli vel renis formâ, coloris cinerei. Cortex craſſus admodùm & intus ſpongioſus oleum continet mordax & cauſticum, qvod cuticulæ illitum veſiculas cum pruritu ingenti excitat, adeoq; ſi confringatur dentibus cortex, labia & lingva partesq; circumjectæ protinus intumeſcunt & inflammationem patiuntur. Nucleus renis qvoq figuram habet, coloris albicantis, pelliculâ flavâ veſtitus, qvæ ſeparanda, & toſtus ſapore ſuo caſtaneis præcellit. Arborem fructus hujus Acajaiba Braſilienſibus appellari *Marcgravius* tradit, qvæ in altitudinem fagi aſſurgit & patulis in immenſum diffuſa eſt ramis. Vim cauſticam olei in cortice latitantis hìc Hafniæ experta eſt Fœmina illuſtris, cùm corticem unum alterumve joci cauſſâ manui ejus amicus qvidam applicuiſſet, primò leves qvædam in cuticula aſperitates, herpeti non diſſimiles, apparuerunt, aliqvo pòſt interjecto tempore, intumuit manus, brachium, totumq; deinde latus, & veſiculæ copioſæ, velut ichorem fundentes per corpus hinc inde ſparſæ tantum excitârunt dolorem, ut, accedente demum febre, è faucibus orci vix evaſerit. Adhibitis maturè Bedzoarticis & alexipharmacis, præter illa, qvæ ars Chirurgica ſubminiſtrat, ferocia mali demum repreſſa eſt.

PIPER ÆTHIOPICUM. Incluſum eſt, firmiterq; annexum ſiliqvis rotundis minoribus, velut in racemum coagmentatis, qvæ coloris nigricantis exiſtunt. Utuntur Pipere hoc in compeſcenda odontalgia Æthiopes.

CARDAMOMUM MAJUS, qvod ficus minoris magnitudinem ferè attingit, à *Cordo* & *Cluſio* deſcriptum. Triplex inprimis Cardamomum Europæis innotuit, majus nempe, minus & medium. Minus piſi magnitudinem, medium verò nucis avellanæ æqvat. Pro Cardamomo medio grana Paradiſi perperam à nonnullis ſumuntur, cùm ad fidem lingvæ piperis potius naturam æmulentur.

PANES duo ex cortice qvodam, qvi SAGRE Indis appellatur.

Species variæ CUCURBITARUM ex India Orientali, qvæ vulgò Calabaſſa appellantur. Harum aliæ lagenariæ dictæ, qvæ ventricoſæ admodùm ſunt, & aliqvot menſurarum capaces; aliæ ſuperficie externâ ad flavedinem tendentes colli longi & anguſtioris; aliæ deniq; pyriformes, coloris lutei. Ex cucurbitis memoratis pocula & vaſa varia efformata in Muſéo hoc conſpiciuntur.

CASSIA FISTULARIS ex Camboja. Hæc caſſiâ illâ communi, qvæ purgatrix vulgò appellatur, ſeu ſolutiva, officinis pharmaceuticis notâ, vel triplo craſſior eſt, nigrâ exteriùs veſtitur tunicâ, qvæ ſqvamatim dehiſcit, inprimis circa nervum grandiorem, qvæ inferiorem ſiliqvæ partem perreptat, nec omni ex parte teres eſt hæc fiſtula, ſed paululum compreſſa; qvæ intervallis ſepto qvodam diſtinctis pulpam nigricantem abſcondit. Longitudinem hæc pollicum ſedecim æqvat.

PHASEOLUS NIGRITARUM cum ſuo lobo, in qvo, velut cellulis diſtinctis, fructus continentur.

FABA INDICA, qvæ COR DIVI THOMÆ appellatur. In inſula Sancti Thomæ & regionibus qvibusdam Africæ provenire fertur. Durò admodum craſſoq; eſt cortice, coloris ex cinereo fuſci, aut qvalis caſtanearum eſſe ſolet. Ea parte, qvâ lobo adhæſerat, impreſſum qvaſi ſtigma ſeu cavitatem oſtendit, cordisq; figuram qvalis à Pictoribus repræſentari ſolet, qvodammodò refert.

FABÆ variæ INDICÆ & PHASEOLI magnitudinis diverſæ, qvorum a-

lii flavi, cinerei, fuſci, alii colore rubro & coralliis æmulo oculis blandiuntur. Horum qvoq; nonnulli cæteris majores, maculis nigris conſperſi ſunt & limbo qvodam nigricante cincti. Ex minoribus filo trajectis armillas parari contra inſultus Epilepticos *Cluſius* refert.

ROSA HIERICHUNTINA. Circa ſinum Arabicum hanc creſcere doctiores tradunt, nunqvam verò circa Hierichuntem reperiri, adeoq; ab imperito qvodam Monacho nomen ſortitam. Corpus qvoddam lignoſum eſt, ramulis freqventibus implicitum, qvibus in extremitate coeuntibus & incurvatis figuram qvodammodo pyriformem acqvirit. Ramuli memorati aqvæ immiſſi ſenſim dehiſcunt, & qvovis alio tempore, ubi aër humidior exiſtit.

FRUSTUM ARUNDINIS INDICÆ maximæ, qvæ BAMBUS ſeu JUNCUS INDICUS appellatur; craſſitie inſigni & vaſtis hinc inde internodiis. Naſcitur arundo hæc Indica in tractu Indico Malabarenſi, inprimis circa Caromandel. In civitate Bantam cuncta ædium ſublicia ex arundinibus his induſtria artificum fiſſis & aſſulatim diſſectis, conſtare Scriptores rerum Indicarum memorant; qvemadmodum & naviculas viris duobus capiendis aptas confici.

GERMEN qvoddam MARINUM MILLEPORA IMPERATI dictum, qvod ramos plurimos junctim demittit, obtuſos, æqvales, & in extremitate poroſos.

GERMEN aliud MARINUM RETEPORA IMPERATI dictum. Coloris eſt ex albo flaveſcentis, qvod foraminibus infinitis pervium ac modis variis hinc inde criſpatum rete exiguum qvodammodò refert.

FUCUS VERRUCARIUS ſeu FRONDIPORA vel ESCHARA MARINA IMPERATI. Planta marina eſt, qvæ in ramulos multos ac tenues ſpiſſè dividitur, ſubſtantiâ qvadam coriaceâ tectos, in latitudinem expanſos & qvaſi verrucis obſitos.

CORALLII ALBI & RUBRI ſpecies innumeræ, qvæ partim ramorum divaricatione, partim nitore ac colorum varietate oculos intuentium paſcunt.

CORALLII NIGRI ramus per anfractus varios & circumvolutiones aſcendens.

CORALLIUM ALBUM ſeu LACTEUM, fiſtulis variis ac foraminibus pervium. Corallium album fiſtuloſum Imperatus appellat.

CORALLIUM ALBUM GENICULATUM, qvod lineis obliqvis & contortis, per longitudinem excurrentibus, hinc inde inſignitur.

ARBUSCULÆ variæ MARINÆ CORALLOIDES, qvarum aliæ ramos ſpargunt innumeris tuberculis refertos, coloris rubri, aliæ cortice albicante obductæ & materiâ intus fungoſâ plenæ.

ALCYONIA, qvod fruticum marinorum inſtar in mari proveniant, huc qvoq; referuntur, figuris variis inſtructa, conſiſtentiæ plerumq; ſpongioſæ ac foraminibus plenæ, coloris ut plurimùm vel rubri vel purpurei.

LOCULI rebus variis referti, qvæ in officinis pharmaceuticis vulgò recondi ſolent.



SE-



SECTIO VII.

Metalla, Lapides & Lapidefacta, Terræ, Succi concreti etc:

MINERA AURI ex tractu Cremnicensi Ungariæ.

MINERÆ duæ AURI è fodinis Norvegiæ erutæ, qvarum una intermixtam sibi materiam habet, qvæ Qvartzum metallurgis appellatur, altera pyritis speciem, qvæ Kies vulgò dicitur. anno 1644 rei metallicæ in Norvegiâ Præfectus mineram qvoq; auri in tractu Necnesensi prope portum Arendalensem invenit, nigram & talcosam, *referente Wormio.*

AURUM ex fodinâ qvadam, prope *Regiomontum* Norvegiæ allatum, anno 1687.

AURUM purum & statim suum, vulgò Gediegen/ ex fodinis Ungariæ, cui immixta materia, qvæ Qvartzum dicitur.

SILICES duo minerâ auri ex Gvineâ obducti.

MINERA ingens ARGENTI ex fodinis Norvegiæ, qvæ pedum qvinq; & pollicum sex longitudinem æqvat, crassitiem verò in circumferentiâ pedum qvatuor; Anno 1666 d. 24 Augusti ex fodinâ Norvegiæ Regiomontanâ, qvæ NOVÆ SPEI appellatur, vulgò Ny Forhaabnings Grube/ extracta est, 560 librarum pondere, & à Præfecto fodinæ memoratæ pretio 5000 Imperialium æstimata. Huic non dissimilis massa Anno 1630, regnante in Dania Divo *Christiano Qvarto*, ex fodinâ Norvegicâ, qvæ Benedictio Divina, vulgò Segen GOttes / appellatur, eruta est, qvæ 3272 Imperialium pretio æstimata fuit, cujus figura in choro Templi Montis Regii, vulgò Kongsbergs, depicta, oculos curiosorum hactenus in se convertit.

ARGENTUM purum & qvod statim suum est, ut voce metallurgorum

 utamur

utamur, vulgò Gediegen/ ex Norvegia allatum, qvod libras undecim pondere æqvat.

ARGENTUM generis ejusdem ex fodinis Norvegicis, ſeptem librarum pondere.

ARGENTUM purum CAPILLARE, qvod ductibus plurimis & anfractibus capillos intortos æmulatur.

ARGENTUM RAMOSUM ex fodinis Norvegiæ, qvod ramos ſurculosq; plexibus variis luxuriantes figurâ refert.

MINERÆ qvatuor ARGENTI, qvas manu propriâ ex fodinis Norvegiæ anno 1685 extraxit Rex noſter Auguſtiſſimns *Chriſtianus Qvintus*.

ARGENTUM RUDE coloris nigricantis, cui Galena, vulgò Blende/ coloris plumbei intermixta eſt.

ARGENTUM RUDE nigrum, Sort Sølf- Ertz, cui Galenæ aliqvid admixtum, cum crebris argenti candidi ſcintillis hinc inde emicantibus.

ARGENTUM purum, & qvod ſtatim ſuum eſt, coloribus variis diſtinctum, ex Spato, ſeu marmore metallari, ut fodinarum inſpectoribus dicitur, protuberans.

MINERA, qvæ argentum tàm purum, qvàm rude puniceum, vulgò rød gylden Ertz/ hinc inde continet.

MASSA ARGENTI puri & ſtatim ſui, qvod ex baſi latiore varios ramos ſurculosq; juxta truncum craſſiores emittit, in extremitate plexibus variis ſibi implicatos & ſenſim gracileſcentes.

ARGENTUM CRISPATUM, qvod fruticem ramuſculis denſis virgulisq; ſibi invicem incumbentibus refert.

VARIÆ aliæ ARGENTI PARTICULÆ elegantes & ferè innumeræ, qvarum nonnullæ Galenâ, Qvartzô, Pyrite, alabaſtrô, chryſtallis, amethyſtis, Talcô, rebusq; variis permixtæ, aliæ ſine omni lapidis, metalli, aut venæ permixtione, modò cirrhos capillorum intortos, modò fruticum ramos, modò cornua inflexa, hamos incurvos, ſerpentes & Dracones figurâ ſuâ repræſentant. Harum pleræq; ex fœcundis Norvegiæ fodinis allatæ ſunt.

ARGENTUM RUDE FOSSILE ſui coloris, vulgò Gediegen Sølf-Ertz/ extuberantiis variis præditum, cui alabaſtrum niveum & ab unâ parte argenti rudis purpurei portio admixta.

ARGENTUM RUDE coloris plumbei, vulgò Glaß-Ertz/ qvod plumbaginem, aſpectu primò, æmulatur, colore luteo in partibus variis perſperſum.

ARGENTUM RUDE nigrum, cui per incumbentes velut philyras ſeu bracteas argentum purum ſociatur, pyritis ſpecie hinc inde intermixtâ, qvæ Kies metallurgis dicitur.

MINERA ÆRIS ingens, ex fodinis tractus Norvegici, qvi Norlandia appellatur, 272 librarum pondere.

MINERA ÆRIS violacea, Bruun-Ertz metallurgis, cui pyritis aurei intermixtæ particulæ.

PYRITES AUREUS TESSELATUS, maculis purpureis ac hyacinthinis hinc inde diſtinctus, ex Oſterdalia Norvegiæ.

PYRITES

PYRITES AUREUS MAMMILLARIS. Ex globulis variis ſibi invicem annexis conſtat, parte tàm externa tam interna colorem fulvum metallicum reddens. Aliis botryoides dicitur.

Variæ ÆRIS FERRIQVE MINERÆ, qvarum ex Norvegia pleræq;, ex Ungaria & Germania aliæ allatæ. Harum nonnullis velut ſcintillæ aureæ interſperſæ, aliis venæ pyritis aurei teſſelati, aliis Qvartzi, Talci, Argentiq; immixtæ partes.

MINERA PLUMBI cum intermixto ſibi argento ex tractu Tyrolenſi.

MINERA STANNI, cui tantillum æris mineræ admixtum, ex monte Miſniæ, qvi Zwitter appellatur.

MINERA STANNI ex Sclaccovaldia Bohemiæ.

MINERA STIBII ſeu ANTIMONII ex fodinis auri in tractu Ungariæ, qvod ſtriis longisſimis præſtantiam arguit & obſcura qvadam flavedine ſulphuris abundantiam teſtatur.

AMIANTHUS ſeu ASBESTUM. Materia eſt alumini Schiſto non disſimilis, coloris ad viriditatem obſcuram tendentis, floccis qvibusdam ſeu filamentis tenuibus, qvæ plumas referunt, hinc inde veſtita. Ex materia hac contextæ chartarum plagulæ hìc conſpiciuntur, qvæ igni injectæ comburi neqveunt. Tentatò qvippe experimentò, carbonibus ignitis immiſſa harum fruſtula, ſpatio temporis protractiore, illæſa poſtea vidimus, affuſo licèt, ad augendum flammarum impetum, oleò copioſo. Et licèt inter amplexus ignis mutare colorem viſa ſint & qvodammodò igneſcere, extracta tamen, ubi refrixerant, colorem albicantem magìs qvàm antea ac ſplendentem induerunt, deletìs ſaltem characteribus ſeu literis qvæ inſcriptæ fuerunt ac parte aliqva ponderis ſui diminuta. Parantur qvoq; à curioſis aliis ex materia memorata contorti funiculi, mappæ & mantilia, qvæ non ſaltem vim ignis eludunt, verùm &, ubi ſordibûs inqvinata fuerint, puriora multò ac ſplendidiora evadunt, poſtqvam inter amplexus ignis delituerint. Meminit, præter antiqvos alios, lini Asbeſtini *Plinius* qvod libr. 19. c. 1. linum vivum appellat. *Inventum jam etiam*, inqvit, *eſt linum, qvod ignibus non abſumitur, vivum id vocant ardenteſq́; in focis conviviorum ex eo vidimus mappas, ſordibus exuſtis ſplendeſcentes igne magis qvàm poſſunt aqvis. Regum inde funebres tunicæ corporis favillam à reliqvo ſeparant cinere; naſcitur in deſertis aduſtisq́; ſole Indiæ, ubi non cadunt imbres, inter diros ſerpentes, aſſvevitq́; vivere ardendo, rarum inventu, difficile textu propter brevitatem, vocaturq́; à Græcis Asbeſtinum ex argumento Naturæ.*

JASPIS VIRIDIS, cui maculæ rubræ & flaveſcentes interſtinctæ. Ex eadem capulum pugionis efformatum & eleganter politum hìc conſpicitur.

FRUSTUM ingens JASPIDIS ORIENTALIS.

MINERA SMARAGDI ingens, qvam attulit ſecum ex Italiâ *Gyntelbergius*, Mechanicus qvondam Daniæ ingenioſus. Pars ima velut marmorea eſt colore qvaſi cinereo, ſed ſubobſcuro, conſperſa. In parte ſupremâ viriditate inſigni Smaragdi conſpiciuntur & coloris elegantia oculos intuentium paſcunt.

MINERA TURCOSII, qvam attulit ſecum *Gyntelbergius* memoratus.

ACHATES varii, colore ac figurâ diverſi. Pleriſq; illorum cryſtalli innati conſpiciuntur. Horum elegantisſimus hìc in Selandiâ repertus eſt, coloris corallini velut lineis albis interſtincti. Achates præterea plures hìc conſpici-

 untur

untur annulis inclusi, qvibus incisæ arborum figuræ, artificio summo ductuq; subtilissimo.

CHALCEDONII species diversæ. Qvidam oblongus est, coloris aqvei & velut nubecula obducti, alius venis rubris interstinctus, aliusq; deniq;, ex insulis Feroensibus allatus, velut ex grandinibus compactus cum albicante in centro nubecula. Minores qvoq; alii figuræ Sphæricæ, coloris albi, nubeculis interpersis, in Insulis prædictis juxta littora reperti, hìc conspiciuntur.

PSEUDO-ADAMANTES varii tam Norvegiæ qvam Bohemiæ & Hungariæ. Cùm duritiem ac splendorem adamantum propriè dictorum non attingant, ad crystallos potiùs à sagacioribus referuntur. Pseudo-adamantum mineræ qvoq; plures hìc asservantur.

GRANATI NORVEGICI. Coloris sunt obscurè rubri, sed politi, angulis seu lateribus duodecim plerumq; instructi & vena Talci non rarò infecti. Minera qvoq; ipsa, cui agmine conferto infixi reperiuntur, Talco non dissimilis est.

GRANATI BOHEMICI. Prædictis multò minores sunt, sed coloris magis ignei, splendentis ac diaphani. Vi præciptante & humores acidos absorbente pollent, unde Electuaria, cardiaca vulgò dicta, ingrediuntur.

MINERA ingens AMETHYSTI, qvæ colore purpureo ac ferè violaceo oculis admodùm blanditur. Amethysti qvoq; Norvegici hìc asservantur, qvi duritie tamen Orientalibus cedunt,

LAPIS VERSICOLOR, qvi admixtam sibi mineram hyacinthi habet.

LAPIDES varii BEDZOARTICI tam ORIENTALES qvám OCCIDENTALES. Illi ex India Orientali, tractu Chinensi ac regionibus vicinis adferuntur, in capræ silvestris specie generati, hi verò ex America mittuntur, in caprâ qvadam montanâ Peruviæ reperti. Orientales crustam habent splendidam ac lævem, coloris ex nigro cinerei, & figuræ plerumq; oblongæ, effigie glandis. Crusta verò Occidentalium plerumq; fulva aut cinerea, sed minùs splendida conspicitur, & facie internâ coloris subalbi, velut ex fibris composita. In morbis malignis debellandis lapides prædicti, inprimis Orientales, adhiberi solent, vi alexipharmacâ instructi. Majorem prætetea cum spiritibus acidis effervescentiam Orientales cient qvàm Occidentales.

PERLÆ NORVAGICÆ, qvarum nonnullas magnitudo insignis, qvandoq; etiam splendor illustris ita commendat, ut Orientalibus vix cedere videantur. Pleræq; autem lactescunt aut splendorem argenteum habent. In ostreis qvoq; & mytulis Daniæ, inprimis juxta sinum Röeschildiæ, Isefiord dictum, copiâ insigni qvandoq; reperiuntur, sed minores prædictis ac impuriores. Humores interim acidos æqvè potenter ac Orientales illæ absorbent & concentrant, ubi in pulvisculum rediguntur.

LAPIS NEPHRITICUS. Italis *del fianco*, Germanis Lenden helffer appellatur, qvòd ad provocandam urinam restitantem & calculos ac arenulas exturbandas in regione lumborum gestari soleat. Coloris est obscurè viridis, &, qvod signum est notæ melioris, ad digiti tangentis ductum vestigia qvasi pingvedine obducta ac oleosa relinqvit. De lapide hoc diuretico tractatum integrum jam olim conscripsit celeberrimus noster *Casparus Bartholinus* Senior.

CRY-

CRYSTALLUS MONTANUS Norvegiæ. Elegans hic planè eſt ac pellucidus, formâ hexagonâ in mucronem deſinente.

CRYSTALLUS ingens in mucronem ſexangulum turbinatus.

MINERÆ CRYSTALLORUM variæ, é rupibus Norvegicis, in qvibus reperiuntur, abruptæ, cryſtalliſq; magnitudine ac figurâ diverſis refertæ.

CRYSTALLUS TRIANGULARIS, cui incluſæ ſtipulæ.

CRYSTALLUS ISLANDICUS. Figura eſt Rhombi vel Rhomboidis priſmatis, nec tantùm corpori integro hæc obtigit figura, ſed & partes ſingulæ fruſtillatim diſtractæ eandem obtinent. Incolæ Islandiæ & mercatores noſtrates cryſtallum hunc in variis regionis iſtius locis reperiri affirmant, inprimis verò ex monte præalto, propè ſinum Roerfiord à foſſoribus erui, montiſq; ejusdem ad Auſtrum vergentis ſuperficiem totam exteriorem ex materiâ hac compoſitam eſſe. Circa corpus hoc cryſtalloides experimenta plurima primus tentavit ſagaciſſimus noſter *Eraſmius Bartholinus*, in opuſculo nervoſo, anno 1669, congeſta.

LAPIS BUFONIUS, aliis CHELONITES, Italis del ROSPO, qvem à bufonibus antiqvis eructari vulgus falſò exiſtimat. Coloris eſt ex fuſco pallentis, parte externa convexus, interna leviter concavus. Credibile potius eſt cranium bufonis antiqvi induratum eſſe. Tumores & inflationes corporis à contactu & affrictu lapidis hujus compeſci, experientiâ allatâ, in Muſéo ſuo *Wormius* teſtatur.

ASTROITES ſeu lapis ſtellaris ingens, qvadratus. Lapis eſt coloris fuſci, velut ſtellulis nigricantibus inſignitus, qvi aceto vel liqvoribus aliis acidis immiſſus circumrotatur, qvemadmodum in aceto lapides gammarorum & corpora varia teſtacea, qvæ ſale Alkali abundant; adeoq; cum acidis efferveſcunt.

LAPIDES AETITES, colore, figura ac magnitudine diverſi. Qvidam coloris lutei ſunt, figuræ rotundæ, qvorum cortex exterior inæqvalitatem qvandam ac ſcrabritiem habent. Alii figuræ qvoq; rotundæ ac ſphæricæ, ſed coloris nigricantis, magnitudine pilæ minoris luſoriæ, nonnulli deniq; coloris ferruginei, figuræ qvodammodò ovalis. Continent in ſe margam ſeu materiam qvandam, Callimum ſcriptoribus dictam, qvæ in pleriſq; concuſſis reſonat. De lapidibus memoratis fusè admodùm *Plinius*, *Anshelmus Böetius*, *Wormius*, alii.

BRONTIÆ ſeu OMBRIÆ. Lapides ſunt hæmiſphærici, coloris cinerei, qvandoq; etiam fulvi, per qvorum ſuperficiem convexam ab apice ad baſin lineæ ut plurimùm qvinq; decurrunt, qvæ punctis qvibusdam, ſeu potiùs circellis decorantur. Noſtratibus Spadei-ſteene appellantur. Horum unus favum non ineptè refert ex cerâ candidâ virgineâ effictum, velut baſi lapideæ inſiſtentem, adeoq; Brontias favogineus appellari ſolet.

LAPIDES CERAUNII magnitudinis diverſæ, qvi partim cuneos majores, partim haſtarum cuſpides, malleos, clavas, ſecures repræſentant. Tela Jovis ſeu lapides fulminares appellantur, qvòd cum fulmine in terram decidere à vulgo credantur. Subſtantia interim ad ſilices accedunt, graves admodùm ac ponderoſi, coloris qvandoq; lutei ac ſplendentis, qvandoq; cinerei aut ex luteo ſubobſcuri. Qvidam illorum foramen in medio habent, qvod pollicis craſſitiem excedit. Credibile eſt in bello ad percutiendos

dos hoſtes ab Antiqvis uſurpatos fuiſſe, vel ad findenda ligna aut res alias. De genere interim pyritum eſſe videntur & ſulphuris abundantiam teſtari.

OSTEOCOLLA, ſeu OSTEOLITHUS. Margæ ſpecies videtur, coloris cinerei, ſuperficie ſcabrâ & inæqvali, oſſis concavi figuram plerumq; exhibens, qvæ ad fracturas oſſium conglutinandas & generandum inprimis callum adhiberi ſolet. Germanis Bein-bruch appellatur. Subſtantiæ admodùm duræ eſt & compactæ, qvæ menſtruis, etiam acerrimis, vix diſſolvitur.

GLOSSOPETRÆ variæ, magnitudinis diverſæ. Lingvas lapideas nonnulli appellant, qvòd ſerpentum lingvas petrificatas eſſe exiſtimant. Figuræ ſunt triangularis, baſi craſſiore, corporis parte reliqvâ glabrâ admodùm & leviter ſplendente, crenis qvibusdam ſeu denticulis ad latera inciſis, coloris qvandoq; ex flavo albicantis, qvandoq; ſubcærulei. Gloſſopetras has dentes canis Carchariæ petrificatos eſſe, præter eruditos alios, *Steno* exiſtimat.

SAXUM, in qvo literæ ſeqventes conſpiciuntur, JUL: C: IMP: REX R: SEM: AUG.

BELEMNITES ſeu DACTYLUS IDÆUS. Lapis eſt teres & oblongus, qvi in apicem obtuſum terminatur, coloris plerumq; palearis aut ſuccino æmuli, interdum cinerei, albi, nigri & fuſci, lineis ſeu radiis inſtructus à medullâ ad circumferentiam ſeu extremitates ductis. Qvibusdam Lyncurius appellatur, inprimis qvi ſuccinei vel aurei eſt coloris, qvòd ex urina lyncis coagulatâ oriri ab Antiqvis exiſtimetur. Eruuntur lapides tales copiâ ingenti in inſulâ Monâ, Selandiæ noſtræ vicinâ, inprimis ubi aratrô proſcinditur terra, ſigno manifeſto ex urinâ lyncis non prodire lapides prædictos, cùm nunqvam in Inſulà hac conſpecti fuerint Lynces.

CORNU AMMONIS. Lapis eſt inſtar cornu arietini intortus ac circumvolutus, ſtriis plurimis ac rugis per tranſverſum decurrentibus inſtructus, coloris nigricantis, ſubſtantiæ duræ ac ſiliceæ, in ambitu partis exterioris velut criſtam habet, qvæ inſtar contorti funis per longitudinem excurrit. Inter ſacratiſſimas Æthiopiæ gemmas à *Plinio* refertur

HÆMATHITES ingens & ponderoſus. Lapis hic, qvi mineræ Martis puriori non diſſimilis, naturæ eſt planè Martialis, & partim adſtringit fortiter, partim humores acidos & corroſivos, morbosq; inde chronicos dependentes infringit. In omni præterea hæmathite ferrum reperitur, qvod violentiâ ignis Fortiſſimi freqventer extrahitur. Artificialem qvoq; hæmathiten, naturali ſimillimum, ex ſaccharo Saturni & vitriolo Martis invicem mixtis ac per retortam ſublimatis emergere ſagaciores nôrunt.

LAPIS VIOLAS REDOLENS. Coloris eſt cinerei, flaveſcentibus qvibusdam maculis conſperſus, qvi ex monte Calenberg in Miſnia erutus eſt. Meminit lapidis hujus Agricola de Nat: foſſ: lib: 5. *Verùm*, inqvit, *non ipſi ſolùm* (de Miſenis Æ titibus loqvitur) *ſvaviter olent, ſed etiam tum ſaxi in Calenbergo ad Aldenburgum reperti fragmenta, tum ſilices in Berningero monte, in confiniis Miſniæ & Bohemiæ ſito.*

MAR-

MARMOR FLORENTINUM variegatum. Coloris eſt ex cinereo in flavum inclinantis, in qvo velut urbium rudera ac ædificia turriumq; prærupta conſpiciuntur, ſummo Naturæ ludentis artificio. Ex marmore hoc Tabulæ variæ, globi minores & plura alia effícta hìc conſpiciuntur.

Species marmoris OPHITIS ſeu SERPENTINI, qvod Zeiblicium Miſniæ appellatur. Coloris eſt obſcurè viridis, maculis nigris diſtincti, ex qvo pocula, pateræ, & id genus alia efformata hìc aſſervantur. Ad diſſipandam Colicam loco dolenti calidè vulgò imponitur.

PUMEX ex monte Æthna Siciliæ, coloris ex cinereo lividi.

PUMEX SYRACUSANUS ex monte Vulcani, coloris ex cinereo albicantis.

PUMEX, coloris nigri, ex monte ignivomo Islandiæ Hecla dicto.

LAPIS, qvi membrum virile cum ſcroto exactisſimè refert.

LAPIS DURUS formâ domunculæ, ex ſtillicidiis aqvarum artificioſè compoſitus, qvem ex Inſulis Feroenſibus attulit *Dn: Lucas Debes*, Præpoſitus qvondam Feröenſis. Tam exterior paries qvam inferior ex guttis compactus viſitur. Interior cavitas columnas ſeptem, velut cruſtoſas, habet, qvæ baſin ſeu radicem infimam penetrant, ex laminis compactam.

STALACTITES ex thermis Carolinis. Maſſa eſt ex cruſtis variis flavis & albicantibus concreta, mollis admodum & friabilis. Qvidam circa ramum arboris concretus eſt, alius generis ejusdem major uvam petrificatam refert.

STALACTITIS ſpecies elegans, qvæ Tibuli in Italia reperitur, & qvòd amygdalas ſaccharo obductas exactè referat, confetto di Tivoli Italis appellatur.

STALACTITES minores ſeu PISA CAROLINA. Ità dicta, qvòd in thermis Carolinis freqventiùs reperiantur & magnitudine ſuâ ac colore piſa qvodammodò æmulentur.

STALACTITES alii, qvi partim ſtirias referunt, partim in guttulas rotundas concreti ac velut pyriformes.

LAPIS, qvi columbam refert, planus ac coloris cinerei, ſuperficie glabrâ & æqvali ex diſtrictu Nidroſienſi miſſus.

LAPIDES varii, coloris ſubflavi, qvi parte internâ chryſtallorum angulis & velut adamantibus referti.

ECHINITES ſeu ECHINUS marinus non ſpinoſus, in lapidem converſus.

CONCHITES varii ſeu lapides, qvi conchas referunt, ſtriis per transverſum eorum corpus, parte convexâ, ambientibus. Inter hos ingens qvidam eſt ex agro Veronenſi.

FUNGITES ſeu BOLETI vel FUNGI lapidefacti, qvemadmodum & tubera varia.

BUCARDIA. Petra eſt, qvæ à figura & magnitudine, qvâ cor bubulum refert, nomen ſortita eſt. Deſcripta eſt fuſiùs à *Ferrando Imperato* libr: 24 cap. 26.

OSTREA,

OSTREA, MYTULI, BALANI & PECTUNCULI varii petrificati.

PANES ſex rotundi in lapides converſi. Horum unus in Templo Herculis in Siciliâ repertus eſt, odorem farinæ referens. In Muſéo Franc: Calceolarii Veronenſis duo ejusmodi conſpiciuntur, qvorum unus ſecalinus eſt, alter miliaceus.

CONCHA ſtriata lapidefacta, in cujus cavitate chryſtalli pellucidi & angulati conſpiciuntur.

FAGI, FRAXINI, QVERCUS ac TILIÆ ligna ac rami varii arborum petrificati. Palos & ſublicas fagi, ubi continuè aqvis immiſſæ, ſaxeam demum duritiem acqvirere in confeſſo eſt, unde ædificia varia, qvæ in mari vel aqvis aliis exſtruuntur, fulcris paliſqꝫ faginis vulgò ſuperſtrui ſolent.

MASSA ex cochleis, conchis minoribus ſtriatis, pectinibus & lapillis variis ac ſilicibus compacta & ſimul cum contentis rebus petrificata, qvæ in tractu Lisbonenſi reperta eſt.

LAPIDES duo, qvi piſcium figuras ſibi impreſſas repræſentant.

CANCER PAGURUS & PISCES alii cruſtacei, qvi pondere ſuo ſe lapidefactos teſtantur.

HIPPURIS ſeu EQVISETUM ingens petrificatum. Aliud qvoqꝫ hìc conſpicitur, qvod parte dimidia molle eſt, alterâ cruſtis lapideìs obductum.

TUBULI VERMIUM ac SIPHUNCULI maris lapidefacti.

PORTIO INTESTINI RECTI petrificata.

MALUM CITRIUM FRUCTUSQVE alii lapidefacti.

XYLO-ALOES fruſtum ingens, ex Indiâ Orientali, petrificatum.

DENS MOLARIS ELEPHANTI petrificatus.

TESTACEA & CRUSTATA alia innumera, qvæ vel conchæ teſtæqꝫ naturales ſunt, poroſqꝫ ſucco petrificante ac adſcititio repletos habent, adeoqꝫ colore, pondere ac impoſitis ſibi teſtarum laminis dignoſcuntur, vel corpora alia lapidea planè, qvæ figurâ qvidem & magnitudine conchis ſimilia ſunt, ſed impreſſam ſibi ſaltem figuram obtinent à contactu & ſuperficie teſtarum, qvæ, injuriâ temporis aut ſucco terræ acrioris poſtea exeſâ, materiam contentam priùs texerant.

GUMMI QVODDAM PECULIARE, qvod omni anni tempore eandem ſemper conſiſtentiam ſervat, & qvocunqꝫ demum modo vel compreſſum vel elongatum, vi qvadam elaſticâ priſtinæ protinùs reſtituitur figuræ, qvæ conum truncatum repræſentat. Coloris eſt obſcurè flaveſcentis & in medio ejus, ubi luci obtenditur, bulla qvædam pellucida conſpicitur: Pondere eſt unciæ unius & drachmarum qvinqꝫ. Machinæ pneumaticæ Boyleanæ incluſum, extracto äere ambiente, tantillùm intumeſcit & conſpicua in medio bulla admodum dilatatur.

FRUSTUM SUCCINI, Anno 1687 d. 12 Auguſti, in Inſula Amagria ad profunditatem viginti pedum è terra effoſſum, qvod uncias tredecim cum dimidiâ pendet.

FRUSTUM GENERIS EJUSDEM majus, anno 1665 in foſſis Hafnienſibus juxta portam ſeptentrionalem repertum, qvod uncias qvadraginta pondere

dere suo æqvat. Notabile inprimis fuit, in effossione succini ex fossis novis urbis Regiæ Hafniensis deprehensa ubiq; fuisse ligni nigri, ebeno non dissimilis, fragmenta, qvibus sociatum fuit succinum firmiterq; qvandoq; adhærens.

FRUSTUM adhuc MAJUS anno 1681 in locis, Calleboerne vulgò dictis, Hafniæ effossum, qvod uncias qvinqvanginta pendet.

VARIA SUCCINI FRUSTA, qvibus inclusæ muscæ, culices, araneæ & insecta alia, signo manifesto, fluidum primò ac molle extitisse succinum, qvod tractu demum temporis induratum inviscatis antea bestiolis, & velut in glutine detentis, exitum denegavit. Lacertam qvoq; succino inclusam habuit qvondam Augustissimus Rex Daniæ, *Divus Fridericus III.* Frustum præterea succini ingens, in qvo natavit liqvor seu gutta fluens, monstravit hactenus curiosis *Jvarus Schöller, Consul apud nos Christiano-Hafniensis,* motus autem guttæ, sursum elevato electro, conspicuus fuit, efformantis primò figuram globosam, mox in progressu oblongam, ac deniq; planam.

TERRA MELITENSIS, coloris albi ad cinereum vergentis. Ab unâ parte hæc leguntur. S. CECILIA O. P. N. Conspicitur præterea effigies Divi Pauli librum sub brachio gestantis & in manu calamum. Sub pedibus ejus G. B. PAULI. Ab alterâ parte: H. W. H. Z. S. IN MALTA L' ANNO MDCXXI.

TERRA GENERIS EJUSDEM alba, in cujus parte unâ navis conspicitur, mari exposita, alterâ verò effigies Monachi Christum cruci affixum adorantis. Terra hæc liqvoribus acidis commixta effervescentiam notabilem ciet.

BOLUS TOCCAVIENSIS, ex Transylvaniâ allatus, qvi pingvis valdè ac oleosus, notasq; veri boli Armeniaci ostendit.

TERRÆ ARABICÆ luteæ PASTILLI orbiculares, qvi literas Arabicas sibi impressas habent, pingves admodum ,& ad contactum digitorum lubrici, si offerantur lingvæ, cui fortiter adhærent, stiptici & adstringentes.

TERRA SIGILLATA LEMNIA alba a. 1639. B. Sig. terræ Lemniæ Cong.

TERRA SIGILLATA alba, figuræ qvadratæ. Effigies Christi cernitur, qvi à Johanne baptizatur.

TERRA SIGILLATA LEMNIA rubra. In hac aqvila divisa conspicitur.

TERRA SIGILLATA lutea LEGNICENSIS, in cujus medio aqvila alis pedibusq; extensis exhibetur, qvam hæc cingit inscriptio: Terra SIGILLATA LEGNICENSIS.

TERRA alia SIGILLATA lutea 1630.

TERRA SIGILLATA rubra, cui impressa corona est.

TERRA SIGILLATA rubra, in qva claves duæ conspiciuntur.

TERRA SIGILLATA rubra LIVONICA, cum insignibus Livoniæ anno 1593.

EADEM cum sigillo eodem impresso anno 1598.

TERRA SIGILLATA fusca 1639.

TERRA SIGILLATA hepatici coloris, in qva luna & stellæ tres repræsen-

ſentantur. Cum liqvoribus acidis levem ſaltem ac vix notabilem efferveſcentiam creat.

TERRA SIGILLATA STRIGONIENSIS, in qva mons triceps conſpicitur cum hac inſcriptione: TERRA SIG. STRIGONIEN.

TERRA SIGILLATA rubra, montibus & clavibus, decuſſatim poſitis, ſignata.

TERRA SIGILLATA. Hanc, cùm pingvis admodum ſit & in aurifodinis reperiatur, axungiam Solis Chemici appellant.

TERRA S. HELENÆ ex Selandia Daniæ. Coloris eſt ex luteo cinerei, ex lamellis qvaſi compacta, qvæ ad fontem in Selandia olim Divæ Helenæ ſacrum & ab ægris variis circa feſtum S. Iohannis hodie freqventatum reperitur, magnamq; cum terris ſigillatis exoticis affinitatem habet.

TERRÆ aliæ, ac BOLI innumeri, ſigillo nullo inſigniti, nec in paſtillos orbiculares aut figuras alias redacti. Vi inprimis pollent ſtiptica & adſtringente, adeoq; non ſaltem in diarrhæa & fluxibus variis alvinis, verùm & in hæmoptyſi variisq; ſangvinis profluviis freqventer adhiberi ſolent. Vi præterea humores acidos abſorbente pollent, qvemadmodum & ſudores propellente, ac potentiâ qvadam alexipharmacâ. Qvædam interim illarum de Marte ſeu ferro participant, qvædam, cretaceæ magis naturæ, de Saturno ſeù plumbo, aliæ oleoſæ magìs & pingves exiſtunt ac Sulphuris ſpecialis beneficio his vel illis debellandis morbis magis ſunt appropriatæ. Qvædam cum liqvoribus acidis promtè, aliæ motu langvido efferveſcunt.

PARS

PARS SECUNDA
DE
REBUS ARTIFI-CIALIBUS.

SECTIO I.
DE
Variis ex Argento, Ære, Ferro, Osſibus, Lapidibus, Succino, Ligno etc: elaboratis.

HIPPODROMUS cum ſtatua Eqveſtri Regis *Chriſtiani Qvarti* qvi annulum inter duas columnas ſuſpenſum lanceâ excipit. Omnia ex argento deaurato conſtant. Columnis nomina & inſignia inſcripta ſunt Principum ac Magnatum variorum & qvidem tam exterorum qvàm Indigenarum, qvi coronationi Regiæ, in cujus memoriam ſingula hæc effícta ſunt, pompâ maximâ intererant.

STATUA Regis *Friderici Tertii* eodem modo in hippodromo repræſentata, ſed automata.

POCULUM ingens ARGENTEUM cum OPERCULO, cui LEO inſidet altero pede gladium ſtrictum tenens, altero folium Urticæ. Poculo huic 73 unciales argentei Hamburgo-Stormarienſes, ſinguli cum folio urticæ, & 6 dimidii, circumqvaq; inſerti ſunt.

POCULUM ARGENTEUM cum OPERCULO cui 16 Unciales typi ejusdem & 6 dimidii ſimiliter inſerti.

POCULA qvinq; ARGENTEA ſine operculis, qvorum ſingula inſertos ſibi 16 ejusmodi numos cum folio urticæ repræſentant.

CANTHARUS ingens ARGENTEUS, qvi infixos ſibi 16 Unciales typi ejusdem & 10 dimidios cum folio urticæ habet, cujus operculo Leo inſidet, altero pede ſtrictum enſem, altero folium urticæ tenens.

CANTHARI varii ex ARGENTO COELATO, qvi inſculptas ſibi figuras, artificio ſummo, repræſentant.

PELVIS ARGENTEA cum POCULO materiæ ejusdem, operis Indici.

Octodecim ORBES ARGENTEI, in qvorum medio ſuccinum Inſignia qvædam Principum inſculpta repræſentat.

LATERNA ARGENTEA, qvam usibus Regis *Christiani Qvarti* qvondam inserviisse Inscriptio docet.

LAMINA ARGENTEA INAURATA, cui effigies Regis Daniæ *Christiani Tertii* impressa.

LAMINÆ duæ minores ARGENTEÆ, in qvibus Regis nostri Augustissimi *Christiani Qvinti* & Reginæ Serenissimæ *Charlottæ Amaliæ* effigies delineatæ sunt & scripturæ minutissimæ ductibus expressæ.

TABULÆ variæ tàm ARGENTEÆ, qvàm METALLICÆ artificio insigni cœlatæ.

TABULÆ decem ex metallo inaurato, qvæ historiam passionis Christi repræsentant.

BRACHIUM ex METALLO fusum.

STATUÆ MARTIS, APOLLINIS, ALIORUMQVE, qvos pro Diis venerata est superstitio gentilis, ex METALLO INAURATO.

POCULUM REGULINUM, seu ex REGULO ANTIMONII paratum. Poculis talibus, ex regulo antimonii puro sine Marte plerumq; elaboratis & unciarum duarum capacibus vinum album infundi solet, noctisq; ibi spatio relictum hauriri tempore matutino, ut vomitum & qvandoq; secessum simul proritet.

POCULUM ex OVO CASSUARIÆ Avis efformatùm laminisq; argenteis cinctum.

PHIALA ex CORNU RHINOCEROTIS elaborata, figuræ qvodammodo ovalis, qvæ parte concavâ polita est ac resplendens, convexâ velut folia vitis pampinosq; excisos exhibet.

CANTHARI varii, POCULA & VASCULA ex CORNU RHINOCEROTIS, Argento hinc inde munita.

POCULA ex CORNIBUS CERVINIS, argento inaurato cincta.

SYSTEMA VASORUM corporis humani ex filis ferreis, qvæ in situ naturali & coloribus vivis repræsentantur. Conspiciuntur hic venæ subcæruleo colore tinctæ, arteriæ rubicundô, nervi albô, lymphatica vasa ex pellucentibus globulis vitreis nitidé efformata.

TABULA ex orichalco qvæ Electricis Saxonicæ *Annæ Sophiæ* introitum Dresdensem cum pompâ solenni sibi insculptam exhibet.

SCELETON HUMANUM, à Mechanico qvodam Daniæ *Gyntelbergio*, ex EBORE effictum, pedum duorum & 6 pollicum longitudine, alterâ manu falcem, alterâ clepsydram tenens. Circa limbos superiores capsæ, cui includitur, carmen hoc ab inclyto nostro *Th: Bartholino* elaboratum legitur.

Artis cerne decus, naturam sperne cadentem,
Hæc cineres, nexus corporis illa locat.
Huic animam si fata darent, si munera sensûs,
Splendidius toto jam foret Orbe nihil.
Si tanta in nostro superesset gloria busto
Qvilibet excarnes vellet habere pedes.

TABULA EBURNEA historiam Passionis Christi repræsentans & affabrè

a deô

adeô efficta, ut musculi, venæ, partesq; aliæ omnes in personis, qvæ repræsentantur, elegantissimè expressæ summam excitent admirationem.

TABULA alia EBURNEA historiam eandem Passionis exhibens, qvam summa qvoq; & exqvisitissima artificis industria nobilitat.

MERCURIUS, PALLAS, DIANA, LUCRETIA, LEDA, CLEOPATRA, & plures aliæ formæ, qvæ in scriptis Historicorum ac Pöetarum celebrari solent, ex EBORE efformatæ.

CORNUA ex EBORE oblonga, cum figuris variis elegantissimè incisis.

NAVIS BELLICA ex EBORE eleganter constructa, cum tormentis & instrumentis aliis tàm nauticis, qvàm militaribus ex argento purissimo.

TRIREMES & NAVIGIA alia minora ex EBORE. Inter hæc Cymba qvoq; conspicitur ex unicornu marino cum anchorâ aureâ.

HOROLOGIUM EBURNEUM cum rotis & instrumentis cœteris materiæ ejusdem, artificii admodum insignis.

CAPSA cum qvinq; columnis intortis, ebore & ligno pretioso, gratâ varietate, interstincta, operâ Capsularii cujusdam cœci Hafniæ efformata.

PECTEN ISLANDICUS OSSEUS, cui figuræ variæ insculptæ. Pocula qvoq; & instrumenta alia Islandorum hìc conspiciuntur, qvæ ingenio summo ac dexteritate ex dentibus balænarum, aliisq; ossibus per noctes hyemis longissimas ad focum conficere solent.

MORTARIUM INDICUM ex EBORE cum PISTILLO materiæ ejusdem.

POCULA varia, & SCATULÆ, ex EBORE tornatæ.

VARIA ex EBORE efformata, qvæ desumptas ex *Ovidio* historias repræsentant.

ALEMIBCUS cum ROSTRO, ex UNICORNU GRÖNLANDICO.

CANTHARI & POCULA varia ex UNICORNU GRÖNLANDICO.

CULINA PORTATILIS, seu UTENSILIA varia ex stanno Anglicano ad culinam spectantia, qvæ compendio eleganti cistæ ferreæ cylindricæ inclusa sunt.

POCULA novem magnitudinis diversæ ex lapide Ophite seu Serpentino.

TABULÆ duæ minores LAPIDEÆ, figuris avium elegantibus & lapidibus pretiosis interstinctæ.

TABULA MARMOREA NIGRA, qvæ insculptas sibi literas inauratas, pyramides binas & insignia Regni Daniæ repræsentat.

TABULÆ variæ MARMOREÆ, qvibus insculpti characteres diversi ac figuræ elegantes.

MENSÆ duæ ITALICÆ ex Lapide pretioso, qvarum una florum incisorum varietate, altera fructuum aviumq; figuris conspicua.

Duæ adhuc minores generis ejusdem.

ITALI duo ex vitro effícti, qvi digitis micant seu ludum peragunt, qvi La morre hodie in Italiâ appellatur.

EFFI-

EFFIGIES variæ, tam Romanæ, qvàm aliæ ex marmore albo elaboratæ.

MORTARIUM ex lapide PORPHYRITE.

TABULA MARMOREA, in qva figura crucifixi naturali colorum varietate expreſſa videtur *(Tab. XI. Fig. I.)* eo ferè modo, qvo lapides Florentini rudera urbium turriumq; pinnas, ſolo Naturæ ductu, ſibi impreſſas habent.

TABULÆ aliæ MARMOREÆ, qvæ figuras varias elegantiſſimas repræſentant.

CAPSÆ variæ ac TABULÆ ex EBENO, tam lapide Florentino, qvàm figuris florum aviumq; ex perlarum matre effictis interſtinctæ.

SCRINIUM ex EBENO, qvod lagenas & Inſtrumenta varia pharmaceutica intra loculos recondit

SELLA, qvæ artificio ſingulari ſeſſorem protinùs ita ambit & complectitur, ut ſurgere neqveat.

CENTUM POCULA LIGNEA torno elaborata tenuitatis tantæ, ut ſingula contactum vix ferant & ſimul impoſita unum qvaſi poculum conſtituant.

CANTHARUS ingens ex ACERE, cui figuræ variæ eleganter inciſæ. Inſident operculo tres leones, coronam cum inſignibus Daniæ tenentes, à latere nomen Regis *Friderici Tertii* conſpicitur.

CANTHARUS materiæ ejusdem cum nomine Regis Auguſtiſſimi *Chriſtiani Qvinti.*

CANTHARI, POCULA, PYXIDES & VASCULA plurima ex ACERE, qvibus figuræ variæ elegantiſſimè inciſæ, operâ & ingenio ruſtici Norvegi in diſtrictu Chriſtianienſi prope Bragnæſium qvi *Halvor Fanden* appellatus. Ruſticus hic αὐτοδίδακτος fuit, & ſolius cultelli ope id in ligno aliâq; materiâ præſtitit, ut artificibus aliis vel ſolertiſſimis palmam præripuerit. Nec ſculpturâ ſaltem & cœlaturâ verùm & architectonicâ, fabrili, Muſicâ, ſutoriâ arte inſignis fuit & ex parte omni polydædalus. Filios qvosdam reliqvit artium paternarum ſectatores, qvorum pleriq; & fidibus ſciunt, & inſtrumenta omnia muſica conficiunt, imò artem pictoriam, ſculptoriam, capſulariam, fabrilem, architectonicam, venatoriam & plures alias callent.

ALTARE BUXEUM hiſtoriam Paſſionis Chriſti repræſentans.

DEORUM DEARUMQVE EFFIGIES variæ, Pyxides, Vaſa & Pocula ex Buxo & Lignis aliis efformata.

CALCULUS CERASI, cui aliqvot centum capita, artificio ſubtiliſſimo, inciſa. Artificii non diſſimilis, Mechliniæ à ſe viſi meminit *Hadrianus Junius* Animadverſar: lib: I. c. 7. Nec antiqvis ignotum hoc fuiſſe artificium ex *Plinio* liqvet Hiſt: Nat: l: 7 c. 21 qvi de Callicrate & Myrmecide non diſſimilia narrat.

CALCEUS ingens, pedis unius & trium pollicum longitudine. Calceos menſuræ hujus geſtavit ruſticus qvidam Belga, van Lekkerkerken dictus. Ipſe in Palatio, qvod Printzen Hof-Hagæ-Comitis appellatur, depictus eſt.

DEORUM DEARUMQVE gentilium EFFIGIES variæ ex cerâ efformatæ.

TURRIS BABYLONICA ex cerâ rubrâ eleganter efficta.

EXERCITUS integer artificio pari ex cera rubra efformatus.

REGUM

REGUM & PRINCIPUM variorum EFFIGIES ex cerâ effictæ.

LYCHNUS PENSILIS ingens ex SUCCINO, brachiis duodecim instructus, & sculpturis elegantibus exornatus.

ALTARE ex SUCCINO sculptum, operis mirandi, qvod figuras varias elegantes ex EBORE efformatas hinc inde repræsentat.

SCRINIA, CLEPSYDRÆ, PYXIDES, ROSARIA, PYRAMIDES, & plura alia innumera ex SUCCINO, qvæ mens ingeniosa effinxit.

RES variæ ex ARGENTO, ÆRE, EBORE, UNICORNU, CRYSTALLO, SUCCINO, LIGNO PRETIOSO, qvæ certante cum materiâ artificio, spectari potiùs qvàm describi amant.

CAPSULA OPTICA, qvæ ritus & ceremonias Ecclesiæ Romanæ per artificium opticum intùs repræsentat. Alia modo prædicto res intùs exhibens, qvibus utuntur religioni reformatæ addicti.

MONTICULUS ex conchyliis variis, pectunculis & lapidibus coagmentatus, in qvo officinæ artium mechanicarum septuaginta duæ conspiciuntur, in qvarum singulis beneficio machinæ cujusdam interioris operarii artificia sua exercent.

SCRIPTURÆ subtilissimæ SPECIMINA varia, qvæ lynceos reqvirunt oculos. Horum unum effigiem Regis Daniæ, *Christiani Qvarti*, aliud Christum cum duodecim Apostolis, aliud navem, ductu exqvisitissimo exhibet.

FIGURÆ duæ elegantes, artificio raro planè ac admirando ita depictæ, ut colores varios aureos, puniceos, croceos, aut qvales ostentat pavonum cauda, sed non semper nec ubiq; repræsentant, sed potissimùm, cùm luci radiisq; solaribus expositæ fuerint. Meminit artificii hujus seu inventi imagines tingendi Athanasius *Kircherus* in Arte magna lucis & umbræ lib: X. part. II.

EFFIGIES variæ ex cerâ artificio plastico ita efformatæ, ut vivas qvasi personas repræsentent. Sunt autem primariæ seqventes: Regis nostri Augustissimi, *Christiani Qvinti*, Reginæ Serenissimæ, *Charlottæ Ameliæ*, Reginæ Matris, *Sophiæ Amaliæ*, Principis *Sophiæ Hedvigæ*, Principis *Georgii*, Electricis Saxonicæ, *Annæ Sophiæ*. Spectatur præterea artificio eodem concinnatus Rex Galliæ, *Ludovicus XIV*, qvemadmodum & Regina Galliæ, *Maria Theresia*.

TABULÆ seu PICTURÆ variæ elegantissimæ. Harum pleræq; tam celebriorum apud exteros pictorum, *Michaelis Angeli*, *Titiani*, *Raphaelis Urbini*, *Alberti Dureri*, *Rubbini*, *Guidoreni*, qvàm in arte eadem excellentium in Patriâ nostrâ, *Caroli van Mander*, *Abrahami Vogter*, *Henrici Dithmari*, *Lamberti van Hagen*, aliorumq́, penicillo ductæ sunt & Reges, Reginas, Principes, Duces, bellatores, literatos, Historias sacras, & profanas, animalia generis diversi, urbes, castella, silvas & viridaria summâ elegantiâ & certante cum naturâ ipsâ artificio repræsentant.



SECTIO II.

Arma, Veſtitus, Vaſa & Inſtrumenta Indorum, Turcarum, Grönlandorum, aliarumqve gentium.

QVADRAGINTA JACULA INDORUM, AGAIE vel ASAGAIE dicta. His, fide ſcriptorum, peritè adeò uti norunt, ut diſtantem ab iis hominem qvinqvaginta etiam paſſibus, tangant facilè, & impetu magno ac violentiâ in obvia qvævis evibrent.

DECEM HASTÆ INDICÆ longitudinis inſignis, qvarum nonnullæ rubrâ, aliæ flavâ & viridi incruſtatione elegantes. Lanceæ Japanenſium nigræ Nanganet appellantur.

QVATUOR HASTÆ INDICÆ capulis laccâ nigrâ incruſtatis.

JACULUM INDICUM, 3 pedum & 6½ pollicum longitudine, ex ligno cinnamomi.

PUGIONES INDICI laminis inſtar flammarum undulatis, qvorum pleriq; longitudine ſunt pedis unius cum dimidio. In partibus extremis manubriorum Idola exſculpta ſunt pampinis variis ac mæandris inſidentia. Fertur vulgò gladios memoratos veneno ab Indis tingi, ut ictu lethali mors citiùs acceleretur.

ENSIS MALABARICUS cum manubrio argenteo.

ENSIS INDICUS, cujus manubrium ex inſigni ACHATE ORIENTALI conſtat.

ENSES & PUGIONES varii, qvi Chryſes appellantur. Celebris horum fabrica eſt locus qvidam Manancabo dictus ad Occidentalem Inſulæ Sumatræ partem, teſte *Linſcotano.* qvi inter cœtera præſtantiſſimum hoc teli genus aſſerit & Javæ Malaccæq; incolis expetitum.

ENSES

ENSES varii JAPONENSES, longitudinis diverſæ, affabrè efficti.

TRES ARCUS INDICI ex EBENO, nitidè reſplendentes, qvibus Inſtrumentum oſſeum annectitur, qvo brachiis impoſito ad tendendos arcus utuntur Indi.

ARCUS qvatuor JAPONENSES & SAGITTÆ ſexaginta ſex.

PHARETRÆ INDICÆ ſagittis gravidæ. Harum una ex arundine craſſâ & nodoſâ confecta eſt, qvæ Bambus vel Mambu appellatur.

SAGITTÆ variæ, qvarum aliæ lanceas acutas in extremitate æmulantur, aliæ bifariam diviſæ ſeu bifurcatæ, aliæ tricuspides.

BOMBARDA JAPONENSIS, qvæ fabricam ſingularem exhibet.

SCUTUM INDICUM, conchyliis variis hinc inde diſtinctum.

BACULI longi verſùs extremitatem alteram latiores, coloris obſcurè rubri, qvibus populi Africæ vulgò Hottentotter appellati, armorum loco utuntur.

THORACES duo ÆNEI, REGUM INDIÆ, ſeu pectoralia cum caſſide, ex laminis æreis, ſerico auroq; ornatis, elaborata.

PILEI & TEGMINA alia pro capitibus Indorum Occidentalium, qvorum alia ex plumis avium verſicoloribus, alia ex libro arborum ſeu cortice & materiâ aliâ conſtant. Ex pennis inprimis avis Guaræ ſeu Caninde corollas Braſilienſes fingunt, qvibus capita cingere ac decorare ſolent.

PALLIA duo INDORUM ex plumis avium rubris compoſita. Horum alterum oblongum eſt, alterum rotundum. Appellantur hæc pallia Braſilienſibus Guara abucu. Ex plumis qvoq; tam rubris qvàm albis flavisq; & viridibus Zonæ variæ, cingula & tegmina capitum efformata hìc conſpiciuntur, qvæ ex ave Aracucaru, Carinde, Arara aliisq; deſumpta

PALLIUM REGALE INDICUM regni Bantam ex holoſerico rubro, qvod acûs exqviſitiſſimæ ductu aurea & argentea fila hinc inde irradiant.

COROLLÆ é plumis avium rubris flavisq; efformatæ, qvibus brachia ſua Braſilienſes exornant, Agvamiranga dictis. Faſciæ qvoq; crurales ex fructibus Americanis Ahovei dictis hìc aſſervantur, qvibus per filum traductis genua cingunt, ut colliſione ſuâ, dum choreæ ducuntur, ſtrepitum edant.

CALCEI INDORUM LIGNEI, qvos tempore anni calidiore uſurpant pedibusq; nudis per corrigias ſeu lora annectunt. Alii qvoq; ex corio & ſerico concinnati hìc ſpectantur.

CALCEI JAPONENSIUM LIGNEI. Ne pedibus excidant, tuberculo ſeu nodo qvodam rotundo inter pollicem & digitos vicinos pedis apprehenduntur. Spectantur qvoq; hìc calcei Chinenſes, ex corio confecti, & circa limbos exteriores ſerico cincti.

MONILE INDICUM ex conchulis albis concinnatum.

MONILE INDICUM ex alis inſectorum, qvæ cantharidibus non diſſimilia, concinnatum.

ARMILLÆ duæ ex cornu peculiari efformatæ, qvibus fœminæ Indorum brachia exornant. Aliæ qvoq; hìc ex ebore conſpiciuntur, campanulis variis inſignitæ, qvas fœminæ Indiæ, inprimis Cambajæ, in ducendis choreis ge-

ſtant, qvemadmodum & Armillæ ligneæ ex Indiâ Occidentali, fragmentis ex matre perlarum interſtinctæ.

FIDELIÆ, PHIALÆ & VASCULA varia ex terrâ ſigillatâ. Horum alia rotunda & ventricoſa, alia octangula, alia figuræ ovalis conſpiciuntur. Color qvoq; diverſus eſt. Qvædam ſaturatè rubra, alia coloris cœrulei, nonnulla albi, lutei, purpurei, & qvandoq; literis ac figuris animalium in ſuperficie ornata.

UMBRACULUM variegatum, Paraſolle dictum, qvod radiis ſolaribus Indi obtendunt.

FLABELLA ſeu VENTILABRA varia INDORUM, figuræ diverſæ, qvorum alia ex plumis avium, alia ex juncis & arundinibus, qvædam ex coriis piſcium aliisq; rebus efformata. Horum nonnulla aqvis refrigerantibus & odoratis conſpergunt Indi, ut ventilatione ſuâ aëris fervorem temperent.

LATERNÆ duæ JAPONICÆ, qvarum altera figuras varias florum herbarumq; repræſentat, altera carbaſo ſubtili & verſicolore obducta eſt.

PHIALÆ INDICÆ ex matre perlarum concinnatæ.

VASCULUM INDICUM, cui Regum ac Reginarum Indiæ inſculptæ effigies.

THECA INDICA, pro pectine rebusq; aliis condendis laccâ incruſtata & matre perlarum hinc inde diſtincta.

VAS qvoddam INDICUM, ex lapide griſeo, Gorgelet vulgò dictum, qvod aqvis infuſis refrigerandis Indi Orientales adhibent.

VASCULUM INDICUM ex radicibus minutis ac tenellis coagmentatum.

PHIALA INDICA ex metallo ſonoro.

SCUTELLÆ & PAROPSIDES INDICÆ, ex ſparto ſubtili, figuræ rotundæ, qvarum baſis laccâ nigrâ obducitur, centrum verò, qvod circulo aurato fulget, rubicundâ. Ipſi qvoq; limbi exteriores laccâ rubrâ colorati ſunt.

SCRINIUM INDICUM cum loculis & receptaculis ex tabaco, velut in funiculos torto, concinnatum.

SCRINIA, CAPSÆ variæ, CISTÆ, PYXIDES & VASCULA innumera JAPONENSIUM, magnitudinis diverſæ, qvæ laccæ incruſtatione elegantiſſimâ oculos intuentium morantur,

CALATHUS MALABARENSIS oblongus, ex libro arborum, qvi Betel & Arecca fructibusq; aliis aſſervandis inſervit.

CALATHUS BENGALENSIS, conchyliis minutis hinc inde diſtinctus, uſum prædictum ſubminiſtrans.

CANISTRUM INDICUM ex arundinum corticibus, decuſſatim ſe interſecantibus, contextum.

CULEI INDICI ex ſtoreis arundinaceis confecti, viminibus qvibusdam ex junco, qvi Rottins appellatur, cincti ac circumligati.

URCEI LAPIDEI ex Indiâ Orientali, figuris Japonicis inſigniti. Inter hos duo octogoni, laccâ fuſcâ incruſtati, cum operculis.

URCEI duo octogoni laccâ fuſca incruſtati, cum operculis.

Qva-

Qvatuor SPECULA METALLICA JAPONENSIUM.

ATRAMENTARIUM INDICUM ex ære colorato. Ad latera fiſtulæ tres longæ conſpiciuntur, qvibus penicillos ſuos ex arundinibus minutis confectos ſericoq; obductos incolæ condunt.

ORGANUM MUSICUM INDIÆ ORIENTALIS ex arundinibus Japonenſibus undecim compoſitum.

TUBULI INDICI, qvibus fumus Nicotianæ hauritur, laccâ incruſtati & coloribus variis diſtincti. Qvibusdam illorum fruſtula matris perlarum hinc inde inſerta ſunt.

CAVEÆ INDICÆ pro aviculis, laccâ coloratæ.

LAMINA ARGENTEA, cui characteres Indici inſculpti. Fertur magnus Indiæ Mogol laminas tales de collo illorum ſuſpendere, qvos ad expediunda negotia in diſſitas regiones mittit.

RAMI minores ſeu Bacilli nigri, qvos candelarum loco accendunt Japonenſes, qvoties ſacrificiis peragendis incumbunt.

CANDELA CEREA, qvam in ſacrificiis ſuis accendunt Japonenſes. Craſſa admodum eſt & tincta exteriùs colore rubro, ac characteribus variis inſignita, qvos, idolum adorantes, recitant.

IDOLUM INDICUM, ex ligno effictum.

IDOLA INDICA ex lapide viridi efficta, qvi mollioris ſubſtantiæ eſt, ubi fricatur fortiter & veſtigium album poſt ſe relinqvit, adeò ut lapidi Morochto ſeu Galaxiæ non diſſimilis videatur, qvi panno nigro affrictus lineam poſt ſe albam relinqvit, inſtar materiæ illius, qvæ creyon de Briançon Gallis appellatur.

IDOLA varia INDIÆ ORIENTALIS ex porcellana puriſſima. Alia qvoq; ex ebore, alia ex argilla & materia viliore efformata.

FIGURA MENDICI INDIÆ ORIENTALIS ex Santalo albo artificioſè exciſa.

VENATIO ELEPHANTORUM in India, qvam venatorum & canum venaticorum, jaculorum, Elephantorum, rerumq; aliarum huc ſpectantium copiâ ars repræſentat.

PELLUVIA qvatuor JAPONENSIUM, laccæ incruſtatione obducta, in qvorum ſingulis arte effictus Elephas conſpicitur, dorſo ſeſſorem portans.

Qvatuor SCRIPTA MALABARICA, in foliis palmæ ſtilo ferreo exarata. In ſcriptura ſuâ loco chartæ foliis palmæ Malabarenſes utuntur, qvæ longa admodum ſunt & ultra tres ulnas extenſa, duos verò digitos latitudine vix æqvantia. In his ſtilo ferreo, qvi extremitate acutus, ſcribunt, manubrio verò, circa latera utrinq; acutiſſimo, folia palmæ in lacinias oblongas ſecant.

URCEI varii INDICI & CHINENSES pro infuſo herbæ Thee præparando.

VASA plurima PORCELLANICA ad uſus varios comparata, qvæ tractus Chinenſis ſubminiſtravit.

PYXIDES CORBESQVE ovales Chinenſium ex cortice arundinum nitidè efficti pro fructibus aſſervandis.

CINGULUM CHINENSE ex corio linteoq; variegatum, cui ſeptem inſerti cultri.

FORMÆ VESTIMENTORUM CHINENSIUM & INDICORUM.

Octoginta CHARTÆ LUSORIÆ CHINENSIUM, figuræ rotundæ. Triginta duæ qvadratæ JAPONENSIUM.

CHARTA CHINENSIS, lævis admodum & ſubtilis. Scribere arundine Chinenſes *Linſchotanus* memorat, velut penicillo pictores. Literæ qvoq; Chinenſes in cortice exaratæ hìc aſſervantur, qvemadmodum & laminæ argenteæ, literis & figuris Chinenſibus inſignitæ.

SCRIPTORUM CHINITICORUM FRAGMENTA varia, qvæ ob chartæ ſubtiliſſimæ tenuitatem ab uno ſaltem latere characteres inſcriptos repræſentant. Fide illorum, qvi Chinam perluſtrarunt, legunt & ſcribunt incolæ, à ſummâ paginæ parte ad imam deſcendendo. Papyrus autem Chinenſium ſubtiliſſima eſt, ex ſerico confecta, vaſtis qvibusdam foliis ſeu philyris conſtans.

ATRAMENTUM CHINENSE. Formâ eſt maſſæ cûjusdam oblongæ & nigræ, characteribus variis Chiniticis inſignitæ. Hanc commodè ſecum in formâ ſiccâ, loco atramenti ſcriptorii, circumferunt Chinenſes, & ſalivâ aut aqvâ madefaciunt, qvoties characteres pingent. Atramentum hoc ex terrâ bituminoſâ nigrâ, qvæ glutine ſubacta, effformari, & in tabellas compingi Scriptores nonnulli referunt.

Duæ LIBRÆ ſeu STATERÆ CHINENSIUM, qvibus aurum argentum qve accuratè ponderant, in negotiis ſuis omnibus Indorum vaferrimi. Bacillus eburneus, craſſitie pennæ gallinaceæ, punctis & lineolis accuratè diſtinctus, utrinq; in parte extremâ lancem parvam dependentem habet, cui ponderandum aurum argentumve imponitur.

Duo BACILLI LIGNEI, novem pollicum longitudine, qvibus cultri ac bidentis loco cibum capiunt Chinenſes, & qvidem ſcitè adeò & eleganter, ut ne vel mica decidat. Manu tangere epulas indecorum in Chinâ eſſe Scriptores referunt, adeoq; mantilia in uſu non eſſe, cum incolæ os manusq; neqvaqvam contaminent.

Octodecim BACULI INDICI, qvorum alii ex ebore, qvibus utuntur Magnates, alii ex lignis variis cannisq; ſeu arundinibus.

IDOLA ÆGYPTIACA figuris variis & characteribus inſignita.

SCUTA novem TURCICA, figuræ diverſæ. Horum alia ex metallo conſtant, alia corio obducta, qvædam laccâ incruſtata & coloribus variis interſtincta.

BIPENNES & SECURES variæ MOSCOVITICÆ, ſclopetis, qvæ partem manubrii conſtituunt, armatæ. Enſes qvoq; & baculi hìc aſſervantur, uſui memorato inſervientes, ut & Pharetræ octo ex ebeno, magnitudinis diverſæ, ebore interſtinctæ, ac nervis appenſis ſagittisq; inſtructæ.

Qvatuor BOMBARDÆ TURCICÆ, artificioſè admodum fabricatæ & argento ac lapidibus pretioſis hinc inde diſtinctæ, qvas Generalis qvondam maris Daniæ Præfectus *Curtius Adelerius* anno 1658 in pugnâ navali Turcis eripuit.

VEXILLUM ingens TURCICUM, ſeu SIGNUM MILITARE, ex argento inaurato, octoginta duobus turcoſiis reſplendens, cujus parti ſuperiori inſerta eſt cauda eqvina, qvod eodèm tempore Turcis Archithalaſſus prædictus eripuit. Conſpicitur qvoq; pugio vaginæ incluſus artificioſè cœlatæ auroq; obductæ,

ductæ, qvem manui bellatoris Turcici, *Bassa Ibrahim* dicti, masculè extorsit. Conspiciuntur præterea *Pharetræ* variæ *Turcicæ* cum inclusis *sagittis*; *Vaginæ* ingens *argenteæ*, cui cultri tres Turcici inclusi; *Ensis Turcicus*, cujus vagina corneolis, lapidibus lazuli gemmisq; aliis pretiosis hinc inde insertis nitidè refulget; *Sica* ingens *argentea*, cui cultri duo cum cochleari ex argento inserti; *Clypei* solis lunæq; figuris exornati ex argento inaurato; *Securis Turcica*, cui manubrium argenteum cum circulis inauratis; *Arcus* deniq;, *tela*, *cassides*, *loricæ* & *armaturæ* aliæ *innumeræ Turcarum*, qvas Præfecto maris Turcico strenuus belli Heros eripuit. Carmine autem Belgico, qvod Tabulæ, juxta spolia hæc & trophæa suspensæ, characteribus aureis inscriptum est, partam gloriosè victoriam Apelles qvondam Regius *Carolus van Mander* fusiùs descripsit.

CATENA FERREA cum appensis duobus circulis seu annulis, qvam camelis suis Turcæ adaptant.

ALCORAN. Liber est Pseudodogmaticus ab impostore Muhamete idiomate Arabico conscriptus, aureas hic commatum distinctiones habens, & ab *Abubecro* in ordinem redactus, ut esset Musulmannis norma religionis & morum. Materia, circa qvam Alcoran versatur, non certi aliqvid, methodo accuratâ, sed centonem qvendam & rerum variarum colluviem modo tumultuario tractat. Credunt Muhametani Alcoran θεόπνευστον esse & nocte qvadam è cœlo demissum, alii Gabrielem vicibus distinctis Muhametæ Alcoranum tradidisse.

TEGMINA CAPITUM TARTARICA ex corio Alcis.

BALTHEUS seu CINGULUM TARTARICUM, è qvo cultri septem ingentes dependent, cultri qvoq; Turcici turcosiis ac smaragdis exornati hìc asservantur, vaginæ pretiosæ inserti.

Species qvædam SCLOPETORUM, qvæ Germanis vulgò Donnerbüxen appellantur, ex orichalcò.

SECURIS METALLURGI NORVEGICI, cujus extremitati lapis lydius affixus est.

CALCEI FINNORUM ex asserculis ligneis coagmentati, qvemadmodum & cultri vaginis inclusi, stanno interstinctis.

TYMPANUM LAPPONICUM. Ex ligno ovali, excavato, constat, cui, nervorum ope, membrana annectitur, variis & ignotis planè figuris, sparsim depictis, exornata. Adest qvoq; Instrumentum osseum, qvo tympanum pulsatur. Figurâ suâ literam T Latinorum qvodammodo exprimit.

TYMPANUM FINLAPPONICUM, ejusdem formæ, anno præterito ex Finmarchiâ huc allatum, Lappis nostris Rune=Bomen dictum, aliis Qvobdas/ Kanus & Treolstruma/ in cujus membranâ annexâ figuræ itidem variæ sangvine humano sub pectore exciso depictæ exstant, prout Finlappus qvidam nuper confessus est. Instrumentum, qvod magni à Lappis superstitiosis habetur, ex qvo multa pulsando divinant. *Worm. Mus.* lib. 4. cap. 12. *Scheff.* Lappon. c. 11.

SCYPHI MOSCOVITICI viginti, magnitudinis diversæ, qvorum pleriq; decanguli & intus ac foris laccâ rubrâ obducti.

VASA LIGNEA MOSCOUITICA, magnitudinis diversæ, ex radice Cedri variegata. Hæc anno 1662, mense Decembri, â magni Moscoviæ Ducis Legato

gato, gloriosæ memoriæ, *Friderico Tertio* oblata sunt, qvæ jusculis & liqvoribus aliis hauriendis apta.

CYMBA GRÖNLANDICA, *(Tab. XII.)* pedum duodecim longitudine, cui arte effictæ Grönlandus cum remo suo insidet.

Decem REMI NAUTICI GRÖNLANDORUM, qvi in extremitate utrâq; alas habent latas & longiusculas, osseo limbo undiq; cinctas, qvorum vibratione alternâ navis illorum coriacea impellitur. Clavis præterea minutis osseis, hinc inde infixis, alæ firmantur, & in initio suo nodos duos habent ex cirrhis balænarum confectos.

INSTRUMENTA PISCATÖRIA GRONLANDORUM, HASTÆ & VENABULA. Plerisq; in parte extremâ foramen est, cui cuspis ossea inseritur, lignoq; loris alligatur, qvæ ex cirrhis balænarum constant. Circa mediam partem hamus qvoq; osseus & dentatus conspicitur.

INDUSIA duo GRÖNLANDICA, ex intestinis & visceribus aliis Phocarum contexta, subtilissimis verò filis connexa. Laxa admodum sunt & ampla, qvemadmodum & cœteræ vestes, qvas baltheo qvodam cingunt, subministrantibus eundem piscium coriis.

CALCEI GRÖNLANDORUM ex piloso Phocarum corio.

FRONTALE GRÖNLANDICUM. Ligneum est & incurvum, ut fronti aptari possit, limbo osseo cinctum. Vestitum reliqvum Grönlandorum, masculi nempe unius & trium fœminarum, *(Tab. XII.)* exhibet. Tres istæ fœminæ anno 1654 d. 28 Septembr: nave ex Grönlandiâ onustâ Qvæstoris qvondam Regii *Henrici Mulleri* Hafniam advectæ sunt, qvarum una 45 annorum, Kuneling dicta est, altera 25 annorum Kabelau / tertia 13 saltem annorum, Sigoko. Ædibus laudati *Mulleri* benignè exceptæ fuerunt epulisq; lautis qvotidie refocillatæ, ut familiaritate domesticâ moribus patriæ lingvæq; assvescerent tandemq; religione Christianâ imbuerentur & in Grönlandiam reduces commercia feliciùs cum nostris stabilirent. Cœlo interim nostro & vivendi rationi haud assvetæ, licèt opiparè satìs viverent & blandè admodum tractarentur, brevi temporis intervallo mortuæ sunt. Sub oculis labiisq; incisuræ qvædam, qvas traducto per acum filo pingvedine qvadam imbuto in cute sulcaverant, in binis natu maximis conspiciebantur. Stigmata autem talia in fœminis Grönlandis effingi ajebant, qvoties viro maturæ essent. Masculus verò, qvi IHIOB appellatus, in navigio extinctus est, anteqvam portum attingeret. De Grönlandis memoratis plura in Itinerario Persico *Olearii*, qvemadmodum & Actis Medicis & Philosophicis Hafniensibus leguntur.



SECTIO



SECTIO III.

Antiqvitates & Res Aliæ Ad illas Spectantes.

RNAMENTA varia & ANTIQVITATES *ABSALONIS HVIDE*, qvondam Episcopi Röeskildensis, & postea Archiepiscopi Lundensis, qvæ *(Tab. XIII.)* ordine seqventi repræsentantur.

Fig: I. MITRA ingens & pretiosa EPISCOPALIS, galeæ ponderosæ imposita ex argento INAURATO, parte anticâ Saphiro ingente ac pretioso fulgens & circa latera duabus margaritis magnis septemq; lapidibus pretiosis, coloris fusci, distincta.

Fig: II. PEDUM EPISCOPALE ex UNICORNU, longitudine qvatuor pedum cum dimidiô.

Fig: III. PEDUM EPISCOPALE ex CUPRO INAURATO, sex pedes longitudine æqvans. Minus aliud hìc qvoq; conspicitur ex ebore efformatum.

Fig: IV. GLADII duo longitudinis insignis fabricam antiqvam præ se ferentes. Horum alter inauratus est, alter rubigine obductus & in sepulchro ejus repertus, qvo externorum hostium vim â cervice patriæ, invicto animi robore, sœpe propulsavit & pro Danico imperio augendo custodiendoq; pertinaci semper vigilantiâ olim excubuit. Vir enim Archiepiscopus Absalon Hvide non tantùm pietatis insignis, sed & summæ prudentiæ & fortitudinis exstitit, qvem *Knytlinga Saga M. S.* cap. 131 inter septentrionales ferè maximum bellatorem rectè denominat.

Fig: V. BACULI duo, qvorum extremitatibus laminæ latæ & rotundæ ex cupro affixæ, figuras Evangelistarum qvatuor exhibent.

Fig: VI. CRANIUM EPISCOPI *ABSALONIS*, cum ossibus duobus decussatim sibi incumbentibus, ex Templo Sorano Sælandiæ, in qvo sepultus fuerat, allatum.

Fig: VII. CORNU ingens pro potu subministrando. Talia pro poculis adhibuisse Antiqvos Historiæ narrant. Ita ex cornibus bovinis bibisse veteres *Athenæus* probat lib: 2. cap: 8. Thracesq; poculorum loco cornibus usos fuisse *Xenophon* ait lib: 7. expedit. Non dissimilia de Britannis suis referente

Cambdeno. Danos autem, Norvegos & Islandos pro poculis cornua adhibuiſſe demonſtrat abundè in Monumentis Danicis *Ol: Wormius.*

Fig: VIII. CISTA ſeu REPOSITORIUM, fabricæ priſcæ veſtigiis antiqvitatem præ ſe ferens, in qvo ornamenta varia Epiſcopi memorati aſſervata fuerunt.

Fig: X. EFFIGIES EPISCOPI *ABSALONIS* Achati pretioſo inſculpta.

Fig: XI. COR ARGENTEUM nitidè elaboratum, in cujus medio crux conſpicitur.

Fig: XII. CALIGÆ antiqvæ ex SERICO confectæ, præter varia alia, qvæ hic appenſa cernuntur, ornamenta, qvemadmodum cruces ex cupro elaboratas, cochlearia argentea inaurata, annulos aureos, gemmis diſtinctos, corollas pretioſas, cultros & vaginas antiqvas, pocula, ſigilla & effigies Sanctorum. Hic Præſul primò ad Epiſcopatum Röeskildenſem, poſtea verò ad Archiepiſcopatum Lundenſem ingentium meritorum nomine evectus æternum in annalibus nomen rerumq; geſtarum gloriam reliqvit. Poſuit primus arcis Hafnienſis fundamenta, primò Axelvaald pòſt Stegelborg appellatæ, loco commodiſſimo, qvem humiles olim occupabant caſæ & ex cannis contextæ Piſcatorum domus. Monaſterium qvoq; Soranum hìc in Selandiâ à Patre & Patruo ædificari cæptum ſplendidâ admodum ſtructurâ anno 1161 auxit & reditibus amplis ac privilegiis inſtruxit. Inſignium loco uſus eſt Cervo flavo in areâ cæruleâ ſtellis aureis conſperſâ, cujus ſtemmatis picturam paries templi Sorani inter alia Nobilitatis antiqviſſimæ inſignia oſtentat. Mortuus eſt anno Dni 1201 & in Templo Sorano ſepultus.

NUMISMATA qvinq; AUREA, *(Tab. XIV. Fig. I. II. III. IV. V.)* qvorum ſingula ferè ſunt ponderis ducati aurei, ab una tantum facie ſeu latere ſignata, in qvibus miles cataphractus paſſim conſpicitur, eqvo monſtroſo in monumento Huneſtadenſi apud *Wormium* lib. 3. p. 188. haud diſſimili inſidens, qvi à Scheffero Othini eſſe cenſetur Upſal. c. 5, præſertim in numo noſtro, qvi qvartum in tabulâ occupat locum. Singulis anſula aurea adhæret, ut ſuſpicari liceat amuleti ſeu periammatis inſtar de collo geſtantium olim illa ſuſpenſa fuiſſe. Credimus ergo amuleta hæc Deorum imaginibus ſignata eſſe, cùm nec ornatus nec characteres & ſymbola alia contrarium ſvadeant & ex hiſtoriâ M. S. Jomsburgenſium c. 34. conſtet, ſeptentrionales aurea amuleta ſua, ſive *hlutr* i e. res, qvibus futura ſortiebantur, effigie humanâ ſignaſſe, qvam Othini vel Thori eſſe Arngrimus Jonas ibidem interpretatur. Secundum à ſacratiſſima Regia Majeſtate inter venandum ad lacum Esserom inventum eſt. Primum, tertium, & qvintum in Sælandia qvoq; alibi repertum, qvartum verò ex Norvegia, è terra erutum, huc allatum eſt. De numis memoratis plura lectori ſuggerunt *Acta Medica & Philoſophica Hafnienſia, Volum: II. obſerv:* 36 qvemadmodum & Antiqvitates Danicæ *Th: Bartholin.* lib: 2. c. 9.

URNA SEPULCHRALIS CRYSTALLINA, *(Tab. XIV. Fig. VI.)* prope Bergas in Norvegia è cœmiterio veteri eruta, cum cineribus & oſſiculis uſtis, circulis aureis craſſioribus cincta.

S. OLAI BRACHIUM *(Tab. XIV. Fig. VII.)* repoſitorio cupreo eleganter inaurato incluſum, in cujus medio cryſtallus ingens conſpicitur. In baſi repoſitorii hoc gnomon: DEXTERA DOMINI FECIT VIRTUTEM. Certum ſymbolum Danorum Regis piiſſimi *Johannis* 1. indicioq; haud obſcuro, inter Regis cimelia ſacra magno honore brachium hoc aſſervatum

tum fuisse: suppostitium enim corpus Sti. Olai exstitisse, qvod per qvingentos annos usq; ad tempora religionis repurgatæ integrum in templo cathedrali Nidrosiæ ostentatum fuit, *Petrus Clausonius* in descriptione Norvegiæ pag. 91 & 92, argutè recenset. Fuit autem *Sanctus Olaus*, Haraldi filius, Rex Norvegiæ, qvi fidei Christianæ lumen per singulas regionis suæ oras accendi curavit, novasq; in locis variis, ubi nullæ antea viguerant, Ecclesias fundavit ac reditibus amplis instruxit. Leges præterea ritibus Christianis accommodatas, paganismis passim abrogatis, sancivit, lingvâq; patriâ conscribi jussit. Anno M.XXX. in loco pugnæ prope Stiklestadam vulneribus confossus exspiravit qvarto calend. Augusti. Postqvam verò Basilicam vastam in metropoli Nidrosiensi Reges successores ædificassent, corpus S. *Olai*, qvod sanandi virtute instructum vulgò credebatur, diu ibidem asservatum fuit, adeoq; ipse pro Patrono regni, qvem inter cœlites incolæ venerarentur, ad tempora usq; religionis repurgatæ habitus est. In templo eodem Nidrosiensi (cujus jam duntaxat chorus superest, reliqvâ parte anno 1531 incendio absumptâ) asservabatur diu Regis hujus *Olai* bipennis, qvam in comparandis sibi victoriis filius ejus *Magnus*, qvoties cum hoste confligeret, usurpasse fertur.

URNÆ sex AUREÆ (*Tab. XIV. Fig: VIII.*) anno 1685 d. 16 Aprilis in agro Insulæ Mønk-Øe prope Fioniam à rustico, cùm terram aratro proscinderet inventæ, terrâ cineritiâ plenæ. Maxima illarum uncias duas cum dimidiâ, reliqvæ unciarum duarum & drachmæ circiter unius pondus æqvant.

CATENA argentea (*Tab. XIIII. Fig. IX.*) inaurata, cui annectitur ornamentum pectorale in modum crucis efformatum, circa margines seu alas qvatuor procurrentes insignia Evangelistarum qvatuor exhibentur, in medio verò Christus crucifixus, ex parte altera S. Olaus bipennifer.

CRUX ex *dente Rosmari* (*Tab. XIV. Fig. X.*) Helenæ Magni Svenonis Regis filiæ, cui figuræ variæ ac literæ insculptæ. Ex parte priori Christus crucifixus in medio pendet cum inscriptione: IHS NAZAREN 9 REX JUDEORUM, circa alas qvatuor procurrentes qvatuor imagines *Vitam*, *Synagogam*, *Ecclesiam* & *Mortem* repræsentant. Ex parte verò posteriori Salvator mundi sedens conspicitur librum in sinu tenens cum literis A & Ω, circa illum hæc leguntur: *Videte manus me as & pedes meos dic Dns.* A dextrâ ipsius Rex & Regina cum liberis, qvorum lateri sinistro adstat Episcopus qvidam cum inscriptione: *Venite benedicti patris mei.* A sinistrâ Christi homines qvidam ejulantes cum literis adscriptis: *Dicedite à me maledicti in ignem.* Superiore parte *Abraham* & sancti qvidam, cum verbis *Fili recordare, qvia recepisti bona in vita tua.* Infra gehenna cum inscriptione, *Pāt Habraham, miserere mei & mitte Lazar. ut tingvat extremum digiti sui in aqvā refrig.* Ab una parte crucis in latere dextro: *Q. me cernit pro Helenâ Magni Suenonis Regis filia XPM oret E. Q. me ad memoriam. Dnice pasṡionis parari feceāt.* Ab. altera parte in latere sinistro: *Q. in XPM crucifixum credt Liutgeri memoriā orando faciāt Q. me sculpserat rogatu Helenæ, qve & Gunhild vocat*: Magnum illum Suenonem, Historici nostrates autumant, Daniæ Regem fuisse, qvi Estrithæ filius nuncupatur. Plures eum qvoq; habuisse filios filiasq; qvàm annales recensent, credibile est, cùm multas habuerit pellices. Reginam verò illi fuisse Gunhildam Comitis Suenonis Hacqvini filiam, ex qva suscepit Suenonem Ejegod, *Knytlinga Saga* M. S. memorat, præterq; hunc 14 filios & duas tantùm filias naturales enumerat, Helenâ hac omissa, qvæ forsan in Reginæ extinctæ memoriam Gunhilda qvoq; vocata est, cujus pia pressit vestigia.

LAMINA EBURNEA (*Tab. XIV. Fig. XI.*) cum Inſcriptione in ambitu: Sigillum S. Trinitatis domus. In mediò verò: Lucius Papa. In honorem *Lucii* hujus templum Cathedrale Roeſchildiæ hìc in Selandia extructum eſt & nomini ejus conſecratum. *Lucius* hic *Porphyrii* filius, anno Chr: 253 Pontificis Romani dignitatem adeptus eſt; anno verò 255 capite plexus martyrium ſubiit. Hunc interim Eccleſiæ Roeſchildenſis Patronum electum fuiſſe conſtat, cùm civitates ſingulæ, ut communis erat ævi iſtius ſuperſtitio, certum qvendam è Sanctis ſeu cœlitibus elegerint, cui cœtum ſuum, tanqvam Numini tutelari, offerrent, ædesq; ſacras dicarent. Viguit autem olim apud Roeſchildenſes traditio, ſinum Iſorenſem (vulgò Jſefiord) cui urbs adjacet, malo qvodam genio infeſtatum fuiſſe, qvi nautis vel ſolventibus vela vel ſtationem qværentibus damnum minatus eſt: Sollicitos ergo fuiſſe Monachos, ut Cacodæmonem illum adjurationibus ſuis fugarent, ſed reſponſum hoc ab illo tuliſſe, qvòd, niſi oſtenderetur Lucii Pontificis caput, locum iſtum minimè relicturus eſſet: Miſſos itaq; Romam fuiſſe, qvi caput *Lucii* precibus pretioq; obtinuerunt & Roeſchildiam apportarunt: Qvo viſo, Cacodæmonē protinus abfugiſſe nec incolis poſtea attuliſſe damnum: Tum Monachos crucis & vexilli aliarumq; ceremoniarum pompâ carum caput à littore in templum Roeſchildenſe reportaſſe & inter pretioſas, qvas conqviſiverant, reliqvias loco primario depoſuiſſe. Viſebatur non ita pridem in altaris vetuſti tabulâ navigium, arte priſcâ depictum, in cujus prorâ monachus erectus caput *Lucii* truncatum tetro alicui Cacodæmoni, in littore conſiſtenti, obvertebat. Qvæ qvidem Tabula cum ſubjecto Altari, propter Mauſoléum Regis noſtri Auguſtiſſimi anno 1689 ibidem extructum, in alium templi locum translata eſt. Templum autem Roeſchildenſe, qvod hodie *Lucii* appellatur, primò S. Trinitatis dictum fuiſſe, & qvidem ex ligno extructum, Scriptores memorant.

ORNAMENTUM ARGENTEUM in memoriam S. OLAI (*Tab. XIIII. Fig. XII.*) cujus hæc eſt inſcriptio: Sancta Anna ora pro nobis. Ex altera parte *Chriſtus* crucifixus, *Maria* & *Johannes* ſub cruce.

FIBULA qvædam argentea (*Tab. XIV. Fig. XIII.*) auro obducta & icone Regis ac facie Salvatoris cruci affixâ, alterno ordine exornata, in medio effigies S. Olai bipenni armata cernitur.

COCHLEARE ARGENTEUM ARCHIEPISCOPI OLAI, cujus hæc eſt inſcriptio: Olaus DEI Gratiâ Arceps Nidſen, 1530. In manubrii priore latere: *Religione Vita conſtat*, in poſteriore: ἐυσεβέιας ἔχȣ: Numi varii antiqvi nomine eodem inſigniuntur, idemq; eſt ac Archiepiſcopus Nidroſienſis. Inſignia in numis iisdem indigitant, eum ex nobili proſapiâ *Lungorum* fuiſſe, qvi tria lilia in gentilitio ſcuto geſtant. *Olaus* hic, Engelberti filius, per inferiores pleroſq; ordinis Eccleſiaſtici gradus ad Archidiaconatum Eccleſiæ Nidroſienſis aſcendit ac poſt diſceſſum *Erici Valckendorphii* ad Archiepiſcopatum anno 1523 evectus ſplendorem muneris ſui opibus ac potentiâ ampliavit. Qvàm fideli adhæſerit conſtantiâ Regi Daniæ *Chriſtiano Secundo*, inter varias fortunæ volubilis minas, ac neceſſariam gerendo bello pecuniam, per tributa Eccleſiis ſuis impoſita, ſuggeſſerit, ex monumentis Hiſtoricorum liqvet.

CALIX ARGENTEUS INAURATUS cum PATELLA, cujus inſcriptio eſt: Regina Mergreta Dacie, Norvegie, Svecie. Orate pro eâ Dominâ. In baſi inſignia Daniæ ſeu tres leones conſpiciuntur. Ejusdem

jusdem pietatis ac Regiæ munificentiæ monumentum etiamnum exstat in templo Kryngensi Laalandiæ.

CALIX cum PATELLA ex ARGENTO INAURATO, cujus hæc est inscriptio: Anno Domini MCCCCLXXXVI **da gaf Jes Ovie og H. Fru Margrete denne Kalck til Barop.**

ANNULUS ingens AUREUS, cui inclusa est gemma flava & pellucida. In ambitu annuli legitur: AL FACTO.

ANNULUS Saphirum inclusum habens & inscriptionem seqventem: Balthazar, Melchior, Caspar.

ANNULUS magnitudinis insolitæ cui insertus granatus. Gigantis fuisse creditur.

Varii ANNULI antiqvi gemmis fulgidissimis ac figuris peculiaribus conspicui.

FIGURA VIRGINIS VESTALIS lapidi lazuli incisa.

ONYX ingens figuræ ovalis, cui caput Medusæ insculptum est.

ACHATES pretiosus, cui caput Socratis incisum est.

ACHATES ingens, cui insculptum est artificiosè sacrificium antiqvum.

CRYSTALLI, Lapides LAZULI, JASPIDES, CORNEOLI, ACHATES, & lapides alii pretiosi, qvibus figuræ variæ antiqvæ & inprimis Romanæ insculptæ sunt.

CORNU ingens ex auro puro & obryzo *(Tab. XV.)* qvod uncias centum & duas cum dimidia pendet. Longitudine est pedum duorum & novem pollicum, capax verò duorum sextariorum cum semisse seu mensuræ nostratis cum qvarta una, liqvore plenum. Constat ex duplici laminâ, & interiore qvidem solidâ & integrâ, exteriore verò non continuâ, qvemadmodum prior est, sed ex undecim conflata laminis latis contiguis, latitudinis & crassitiei diversæ, qvæ internodiis suis distinctæ sunt ac divisæ. In superficie cornu hujus imagines, statuæ, emblemata & figuræ variæ peculiares conspiciuntur, qvemadmodum homines nudi, manibus pedibusq; expansis, belluæ capitibus humanis, Cynocephali, vultures piscibus inhiantes, lacertæ & serpentes, ac plura alia innumera, qvæ pretiosi hujus Cimelii, inter Europæa omnia æstimatissimi, antiqvitatem summam uberiùs testantur. Repertum est anno 1639 d. 20 Julii, regnante in Dania gloriosæ memoriæ Rege *Christiano Qvarto*, á puella qvadam rustica inter pagum **Øster-By** & Megeltunderum, Diæcesis Ripensis oppidulum. De aureo hoc Cornu plura Orbi erudito obtulit *Ol. Wormius* Monum. Dan. lib. 5. qvemadmodum & post illum *Envaldus Nicolai Randulfus* in dissertatione, qvæ *Tuba Danica* appellatur, & *Trogillus Arnkiel* de cornu aureo. Fabricam cornu hujus Ethnicam esse, qvæ magnam testatur antiqvitatem, varia in eo hieroglyphica luculenter satis evincunt, qvibus abominanda gentilium sacra, libationes, auguria, lanienæ, mores & vitia nefanda, qvæ seculum illud infestabant, passim depinguntur. Sacris itaq; Ethnicis cornu hoc aureum inserviisse haud obscurè colligitur, cùm Assyrios gentesq; alias tubæ seu cornu potiùs clangore sacra similiter celebrâsse & libationibus in sacrificiis suis cornua adhibuisse constet, qvemadmodum *Peucerus* de divinatione fol. 158 & Historici plures ac Antiqvarii narrant.

CORNU OLDENBURGICUM, *(Tab. XVI)* ex argento purissimo inaura-

to, qvod encausto hinc viridi inde violaceo distingvitur. Pendet uncias 61. seu 4 ferè libras. De cornu hoc, qvod paucis abhinc annis Oldenburgi asservatum fuit Historiam seqventem in Chronico suo *Hamelmannus* narrat, ita latinè hic redditam: *Ottho primus ejus nominis, Comes Oldenburgicus &c: venandi studio addictus, cum tempore qvodam, comitantibus aulicis suis, in silvâ,* Bernefeurholtz *dictâ, feram perseqveretur usq; ad* Osenberg *eqvo albo insidens, canes venaticos convocaturus in cacumine montis substitit. Calore æstivo & laboribus fessus haustulum, qvo sitim levaret, impensiùs exoptavit. Mox ruptis montis* Osenberg *crepidinibus virgo formosa apparuit vestibus pretiosis fulgens, sparsâ per humeros comâ & innexâ capiti corollâ, cornu argenteum inauratum, characteribus variis figurisq; insignitum & liqvore plenum, manu tenens, qvod Comiti blandè obtulit; simulq; rogavit, ut nectare hoc sitim sedaret. Accepit cornu Princeps, sed liqvorem ipsum, cùm turbulentum animadverteret, bibere recusavit. Illa verò, bibe intrepidè, inqvit, meâ fide, haud oberit haustus, sed Tibi potius tuisq; magno erit emolumento. Si enim qvod offero biberis, florebit perpetuò familia Oldenburgica Tibiq; ac posteritati Tuæ bene erit, sin minùs, turbabunt domum Tuam discordiæ ac seditiones & familia tota pessum ibit. Petitioni Virginis annuere nolens Comes liqvorem omnem à tergo effudit. Qvà verò ejus portio eqvum, cui insidebat, tetigit, glabra reddita est cutis ac pilis destituta. Hæc videns virgo, cornu sibi reddi postulabat. At ille concitatô calcaribus eqvô ad suos evolavit, rem gestam exponens factiq; testem, cornu argenteum ostentans. Virgo interea disparuit.* Qvamvis verò dignitas prisca artis fusoriæ aliqvam in cornu hoc spiret antiqvitatem, eam tamen esse, ex qvâ Chr. Oldenb. *Hamelm.* part. I. p. 19. 20. 21 protractum vult, haud adeò verisimile est. Cornu qvoddam, qvemadmodum narrat *Hamelmannus*, Comiti Oldenburgico in venatione sitienti a Virgine, qvæ ex monte prodierat, circa annum 989 (ut *Winckelmannus* hist. Oldenb. part. I. c. 3. asserit) offerri potuisse non adeò inficiamur, sed ex commentis Romanorum antiqvis maximam hanc Hamelmannum hausisse historiolæ partem oppidò verisimile est. Cornu præterèa hoc Oldenburgicum qvoq; esse, ex scutis Oldenburgo-Delmenhorstis illi affixis facilè liqvet, in qvibus trabes vel asseres sub apicis ornamentis & cruces domûs Oldenburgicæ & Delmenhorstianæ passim incisæ emicant: At consentiunt in eo historiæ Oldenburgicæ conditores ferè omnes, clypeum Oldenburgicum trabibus vel asseribus istis, nec tempore Comitis Othonis I. nec ante illud tempus exornatum fuisse, sed asseres illos (seu potiùs lituras sangvinis leonini) post Leomachiam *Friderici* filii Hunonis, glorioso illi Hunoni, tum temporis S. Romani Imperii Architecto ad mare constituto, demum ab Imperatore Henrico IV. qvi seculo undecimo imperavit, collatos fuisse, qvemadmodum & ipse fatetur *Hamelmannus* part. I. chron. pag. 35. 37. Ergò Otthoni I. qvi ante illa tempora vixerat, hoc cornu oblatum fuisse minùs rectè memoratur, adeoq; præterlapsis hinc aliqvot seculis demûm fabricatum est. Etenim nec Ducatûs Burgundiæ ad cornu affixum scutum, qvod liliis Gallicis seculo demum 14. & 15 ita conspersum in sigillis Philippi Audacis & Mariæ Maleanæ refert *Olivarius Vredius* de sigillis Com. Flandr. pag. 63. 65. 66. 67. nec exaratæ in cornu literarum formæ majorem præ se ferunt antiqvitatem, qvæ adeò exactè locis suis insculptæ sunt, ut nullo modo post fusum cornu qvasi juniores incisæ videantur. Qvi verò operculum, basin seu pedamentum & scuta cornu hujus affusa deinde & affixa esse contendunt, qvemadmodum *Happelius* & alii, difficilem imitationem artis fusoriæ considerare debent, qvæ non patitur tam affabrè cornu huic aliqvid affundi vel affigi, qvin nova artificis manus protinùs dignoscatur, cujus vel minimum discrimen artis hujus peritissimi haud agnoscent.

noſcent. Igitur ſi fabricam poculi hujus artificioſam, ſuperbis mœnium pinnis utrinq; exornatam, ex qvarum antris modò pedites & eqvites, modò leones prorumpunt, curioſiùs perluſtremus, per eqvitem, qvi in ſummâ operculi parte conſpicitur, Dithmarſiam indigitari credimus, & ex leonibus qvatuor perternos Daniam per unum verò Norvegiam repræſentari. Illi præterea ſe nobis qvaſi offerunt, in qvorum honorem memoriamq; cornu hoc pretioſum tam affabrè fuſum & fabricatum eſt, tres nempe Magi vel Reges Sancti, qvorum nomina in circumferentia operculi leguntur:

Baltazar, Jaſpar, Melcior.

Labrum cornu hujus ſi intueamur, multa magniq; ſplendoris ſcuta ſub pontificio voto: *O Mater Dei memento mei!* ſe nobis ſiſtunt, Aqvila ſcilicet bicipiti nigrâ, Imperii Romani, Leonibus Daniæ ternis, Burgundiæ Ducatûs liliis Leonibus duobus, qvorum alter ex delineatione *Winckelmanni*, hiſt. Oldenb. par. I. c. 3. dealbatus, cum ſcuto jam deperditus, Ducatûs Brabantiæ, alter denigratus, Flandriæ Comitatûs ſymbolum eſt (qvemadmodum in, Caroli Audacis, Ducis Burgundi ſigillo gentilitio partim apud *Hamelmannum* part. 3. p. 279, partim apud *Olivarium Vredium* in ſigillis Comit. Flandr: pag. 94, 95. 100. exſtant) ac mitra Epiſcopali alterno ordine exornata. Hoc ergo poculi genus illi ſimillimum videtur, qvod glorioſæ memoriæ *Chriſtianus I.* Rex Daniæ, memorante *Huitfeldio* chron. Dan. part. 5. fol. m. 945. tribus Magis Sanctis, Coloniæ Agrippinæ, ut fama fert, ſepultis dicaſſe dicitur, cùm ibidem in Octavis Trium Regum Anno 1475 exiſteret. Qvemadmodum enim Rex charus *Caroli Burgundi* confœderatus in obſignato Burgundionis pacto cum fratre Regis *Gerhardo Animoſo*, *Hamelmanno* Chron. pag. 274 & *Huitfeldio* Chron. Dan. part. 5. fol. 909, nominatur, ità circa tempus idem ab Imperatore *Friderico III.* (è cujus manu Dithmarſiæ regionem nuper acceperat) & hoc Duce Burgundo mediator in has oras evocatus eſt, ut controverſiam gravem inter Burgundum, qvi Noveſium obſidebat, & Eccleſiam Colonienſem auxilio Pontificii Legati, Epiſcopi *Alexandri de Forolivio*, componeret, referente *Hamelmann* Chron. pag. 211. 212. 214. In cujus rei memoriam perennem Rex glorioſiſſimus clypeos imaginesq; cornu huic affigi curavit & ſcuta præcipua, in qvibus Imperatoris *Friderici III.* Aqvila biceps, *Chriſtiani I.* Regis Daniæ trini Leones, *Ducis Burgundi*, *Caroli Audacis*, lilia diſperſa & utriq; ejùs Leones, qvorum qvisq; ſuum ſibi vendicat ſcutum ac *Alexandri Epiſcopi Forolivienſis*, (velut ex *Ughelli* Italicis ſacris liqvet Tom. 2. pag. 624) mitra epiſcopalis extant, ordinibus alternis apponi.

Idem præterea cornu effatis regiis exornatum eſt, in mediâ & qvidem anticâ parte: **In hopen ic leve** / ad dextram, **Ic bhegehre** / ad ſiniſtram **im ghenoghen** / in parte poſticâ **ave maria.** Qvo pacto in Octavis Trium Regum Sanctis his Magis Coloniæ Agrippinæ conſecratum. Et qvamvis *Carolus Audax* terna tantùm lilia, qvæ illi jam baptizato pater Anno 1433 deſtinaverat, gentilitio ſcuto inſeri majorennis voluerit, illa tamen numero incerto circumqvaq; diſſeminata geſtare etiam amavit, cùm & *Olivarius Vredius* ex archivis Gandavenſibus Ducis hujus ſigillum ita in ſcuto liliis conſperſum protrahat pag. 100. ſigill. Comit. Flandr. velut more veteri diſſeminata ſemper in Ducatûs Burgundiæ ſcuto poſtea manſerunt.

Qvæ dum attentiùs conſideramus, nec antiqviora nec recentiora acta vel arctioris amicitiæ fœdera inter Imperatorem Romanum, Regem Daniæ,

æ, Ducem Burgundiæ & Comitem Oldenburgicum, qvæ in cornu noſtrum ad amuſſim qvadrant, ex hiſtoriarum monumentis eruere poſſumus.

Apex cornu hujus & pedes utriq; majores, adhuc diffracti, adhærent, minores verò pedes ſive fulcimenta qvibus cornu innititur, binos integros gryphos exhibent, indicio haud obſcuro, *Magnum* Ducem Megapolitanum, qvi in ſcuto ſuo fabuloſam hanc avem geſtavit, fidum in hoc itinere Regis comitem extitiſſe. Qvinq; præterea ſcuta, qvæ armigeri ſub apicis ornamentis in cornu geſtant, qvorum qvatuor vetuſtate ferè ſunt detrita, *Friderici Brunsvici*, *Johannis Saxoniæ*, *Magni Megapolitani Ducis*, *Gerhardi Oldenburgici* & *Jacobi Ruppini Comitis* præſentiam illuſtrem in itinere hoc luculenter qvoqve teſtantur, qvemadmodum & venatores qvinq; qvi in parte vicinâ ſupernâ eqvitantes conſpiciuntur. Hos qvippe Heroes Regi hìc adfuiſſe annales produnt.

Tandem in apicis ſummo virgo conſpicitur utrâque manu ſchedulam tenens, cui inſculptum, Drinc all wt/ id qvod uſum cornu hujus nobis indigitat.

Statuimus ergò cornu hoc à Rege Daniæ potentiſſimo, Chriſtiano I. honori Sanctorum Trium Regum dedicatum fuiſſe & confoederatis ac comitibus ſuis illuſtriſſimis in memoriam Trium Magorum vino repletum inter epulas oblatum, cùm Rex in Octavis trium Regum Coloniæ Agrippinæ degeret. Generis ejusdem cornua duo bubula in Muſéo hoc aſſervantur, qvorum labra argento inaurato obducta memoriæ qvoq; Trium Regum conſecrata eſſe videntur. Genera diverſa vaſorum, è qvibus olim in ſeptentrione liqvores hauſti ſunt, vide in Jani Dolmeri Hirdſkraa edit. Reſen. pag. 461. qvæ & in ſanctorum memoriam uſurpata fuère. pag. 533. 534.

CORNU ingens VENATORIUM ex metallo, qvod libras ſedecim pendet, in Scaniâ repertum, cum Inſcriptione: Erlig og Welbyrdig Mand Jens Brad. Fuſa ſum Anno 1552.

Cornu bubulum, in cujus labro argenteo deaurato: Help GOT unde Maria/ dat iw GOT Lene.

Cornu ingens bubulum, cujus apex glande qvernâ exornatus, vas potatorium eſſe fertur Archiepiſcopi Nidroſienſis Aſlachi Bolt, cujus auxilio Rex Sueciæ, Carolus Canuti filius, concitata adverſus nobilitatem plebe, id effecit, ut ea in Nidroſienſi urbe regem ipſum conſtitueret, qvemadmodum narrat *Huitfeldius* part: 5: 849. ſed qvâ celeritate regnum ipſi oblatum, id qvoq; amiſit. In labro cornu argenteo deaurato: Baltzar, Jaſpar, Melchior. et Inſignia qvædam gentilitia conſpiciuntur.

CORNUA varia magnitudinis ac figuræ diverſæ, qvorum alia ex ebore, artificio eleganti et emblematum varietate hinc inde diſtincta; alia ex bobus aliisq; animalibus deſumpta, labris ex argento, ære, & metallo alio deauratis, qvæ poculorum uſum majoribus noſtris olim ſubminiſtrarunt.

URNÆ LACRIMALES VITREÆ, in qvibus pro defunctis ſuis lacrimas colligebant Romani veteres, iisdemq; cineres mortuorum irrorabant. Coloris ſunt opalini, qvibusdam in locis materià gypſeà obductæ, & ex baſi plana ac lata in collum, craſſitie digiti minoris, ſenſim aſcendentes, qvod in latius demum labrum terminatur.

URNA

URNA LACRIMALIS TERREA. Vasculum est oblongum & pyriforme, colli angusti, ventris amplioris, coloris ex rubello albescentis. Urnas has lacrimales tam vitreas qvàm terreas fusè, præter alios, describit *Kirchmannus de funeribus Romanorum.*

URNA ingens SEPULCHRALIS, qvæ prope Weirum, Sælandiæ pagum, reperta est, cineribus plena.

URNÆ variæ FIGLINÆ, magnitudinis diversæ, qvarum pleræq; ex tumulis camporum in patriâ nostrâ effossæ sunt, cineribus mortuorum ossiumq; fragmentis plenæ. Tales à materiâ contentâ cineraria seu ossuaria ab Antiqvis dictæ.

CISTÆ variæ ex cupro inaurato pro reliqviis Sanctorum olim asservandis usitatæ. Harum una in Norvegia reperta est.

LUCERNA ÆREA elegantissima, qvæ basi sua figuram pedis aqvilini exhibet, cujus tibiæ incumbit vas frondibus ac pampinis supernè infernéq; redimitum. Orificio hujus superiori testudo marina, affabrè efficta, insidet. Lucernam hanc, qvam habuit qvondam in Pinacotheca sua *Petrus Charisius* depictam accuratè descriptamq; exhibet *Fortunius Licetus* Lib. 6. cap. III de Lucernis Antiqvorum.

LUCERNÆ variæ magnitudinis ac figuræ diversæ, ab Antiqvis usurpatæ; qvarum metallicæ nonnullæ, figlinæ aliæ, varia animalium ac Idolorum simulacra exhibent.

STILUS ÆNEUS ROMANUS. Crassitie est pennæ anserinæ minoris, in extremitate una acutus, altera appendice rotundâ & planâ instructus, ut ea, qvæ prima scripsit, deleat haud difficulter altera. De stilis memoratis plura conscripsit *Hermannus Hugo* de prima scribendi origine.

FIBULÆ variæ ANTIQVORUM, qvarum nonnullæ arcus seu semicirculos figura referunt, à *Joh. Rhodio in dissertatione de Acia* descriptæ ac delineatæ.

FIGURA LIGNEA, qvæ cunas Christi Bethlehemiticas repræsentat, insertis ex matre perlarum frustulis conspicua.

SUS ÆNEUS, qvi Ægyptiorum olim Idolum fuit.

FIGURA ÆNEA qvæ cuneum repræsentat.

CLAVIS ANTIQVA ÆNEA cum ANNULO.

LUCTATOR ROMANUS ex ÆRE.

CAPUT SENECÆ ex ÆRE, rarum oppidò & antiqvum.

HERCULES, FAUNUS, POMONA, & plures aliæ formæ, qvæ ab Historicis & Poëtis memorantur, ex ÆRE efformatæ.

ARMILLÆ duæ ÆNEÆ figuræ cylindricæ prope Coldingam in Jutia effossæ, ex tredecim annulis, sibi invicem junctis, compositæ, & eâ amplitudine, ut brachium hominis, staturæ mediocris, ambire valeant. De his fusius in Muséo suo *Ol. Wormius* & in tractatu de Armillis *Th. Bartholinus.*

CALCARIA Regis Daniæ *VALDEMARI TERTII*, qvemadmodū & ANTIQVORUM ALIA, fabricæ ac figuræ diversæ.

CAPITA duo MARMOREA, qvæ in templo qvodam reperta Athenis anno 1688 huc translata sunt.

CINGULUM CORIACEUM, qvo capita in ceremoniis ſuis Judæi cingunt.

SCRUTINIUM VENETUM, ſeu capſula lignea loculis tribus diſtincta, qva in colligendis votis Itali utuntur. In loculo primo legitur: SI, in altero: NON, in tertio: SI NON, in qvorum aliqvem globulus laneus demittitur, prout negotium vel approbant vel improbant vel perinde habent.

MONUMENTUM MARMOREUM qvadratum ex Româ ſubterraneâ, Anno 1643 erutum, qvod attulit ſecum vir ſagaciſſimus *Joh. Mulenius Danus*, cujus hæc eſt Inſcriptio.

CUSTANTINUS †
EBERETAS SIBI †
LOCUM FECERUNT.

SIGILLUM FRATERNITATIS SANCTI CANUTI, cum Inſcriptione Landes Crone in Skania. Rex qvidam throno ſuo inſidens conſpicitur, circa qvem coronæ variæ.

SIGILLUM ABBATISSÆ in MARIEBO. Effigies Virginis in medio conſpicitur.

SIGILLUM FRATRUM in MARIEBO. Virgo Maria puerulum ulnis amplexa cernitur.

SIGILLUM MONASTERII S. MARIÆ in SORA. Virgo Maria modo prædicto repræſentatur.

SIGILLUM METALLICUM OVALE, cum inſcriptione.

ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ. ΕΛΕΩ. ΘΥ ΟΑΥΤ. ΡΩΜ. ΟΜΕΓ. ΑΥΘ. ΤΟΥΡ. ΑΛΒ. ΣΕΡΒΙ. ϛ ΒΟΥΛΓΑΡΙ. ΒΑΣΙΛΕΥΣ.

Aqvila qvoq; diviſa conſpicitur, in cujus medio tres candelæ accenſæ. Subtus animal vulpi vel lupo ſimile conſpicitur.

SECTIO



SECTIO IV.

Mechanica, Optica & res cœteræ huc ſpectantes.

MACHINA PLANETARUM. (*Tab: XVII.*) artificio raro admodum ac ſtupendò effiĉta. Illum nobis præſtat uſum, ut tempore qvovis propoſito, vel præſente, vel præterito aut futuro ſtatus motuum cæleſtium ſecundùm ſyſtema Copernicanum exhibeat. Cognoſcitur hujus ope tam latitudo qvàm longitudo cujusvis planetæ & verus ejusdem in cœlo locus. Diſtingvitur Apogæum & Perigæum cujusvis horum aſtrorum, ad celeritatem vel tarditatem, ſtationes & retrogradationes dignoſcendas, ſecundùm excentricitatem motus ſui circa ſolem. Machina prædiĉta, qvæ facies duas planas exhibet, ortum qvoq; & occaſum cujusvis planetæ beneficio planiſphærii monſtrat, in qvod locus planetæ in Zodiaco ab alterâ parte inventus transfertur. Planeta qvivis ſuper machinam hanc excentricè movetur & ita qvidem ut poſita ſemel excentricitate eundem neceſſariò ſuper machinam hanc, qvem reverà in cœlo, motum efficiat.

MACHINA ECLIPSIUM, uſu & artificio prædiĉtæ haud inferior. (*Tab. XVII.*) Hæc qvovis ad lubitum anno, vel præterito vel futuro, Eclipſes tam ſolis qvàm Lunæ monſtrat, juſtam qvoq; illarum magnitudinem, diem qvo contingent, & verum lunæ motum, qvamvis maximè irregularem ob mutationem apogæi & perigæi, ſingulis menſibus oſtendit. Machina hæc binas qvoq; facies nobis exhibet, qvarum una Eclipſes, altera ſeculum, annum & diem inſtar machinæ planetarum monſtrat. Singulæ per unicum axem moventur, qvi ad dextram vel ſiniſtram revolutus verùm phænomenorum tempus demonſtrat. Machinas prædiĉtas, uſu & artificio planè ſtupendas vi ingenii inexhauſtâ excogitavit Orbiq; literato obtulit ſagacisſimus Daniæ Mathematicus *Olaus Römer*, licèt inventi hujus laudem Galli ſibi vendicare allaboraverint, qvemadmodum ex Ephemeridibus Gallicis, vulgò *Journal des Scavans, Tom: decim: Anni 1682*, evidenter apparet. Referunt qvippe à Patribus ſocietatis Jeſu nihil vel rarius vel ſtupendum magis Indis apportari potuiſſe, qvod famam gentis Gallicæ extenderet nominisq; venerationem promtiùs conciliaret, ſed immemores ſe paullò ante in Ephemeridibus ſuis anni 1681

 d. 24.

d. 24. Februar. laudem inventi hujus Mathematico prædicto attribuisse. *Machina*, inqviunt, *qvam Dominus Römer effinxit ante reditum suum in Daniam adeò admiranda est & ingeniosè excogitata, ut figuræ illius nobis communicandæ operam continuam impendamus, qvemadmodum & machinæ alterius, qvam pro motu planetarum efformavit, ut publico ambæ innotescant.* Sincerè magis veritatem rei patres Societatis Jesu fatentur in Itinerario Siamensi, anno 1685. lib. 1 pag. 10. *Præter alias*, inqviunt, *machinas, omnes illas attulimus, qvæ experimentis vacui inserviunt, horologium in plano inclinato, duas machinas Domini Römer, qvarum una motum planetarum, altera Eclipses solis lunæq; repræsentat.*

MACHINA Ingens, cui impositus GLOBUS qvi systema mundi Copernicanum repræsentat & beneficio horologii dirigitur, qvod qvovis octiduo, ubi devolutum est, iterum rotari ac revolvi debet ut orbem suum absolvat. Sol hìc in mediò qviescit, terra verò circa eundem motu annuo semel circircumducitur singulisq; viginti qvatuor horis circa proprium centrum gyratur. Luna pro centro terram habet, circa qvam spatio viginti novem dierum & duodecim horarum circuitum absolvit, cujus incrementum & decrementum qvotidie dignoscitur. In limbo seu margine machinæ menses eorumq; dies singuli & signa cælestia dignoscuntur, ac numerus dierum, qvi mense qvolibet comprehenduntur. Qvis machinæ hujus, anno 1651 concinnatæ, inventor sit, non adeò liqvet, fabricator verò ejusdem seu automatarius *Siebenhaar Slesvicensis* esse creditur rerum mechanicarum peritissimus. In disco præterea seu lamina Calendarii hæc leguntur: Johan. D. G. Epis. Lub. Hær. Norv. Dux Sclesv. Holſ. Storm. & Dith. Com. In Old. & Delm. 1651. Insignia qvoq; Ducatus Holsato Slesvicensis & Episcopatus Lubecensis hìc incisa conspiciuntur.

SPECULUM USTORIUM ingens, cujus diameter 32, profunditas 2¼, focus 29 pollicum existit. In liqvandis & vitrificandis metallis rebusq; aliis obviis comburendis effectus præstantiores edit qvàm celebre illud Gallorum speculum, qvod in *Ephemeridibus* suis seu *Journal des Scavans* adeò extollunt. Ab eodem speculi Gallicani artifice hoc qvoq; concinnatum est, sed nitore suo ac superficie polita Gallicanum illud, qvod pulvere velut inſperso hinc inde scabrum est, evidenter vincit.

SPECULA USTORIA septem, magnitudinis diversæ.

SPECULUM MULTIPLEX, qvod objecta ita multiplicat, ut, cum facies una obvertatur, innumeræ protinus appareant.

SPECULUM, qvod situ vario faciem intuentis tam longam qvàm latam repræsentat.

TUBI varii OPTICI, longitudinis diversæ.

VITRA USTORIA duodecim magnitudinis disparis.

PERSPICILLA varia magnitudinis & figuræ diversæ, qvorum nonnulla, qvæ polygonia dicuntur, species objectas multiplicant, alia majores exhibent, qvædam deniq; easdem minores.

PRISMA CRYSTALLINUM, qvod colores varios elegantissimos, pro variâ ejus ad oculum applicatione, ita exhibet ut iridibus objecta omnia irradiata videantur. Ob elegantiam talem varietatemq; colorum Italis *Occhio del Paradiso* dicitur.

PRISMATA qvinq; majora generis ejusdem, invicem juncta & limbo igneo

neo vestita, qvæ cameræ obscuræ inserviunt ac colorum varietate velut aulæa ac perîstromata in parietibus exhibent.

THERMOSCOPIA varia, seu instrumenta vitrea, qvibus caloris & frigoris gradus dignoscuntur.

BAROMETRUM seu instrumentum vitreum mercurio repletum, qvod pondus aëris demonstrat.

MICROSCOPIA varia. Horum unum ab inclyto Parisiensium Optico, Domino *Le Bas* confectum est, cujus tubus, qvi vitrum seu lentem continet, sex saltem pollicum longitudine præstantiores longè effectus edit, qvàm microscopia alia vel pedalis vel sesqvipedalis longitudinis.

SPECULA CYLINDRICA metallica, qvæ perpendiculariter imminent tabulis planis, figurasq; ac imagines in iis confusas & variè dissipatas recolligunt qvasi, & ordine decenti ac figurâ repræsentant. Horum unum in tabula planâ, nil nisi monstrosas figuras & qvasi confusum chaos exhibente, constitutum, Regem gloriosæ memoriæ *Fridericum Tertium* & Reginam *Sophiam Amaliam* repræsentat.

LUCERNA MAGICA seu THAUMATURGA. Instrumentum est, qvod ope lentium crystallinarum figuras minimas ac icones ibi depictas, candelâ prius accensâ, in cubiculi obscuri pariete albo, ad passus plures distante, aut linteo expanso forma grandiori & qvidem coloribus omnibus ac lineamentis distinctè repræsentat. Lucernis talibus, qvarum inventores varii extiterunt, palmam facilè præripuerunt illæ, qvas ingenio summo concinnavit *Thomas Walgensteinius*, insignis qvondam Daniæ Opticus, qvarum beneficio res varias & stupendas Divo *Friderico Tertio* Hafniæ exhibuit, inter qvas meritò hic non emittenda mortis figura Regi paucis ante obitum diebus per hanc artem repræsentata, qvæ adstantibus omnibus magnum incutiebat horrorem, Rex verò solus, castigatâ eorum mollitie, non modò non dirum, sed etiam jucundum id sibi esse spectaculum, qvo non satiari posset, dictitans, ter aliis interpositis, id sibi demonstrari voluit.

TUBUS PARASTATICUS. Firmatur suis pedamentis in tabula plana objecta, in cujus circumferentia Reges Daniæ ex familia Oldenburgica depictos, in centro verò Reginam gloriosæ memoriæ *Sophiam Amaliam* conspicis. Si verò per exiguum tubi foramen objecta hæc aspexeris, in centro tabulæ non ampliùs effigies *Sophiæ Amaliæ*, sed Regis nostri Serenissimi *Christiani Qvinti* conspicitur. Tubus hic Parastaticus ab ingenioso *Benedicto Grotschilling* artificio summo efformatus est.

TUBUS alius PARASTATICUS, in Italia, modo dispari, efformatus.

CISTULÆ variæ CATOPTRICÆ, in qvarum cavitate, ubi per foramen qvadratum parvulum interiora aspexeris, res variæ, qvasi longissimè remotæ, conspiciuntur. Fusiùs has, qvemadmodum & alia non dissimilia, descripsit *Athanasius Kircherus* in Arte magn. Lucis & Umbræ lib: 10. part. 3.

Tentamen MOBILIS PERPETUI. In instrumento hoc per varia fila ferrea hinc inde disposita globulus decurrit motu continuo, & lapsu demum præcipitato in tenaculam partis infimæ impingens, ascendit protinùs & versus superiora fertur, cursuq; continuato semitam priorem repetit.

MACHINA PNEUMATICA. Hæc experimentis variis circa vim aëris elasticam corporumq; recipienti exhausto impositorum phænomenis explicandis inserviens à *Roberto Boyleo* Anglo, in tractatu de vi aëris elasticâ, fusè admodum & accuratè descripta est.

OCULI

OCULI HUMANI FABRICA artificialis ex ebore efformata, qvæ tunicas omnes contentosq; in illis humores exhibet.

TABULA NAUTICA GIBBA Europæ Septentrionalis.

Alia generis ejusdem Europæ Meridionalis.

GLOBUS SULPHUREUS, qvi radio ferreo seu axe qvodam circumagi potest. Hujus beneficio experimenta varia ex principiis magnetico-electricis dependentia tentantur, de qvibus prolixè *Ottho Guericke* libr: 4. cap. 15. de vacuo spatio.

INSTRUMENTUM ferreum, artificio peculiari efformatum, pro uvula propendente auferenda. Hoc à Norvego qvodam in Diæcesi Bergensi, rerum mechanicarum gnaro, excogitatum est. Lamina ferrea plana, pollicum undecim longitudine, in extremitatum altera globulo parvo instructa, paullatim ampliatur donec circa mediam partem pollicum trium latitudinem acqvirat, qvæ sensim minuitur in eamq; redigitur augustiam, ut machinis, ab altera parte laminæ existentibus, pro lubitu extendi & exeri qveat uvulamq; resecandam aptè comprehendat. In hac parte clavus extat mobilis qvi scindens ferrum, extremitate altera ei annexum, extendit & retinet tamdiu donec laxari debeat. Clavus hic retinaculis duobus nectitur, qvorum alterum extensum firmat ac retinet, alterum compressum laxat, ubi amputanda est uvula. Unum qvippe retinaculum à clavo truditur dum ferrum extenditur, alterum verò extensum tenet ferrum scindens, pressione digiti in extremitate, versus manubrium, accedente.

PYXIS, NAUTICÆ non dissimilis ex tractu Chinensi. Figuræ est orbicularis, ambitu suo pedem circiter continens, in diametro pollices qvatuor cum dimidio, ex ligno vernice obducto efformata. In centro ejus foramen est cujus fundo stilus minutus inseritur, qvem lamina argentea perforata ambit. Cavitas tota, in qva acus continetur, vitro pellucido clauditur. In ambitu characteribus Siniticis nigris insigniti circuli conspiciuntur. Pyxidem hanc, licèt nauticæ simillima appareat, sortilegam *Martinus Martinius* appellat. Ita qvippe in epistolâ d. 27. Febr. Anni 1654 ad *Wilhelmum ab Aelse* exarata, qvemadmodum & in Historia Sinensi, de pyxide hac disserit: *Qvod attinet ad pyxidis hujus explicationem, dico Sinensem esse ac qvamplurimas similes in Sinis esse ac fuisse jam antiqvissimis temporibus. Nam gens illa pyxidis usum habet jam qvasi à tribus millibus annis. Non est autem hæc pyxis nautica, sed sortilega—. Nautica enim aliam habet formam nec tot characteribus inscribitur nisi in extimo limbo, ubi ventorum nomina—. Hæc ergo sortilega est, qvam Montilogi in Sina adhibent pro felici sepulchri loco inqvirendo. In sepulchris enim construendis non minus sumptuosi qvam superstitiosi semper fuere Sinæ, putant enim sub terra Draconem seu influxus varietates esse, unde cor, caput, vel caudam inqvirunt ac similia eo planè modo, qvo Chiromantici venas ac lineamenta manus considerant & judiciarii Astrologi siderum aspectus.* Refert præterea *Martinius* laudatus characteres horarum & literas in circulo pyxidis hujus extimo dispositas inprimis à Sinensibus considerari ubi ædificia extruent, è literis secundi circuli horas noctis erui, è tertio circulo varia felicitatis & infelicitatis nomina, in octo areolis qvarti circuli qvatuor mundi plagas indigitari.

SECTIO



SECTIO V.
DE
Numis variis ac Monetis.
Numiſmata Danica ex auro.
REGIS
CHRISTIANI PRIMI.

TAB: XVIII. No. 1. HRIST. *Rex trabeatus, corpore erecto, dextrâ ſceptrum, ſiniſtrâ verò pomum aureum cum cruce impoſitâ tenens.*

A parte altera:

Tres Leones Danici cum coronâ, partim exeſâ.

Numus eſt truncatus, vetuſtatem illam indicans, qvam viri ſagaciores Potentiſſimi Regis CHRISTIANI I. tempora attigiſſe autumant. Moneta qvippe ſine ærâ Chriſtianâ percuſſa eſt.

2. C *coronatum, prima Regii nominis litera.*

Numus rotundus, qvi alterum ſaltem latus ita ſignatum exhibet, affabrè eô modô cuſus eſt, qvo aurifabri in figuras varias aurum ſuum argentumve extendunt.

JOHANNIS PRIMI.

3. JOHS. DEI. GRA. REX DANOR. JUSSIT ME FIERI AN. 1496. *Effigies Regis inſidentis ſolio Regio.*

Ab altero latere.

DEXTERA DNI. EXALTA. ME. DEXTERA DNI. FECIT VIRTU. *Ejuſdem Regis glorioſiſſimi eſt ſymbolum pium, è Pſalmo Regis Davidis 117. v. 16: erutum. Integra Regnorum inſignia.*

Cimelium anno eodem cuſum, qvo Rex recuperationem Sueciæ, poſt-

poſtqvam defecerat, meditabatur, qvâ anno ſeqvente feliciter recuperata die S. Catharinæ â Suecis coronatus eſt. In qva feſtivitate 50 viros fortiſſimos,qvorum inclyta virtus hoc bello emicuit, eqvites auratos â Rege creatos, *Arnoldus Huitfeld.* Chron. Dan fol. 1919 memorat, ex qvorum numero regni hujus ordine Seraphino nonnullos ornatos fuiſſe non ambigitur. Teſtamentum qvippe manu *Georgii Gyldenſtiern* Otthiniæ veſpera paſcali Anno 1551 ſcriptum, jam ex archivis Epiſcopi Aalburgenſis *Jani Jacobi Birckerodii*, diſertis verbis ita perhibet. Och ſkal ſamme min Brother (Gabriel Gyldenſtiern) ther forùthen tage then Guldkœde meth the Engle-Hoveder uthi/ ſom vor Salige Fader fik til Skienck af Konning Hans/ ther hans Naade ſlog hannem med flere Rigens-Mænd til Ridder uthi hans Konnigliche Kroning i Stokholm. i. e. Idemq; meus frater (Gabriel Gyldenſtiern) torqvem illam auream,cui capita angelorum innexa,teſtamento ratam habebit, qvam parens noſter b. m. â Rege *Johanne* dono accepit, cum crearet illum eqvitem auratum ſimul cum aliis proceribus regni in coronatione ſua Regia Stockholmiæ.

Duo ſimili, ſed minori, typo.

TAB: XVIII

CHRISTIANI SECUNDI.

N°. 4. CHRISTIERNUS DEI GRACIA REX DACIE SUECIE, AC NORVEG. *Effigies Regis integra, regiè togati & ſolio inſidentis.*

In poſtico.

XPS. JHS. ELEGIT ME REGEM POPULO SUO in Ano. 1518. *Regis ejusdem eſt effatum, qvale illud Salomonis ſap. 9. v. 7 Daniæ inſignia ejus temporis completa.*

Numus eſt cuſus eodem anno, qvo bellum Rex movere cœpit contra Suecos perduelles, qvos anno 1520 in poteſtatem ſuam redegit.

5. CHRISTIERNUS D. G. REX DAC. *Rex Chriſtianus II ſolio Regio inſidens cum clypeo inter pedes, in qvo trabes geminæ Oldenburgicæ.*

In poſteriore latere.

CHRISTOPHORUS CO. OLDENB. *Inſignia Oldenb. plena.*

Meminit numi ejusdem *Arnoldus Huitfeld.* Chron. Dan. pag. m: 1422. In memoriam qvippe homagii, Comiti iidem *Chriſtophoro*, nomine CHRISTIANI II. captivi, anno 1534 â Danis Malmogiæ præſtiti, cuſus eſt. Mortuo enim FRIDERICO I. Rege Daniæ, animo contra filium ipſius CHRISTIANUM belligerandi, Comitem hunc Oldenburgicum, ſcientiâ rei militaris excellentem, in Holſatiam Rex captivus ope Imperatoris *Caroli V.* & *Mariæ* Belgarum Gubernatricis clàm evocavit. Huic occaſioni Lubecenſes oppidò inſervierunt, & ut Daniam ſibi eo modo devinctam vel ſubjectam potius in incrementa commerciorum contra Batavos haberent, Comitis copiis ſuas auxiliatrices adjunxére, liberationemq; Regis CHRISTIANI II, infelici captivitate detenti, operâ Comitis conſanguinei ſubdolè obtenderunt: Regem qvippe captivum ſibi tradi exoptarunt, ſi Comes rerum in Daniâ potiretur, qvas tandem, re minus bene geſta, ex conſiliô Lubecenſium conjugio *Chriſtinæ*, filiæ Regis captivi viduæq; *Franciſci Sfortiæ*

in

in ſe derivari, Hafniæ à CHRISTIANO III obſeſſus magnopere appetiit, miſſo de hac re certo homine ad aulam Burgundicam. Bella & diſſidia interim varia in Regno Daniæ ob captivitatem Regis ciere ſimularunt, qvæ victoria anno 1536 parta & mitiori Regis captivi detentione, Imperatori *Carolo V.* Spiræ anno 1544. promiſſa, Rex CHRISTIANUS III tandem omnimodè compeſcuit.

FRIDERICI PRIMI.

No. 6. FRIDERICUS ET SOPHIA D. G. REX ET REGINA DANIE. *Facies Regis & Reginæ ſibi invicem oppoſitæ.*

Ab averſa.

IN MANU DOMINI OMNIS POTESTAS TERRÆ. 1532. *Regium eſt ſymbolum. In medio numi parvulus qvidam inſignia Domûs Oldenburgicæ plena ſupportat, tres clypeos coronatos, cruce Dannebrogicâ, tribus Daniæ Leonibus & bipenniferô Norvegiæ leone inſignitos ſupra ſe habens. In clypeis qvatuor inferioribus bini leones Cimbriam meridionalem, Draco Sclaviam, Piſcis Islandiam & cygnus Stormariam denotant.*

Anno nempe eodem numiſma hoc percuſſum, qvo Regnum FRIDERICI I firmius ſtabilitum & in vincula conjectus eſt CHRISTIANUS II.

7. FRIDERICUS D. G. REX DACI. R. NOR. *Rex trabeatus ſolio inſidens regio, dextrâ gladiũ, ſiniſtra pomum aureum cruce inſignitum tenens.*

MONETA NOVA RIPENSIS. *Integra Regnorum inſignia.*

Ripis Phunduſiorum, qvemadmodum ex parte adverſa patet, numus hic percuſſus. Urbs Cimbriæ eſt ſatis celebris & inprimis officina olim monetaria,

Cui nihil hoc claro ſit penè antiqvius uſu,

Ut *Eraſm. Mich. Lætus* Rerum Danicar. lib. 8. pag. 391. ait.

CHRISTIANI TERTII.

8. CHRISTIANUS 3. D. G. DANO. REX *Facies Regis in medio numi lateris prioris.*

In poſteriore.

UNICA SPES MEA CHRISTUS. 1541. Circa hæc tempora Reges ſeptentrionales Potentiſſimi, CHRISTIANUS III & *Guſtavus* apud Bremſebroe amicè convenientes, fœdus Bremſebroenſe, qvod in Trionum oris etiamnum celebre eſt, inierunt.

9. CHRISTIANUS 3. D. G. DANIE & NORVEGIE REX. 1550.

A parte poſtica.

Facies Regis ſola.

10. *Idem cum facie Regis ſola ex antica numi parte.*

Ex poſtica.

Character nominis Divini. Infra, ut creditur, binæ literæ K. K. monetarii nomen deſignant.

CHRISTIANUS 3. D. G. DANIE NOR. *Icon Regis coronati.*

In adversa parte:

WEGIE. VANDA. GOTOR. Q. REX. *Insignia Daniæ plena cum anni numeris 57.*

TAB. XVIII.

REGINÆ DOROTHEÆ.

No. 12. DOROTHEA K. D. *Reginæ facies.*

Ab alterâ parte:

ALES VAN GODT. 1560. *Pium viduæ Reginæ apophtegma.*

Numus anno illo cusus est, cujus dies primus Regi CHRISTIANO III. ultimus fuit. Est Regina hæc, qvæ virtutibus eximiis ad miraculum usq; decorata fuit, cujus munificentiæ, præter hunc numum, curia Hafniensis fibulam illam pretiosam vestiariam debet, qvemadmodum in descriptione Insul. Samsoæ *Resenius* refert *fol. 60.61. & 62.* utpote in sponsarum Hafniensium decus anno 1557. curiæ eidem clementissimè oblatam. Numum hunc rarissimum inter numismata sua scripto peculiari edita anxiè desiderat *Joh: Mulenius*, in conqvirendis patriis numis sagacissimus.

TAB. XIX.

FRIDERICI SECUNDI.

No. 1. FRIDERICUS 2. D. G. DANIE. *Corona & tres Leones in clypeo ad crucem.*

In postico.

NORWEGIE SLAVO. GOTOR. Q. REX. III. MARCK DANSKE. LXIII.

Postica numi facies valorem antiqvum monetæ Danicæ indicat: Aurei enim hujus numi typus idem est, ac argentei cujusdam thaleri imperialis, qvemadmodum in Daniâ Anno 1563. percussus est, secundùm inscriptionem tribus valens marcis Danicis, deinde verò qvatuor. Sed ne res monetaria in commerciis cum extraneis confunderetur, ut qvis inde lucrum captaret, voluit Rex Justissimus Anno 1571. die 16. Junii, ut moneta sua cum illâ Imperii Romani exactè æqvalis esset, qvo tempore thalerus hic itidem duarum marcarum esse cœpit, cœterosq; numos minores, contra legem numariam uberiori pretio in Daniâ percussos, regno exportari providè interdixit. *Chron.* FRIDER: *II. edit. Resen. pag. 263. 264.* Adeò ut idem thalerus ad antiqviorem in Daniâ valorem recurreret, qvem duabus marcis ante CHRISTIANI III tempora valuisse *Christ: Ostersen in suo Glossario Juridico-Dan. pag. 553.* exponit, sex marcas nostrates jam inde ab anno 1622. pretiô æqvantem.

2. F. *Prima Regii nominis litera cum coronâ* 1563.

Ab alterâ parte.

Typus Fortunæ insistentis globo.

Numus est truncatus, anno eôdem cusus, qvô contra Svecos bel-

lum

TAB: lum parare Rex coactus sit, fortunam sibi prosperam faventemq;
XIX. exoptans, cujus simulacro partem numi posticam insigniri voluit.

No. 3. FRIDERICUS II. DANIÆ, NORVEGIÆ, VANDALOR. GOTHORUM QUE REX. 1564. *Icon Regis.*

In postico:

DUX SLESVICI, HOLSATIÆ, STORMARIÆ ET DITMARSIÆ CO. OLD. ET. DELM ✝

Fortunæ typus globo insistentis cum inscriptione: FEDELTA E COSA RARA.

Numisma hoc raritas inprimis & artificis nobilitat industria, in cujus posticâ parte apophthegma regium appositum conspicitur: Fedelta e cosa rara, qvod in posterioribus numis Rex germanicè reddi voluit Treu Ist Wildt Brat. Originem apophthegmatis hujus ex proverbio Lutherano sagaciores deducunt, qvod inter trita Francofurti ad Mœnum Ao. 1570. impressa pag. 163 exstat: Fürsten und Hern seynd Wildpret im Himmel. Symbolum hoc numo qvoqve memorato Rex Prudentissimus imprimi jussisse videtur, qvòd belli tempestate hostem suum, paci & concordiæ à potentissimis Christiani orbis Principibus Rostochii impetratæ primò addictum, postea verò, congregatis jam Principum Legatis, dissentientem deprehenderit militesq; ac eorum Tribunos summos in copiis suis parùm fidos habuerit. Qvemadmodum *Chronica Frid. II. à P. Resenio edita pag* 94 *&* 114 memorant. Rectè igitur *Jacobus Typotius* de symbolo hoc pag. 368. Fides rara est, *(inqvit Rex) & fortunam vel occasionem in pilâ volubili statuens, sentit hominum plerosqve leves, ventosos & inconstantes, qvi, uti illa velum cum vento, cum fortunâ animos mutant.* Canem præterea, cui nomen *Wildbrat*, fidum sibi semper comitem Rex idem, memoriæ gloriosæ, habuit, cujus imaginem peripetasmata in arce Regiâ Fridericiburgensi propè Regem memoratum cum millo, in qvo literæ T. I. W. B. sibi intextam monstrant.

4. I. DOGKATE. 1564.

Insignia Danica. Numus est qvadratus.

5. I. GOLTKRONE. 1564.

Tres Leones cum coronâ. Corona aurea qvadrata.

6. FRIDERICUS 2. DEI GRACIA DANIE NORWE. SCLA. GO. RE. *Effigies Regis 1565.*

Ab altero latere:

ANNO 65. AM ABONDT. S. URSUL. SLUG. K. FRIDERICH. DER 2. MIT. 4000. MAN AUF ASTOR. HEIDE K. ERICH. DEN. 14. WAR. 25000. MAN. STARCK UNT. BLIBEN. 5000. SWEDEN AUF. DIE WALSTADT. *Nomen regium unâ literâ coronatâ expressum.*

Veritas inscriptionis hujus in parte posticâ ex monumentis Historico-

rum facilè eruitur. In conflictu hoc viri fortes artibusq; bellicis clari, fortunæ undiqvaqve propitiæ interventu pro Daniâ pugnarunt, qvemadmodum monumenta historiarum uberiùs testantur. Fusas à Danis in cœlum preces, qvasi animi abjecti pavidiq; indicia, Sveci interpretati sunt, illorumq; perspectâ paucitate securi admodum & oscitantes opportunitatem victoriæ majorem Danis aperuerunt. Tempestati tunc ingruenti mixtus fuit imber largifluus, qvo occæcati ferè Sveci, à Duce Danorum *Daniele Rantzoviô*, cùm incautiùs progrederentur, obtriti sunt et profligati. Cecidêre Danorum nonnulli, cùm è viris genere belloq; claris ultra 50. desiderati sint, pauci verò, si jacturam hostium ac multitudinem respexeris. Tam exiguô impendiô ingens hæc victoria stetit.

TAB: XIX.

No. 7. FRIDERICUS 2. D. G. DAN. NOR. SLA. GOT. REX. *Effigies Regis. Angeli duo inscriptionem hanc in schedulâ portantes.* Trew Ist Wild-Brat. 1567.

8. FRIDERICUS 2. D. G. DAN. NOR. SLA. GOT. REX.; *Regis effigies inter trophæa.*

A parte alterâ:

1567. D. O. M. Fœlicitante, Daniele Rantzovio, supremo Duce,& Francis. Brockenhusio PFecto Primario Peditū. Exercitus Danicus 10. Novemb. 569. Qvadrigis. 12. Æneis bombardis. 6000. Hoib9 inusitatâ fortitudine, profligatis hostibus, Viam Westerholweg Angustia & hostium Propugnaculis Transitu difficill. Ferro aperuit. Hæsit in Ostrogotth. Mens. 2. Dies 14. Tandem hostium castris expugnatis copiisq; sœpius profligatis, vastatis civitatib. & Arcib9 24. Janu. Rediit per aliam viam Oster-Holweg pari difficultate impeditã in Smalandiam. Inde hostium supremo Duce cũ 6 Eqvitũ Præfectis; multis Nobilib9, Tormentisq; Æneis 9. captis, salvus rediit in Daniã 14. Feb. 1568.

Nitidus admodùm numus est Regis gloriosissimi, cujus icon inter trophæa in parte anticâ numi emicat, addito inferiùs pileo ramis pineis exornato, qvi in expugnatione felici castrorum hostilium ad Nöreby loco tesseræ militaris erant. Posticum numi latus mirandam Danorum expeditionem exprimit, qvemadmodum & *Chronica Reg Frid: II.* pag. 193. etc. enarrant.

9. FRIDERICUS 2. D. G. DAN. NOR. SCLA. GOTO. REX. *Regis icon.*

In postico:

MEIN HOFNUNG ZU GODT ALLEIN ANNO 1576. *Duo angeli, qvi primam Regii nominis literam ab ipsis sub coronâ portatam columnæ imponunt, cui in tabellâ affixum:* TREV IST WILBR:

Utrumq;

Utrumq; Regis Symbolum numus hic in parte posticâ exhibet. Verisimile est, hoc aliaq; symbolica numismata ansata, licet latere utroq; signata monetis vulgò annumerentur, bullarum usum è torqvibus aureis dependentium, qvas distribuit munificentia Regia, olim præstitisse, tesserasqve fidelium fuisse, imprimis cùm numus hic aliiq; encausto elegantissimo ornati conspiciantur. Romanos præterea numis
TAB. XIX. veteribus aureis pro gemmis qvoq; usos fuisse, *Pomponius*, Imperatoris Hadriani σύγχρονος cap. 28 de usu fruct. luculentiùs testatur.

No. 10 FRIDERICUS 2. D. G. REX. DANIE NOR. Z. *Regis effigies, de torqve aureo in dextrâ pectoris parte elephantem pendulum præferens.*

In posteriore latere:

MEIN HOFNUNG ZU GOTT ALLEIN. 1580 *Elephas turritus, cujus latus regio nomine insignitum, sub pedibus* T. I. W. B. *Numus est oblongus.*

11. FRIDERICUS 2. D. G DANIE. Z REX † *Regis Icon.*

Ab alterâ parte:

MEIN HOFFNUNG ZU GODT ALLEIN. 1580. *Elephas infra pedes schedula, in qvâ literæ characteristicæ regii symboli:* **T. I. W. B.**

Nobilissimam Societatem Elephantinam numi certò indicant, qvam in honorem olim Mariæ Virginis sancitam *André Favyn Theatre d' honneur* Tom. 2. pag. 1363. rectè asserit, qvemadmodum & in torqve elephantinâ â *Johanne Boisseau* in *Promptuario* ejus descriptâ colligere licet, qvippe imago S. Virginis ex hujus sodalitii τεκμηρίῳ pendens ibi reperiatur, id qvod seqventes indulgentiarum bullæ haud obscurè evincunt. Regem verò CHRISTIANUM I. sodalitium hoc in nuptiis filii Johannis cum filiâ Ernesti Marchionis Misniæ Anno 1478. primùm sancivisse Favyno refragamur, id tamen tunc temporis celebrasse, lubentes concedimus. Constat enim ex indulgentiarum bullâ Papæ *Pii II. Viterbii 1463 d. 8. Junii* exaratâ, CHRISTIANUM I. *fraternitatem qvandam sub vocabulo Beatæ Mariæ de novo jam instituisse*; Qvemadmodum & ex bulla *Sixti IV. Romæ 1474. 12. calend. Maji*, memoratam torqvem *per ipsum Regem sub vocabulo societatis institutam fuisse, ipsumq; Regem Principibus, Proceribus, Baronibus & Nobilibus, ex eâdem confraternitate existentibus, unam decentem torqvem pro insigni dictæ confraternitatis elargitum esse.* Imò ex apographo Rantzoviano, sub numis elephantinis, Anno 1581. & 1582 percussis, inferiùs memorando, Regem hunc *torqve decente* militem nobilem Anno 1457 decorasse, uberiùs dispalescet. Ordo certè splendidissimus erat, qvem κατ' ἐξοχὴν Selskab i. e. sodalitium antiqvitas vocavit. Regi deinde Johanni, filio CHRISTIANI I. hoc curæ cordiqve fuisse, Epistola M. S. Episcopi Aarhusiensis, *Ovenii Bilde*, ad Regis CHRISTIANI III. Cancellarium, Johannem Friis, ex archivis Róeskildensibus clarè satis testatur. Bellis Daniæ postea sedatis & doctrinâ pontificiâ oris his penitus extrusa, Regem FRIDERICUM II. Illustrissimo huic sodalitio jam semisepulto fulgorem decentem restituisse haud ambigitur. Qvemadmodũ *Hamelman.* Chron. Oldenb. pag. 428. part. 3. rei hujus testimoniũ luculentum adfert: *Johannes Comes Oldenburgi*, inqvit,

Anno 1580. d. 26. Junii Coldingæ in arce Arensborg & natalitiis filiæ Regis FRIDERICI II. *nomine Augustæ, elephanto ex puro auro gemmis distincto, cum icone Regio & literis symbolicis* T. I. W. *ex torqve aurea pendente donatus, & insignibus his in nobilissimum Ordinis Elephantini sodalitium, cum aliis Principibus strenuis eòdem invitatis, adscitus est.* Festivitatem eandem prolixiùs describit Pöeta *Johann. Seccervitius lib. 2. Daneidum*, Marchionesq; de *Onoltzbach* & *Baden* ibidem præsentes fuisse ait, qvos in idem fœdus conscriptos *Hamelmanus* laudato loco subindicat. Rem pressiùs illustrat torqvis, qvæ inter cimelia Augusti nostri potentissimi asservata nobis elephantem illum turritum monstrat, nomine & icone Regis *Friderici II.* ex utrôq; latere insignitum cum literis apophthegmaticis in ornamento appenso, M. H. Z. G. A. ab unâ, ab alterâ parte T. I. W. Torqve ejusmodi *Benedictum ab Ahlefeldt.* Anno 1580 in sodalitium Elephantinum cooptatum fuisse & eodem qvidem die, qvo Duces Holsati feudo Slesvicensi Otthiniæ à Rege investiebantur, *Heldewaderus Chronolog. pag. 210.* asserit. His assentitur *Michaël Bojemus in vitâ Alberti II. Animosi* Ducis Saxon. *editione Shurtzfleisch. Fridericus II,* inqvit, *Rex Daniæ, Ordinis sui insignibus utitur elephanto turrito è solido auro, qvo præter cœteros conspicui sunt Petrus Danielis (qvi bellum gessit Friderici II Regis Daniæ nomine & auspiciis adversùs Ericum* TAB: XIV. *Regem Sueciæ) frater, & Henricus Johannis Eqvitis Aurati filius, de* XX. *nobilissimâ Rantzoviorum familiâ.*

No. 12. FRIDERICUS: 2. D. G. DANIE. NORVEGIE Z. REX 1581.

Effigies Regis.

MEIN HOFFNUNG ZU GOTT ALLEIN: *Repleta militibus turris elephanto imposita, cujus alterum latus regio nomine insignitur. Sub pedibus.* T. I. W. B.

13. FRIDERICUS 2. D. G. DANIÆ NORVEGIE Z REX. *Effigies Regis loricâ induti, cujus sinistrâ parte hæc leguntur. 15. Æ. I. S. 81.*

MEIN HOFFNUNG ZU GOTT ALLEIN. *Similis super elephantum turris 1582.*

Elephas turritus in numis his Nobilissimi Ordinis Elephantini memoriam vel potiùs nobiles qvosdam illustriores procul dubio designat, anno 1581. qvemadmodum & 1582 in sodalitium Elephantinum cooptatos, & torqve, tali numo ansato exornatâ, coruscantes. Eqvites auratos à nobilibus in sodalitio hoc discernit epistola M. S. *Ovenii Bilde*, superiùs memorata, illosq; ad differentiam ab his majorem, elephantinam torqvem deauratam (Danicè Selſkab i. e. sodalitium vocatam) hos verò ex puro tantum argento eandem gestasse refert. Constat qvoqve ex bullâ Regiâ *Christiani I,* Nobili militi Geminiano Trevisano Stockholmiæ, Anno 1457 datâ, cujus apographum inter antiqva Comitis *Otthonis Rantzovii* monumenta repositum est, concessum eidem fuisse, ut torqvem memoratam auro venustaret, *qvia*, ut verba bullæ extant, *es militaribus cingulo & honore ac insignis decoratus.* Tempore tamen *Friderici II* eqvites omnes auratos elephantem cum icone Regis in numo, qvemadmodum & ex auro solido eundem de torqvibus pendulum promiscuè gestasse credimus. Effigies præterea Regis memorati in Palatiis variis hinc inde depictæ sententiam hanc firmare uberiùs videntur. 14. FRI-

TAB. XX.

N°.14. FRIDERICUS 2. D. G. DANIE. *Tres Leones seu insignia Regni Daniæ.*

NORVEGIE. VAND. GOTO. Q. REX. I. SKILLINCK DANSKE. 82.

15. FRIDERICUS 2. D. G. DANI. NOR. SLA. GOTO. Q. REX. *Nomen regium cum coronâ.*

MEIN HOFFNUNG ZU GOTT ALLEIN. *In medio:* PORTUGLESER. 1584.

16. FRIDERICUS. 2. D. G. DA. NO. SLA. GO. Q. REX. *Regium nomen cum coronâ.*

MEIN HOFFNUNG ZU GOTT ALLEIN. *In medio:* Rosennowel. 1584.

17. FRIDERICUS 2. D. G. DA. N. SL. G. Q. REX. *Regium nomen simili modo expressum.*

MEIN HOFFNUNG ZU GOTT ALLEIN. Duppelt Ducaten. 84.

18. FRIDERICUS 2. D. G. D. N. S. G.. Q. REX. *Nomen regium cum coronâ.*

MEIN HOFFNUNG ZU GOTT ALLEIN. Ungrisch Gulden. 84.

19. FRIDERICUS 2. D. G. D. N. S. G. Q; REX. *Regium nomen ejusdem typi.*

MEIN HOFFNUNG ZU GOTT ALLEIN. Crone Goltt. 1584.

20. FRIDERICUS 2. D. G. D. N. S. G. Q. REX. *Regium nomen itidem, ut suprà, expressum.*

MEIN HOFFNUNG ZU GOTT ALLEIN. Gold Gulden. 1584.

21. FRIDERICUS 2. D. G. Daniæ NORVEGIE Z. REX. *Icon Regis loricati, à cujus dextrâ parte æra Christiana 1587.*

SOPHIA KONNINGIN ZU DENMARK. Z. *Reginæ effigies pileo inductæ.*

22. FRIDERICUS 2. D. G. DANNOR. SLA. GOT. REX. *Icon Regis loricâ induti.*

TREW IST WILDTBRAT. *Clepsydra jam jam exhausta, cui superimpositum cranium humanum cum gallo gallinaceo, temporis articulos qvasi cantu indicante.*

Numus oblongus & singulare senescentis Regis mnemosynum, qvo sibi memoriam futuræ mortis tacitè inculcari voluit.

23. FRIDERICUS II. D. G. R. D. N. *Regis effigies.*

SOPHIA. D. G. REGINA DAN. *Icon Reginæ pileo indutæ.*

SOPHIÆ REGINÆ FRIDERICI II.

24. SOPHIA KONIGIN ZU DENEMARCK. *Effigies Reginæ.*

Lateris alterius eadem planè est facies.

25. SO-

No. 25. SOPHIA KONIGIN ZU DENMARCK Z. *Reginæ Effigies.*

GOTT VERLEST DIE SEINEN NICHT. 1591. *Insignia domûs Obotriticæ regiæ.*

26. Numus *oblongus. Anno 1616. percussus, ubi Regina vidua veste pullâ induta conspicitur.*

27. Numus *ejusdem typi à parte anticâ, posticâ verò rasâ.*

Numi ejusmodi bullæ erant Reginæ munificentissimæ, qvibus suos clementer decorare solita est. Reginam hanc in artes ingenuas, inprimis Chemicas, propensam *Gassendus in vitâ Tychonis Brahe p.* 68. laudibus extollit, utpote iis studiis parentis imitatione delectatam. Regia illa Obotritorum soboles sagacissimi ingenii fuit, qvæ prudentia sua, comitate & munificentiâ iras multorum flectere, odia extirpare, cunctaq; in melius dirigere potuit, & durante inprimis qvadrumviratu & interregno, ortas subinde inter proceres dissensiones sustulit, sententiasque & consilia salubriora calculo suo & autoritate prudenter roboravit.

TAB: XXI.

CHRISTIANI QVARTI.

No. 1. CHRISTIANUS IIII. D. G. PRI. ET ELECT. REX DAN. NO. Z. *Effigies Regis.*

Ab altera parte.

REGNA FIRMAT PIETAS. *Turris cum militibus supra elephantum, cujus altero in latere prima est nominis Regii litera: Sub pedibus 1592.* Conspicitur hìc in antica numi parte Regis adhuc ephebi facies, Principis Europæi tunc temporis maximæ spei, virtutumq ingentium. Eadem Regis effigies esse creditur, qva vir celeberrimus, *Tycho Brahe*, torqvem suum, â Rege jam 14 annos nato sibi clementer donatum, insignem deprædicat *in Mechanic. & explic. qvadr. mural.* cùm numi hujus ansati æra in idem tempus incidat. Lateris adversi elephantem turritum illustrissimæ Societatis elephantinæ memoriam magnificamq; celebrationem indicem esse, non est qvod dubitemus, qvemadmodum seqventes numi elephantini produnt. C. autem coronatum, elephanto promiscuè altero in latere absq; numero appositum litera symbolica esse creditur, qvæ gloriosissimi Restitutoris nomen exprimit. Regem enim Daniæ CHRISTIANUM I. instaurati sodalitii hujus, in Regio Roeskildiæ sacello Anno 1464 extructo & consecrato, autorem exstitisse *Huitfeldius* parcè qvidem refert *Chron. Dan. Fol. m. 901.* sed id ex indulgentiarum bullâ *Pii II.* Anno 1462. data & ad numos elephantinos Regis FRIDERICI II. laudatâ clariùs illucescet. *De novo* utiq; *fraternitatem hanc instituisse Rex* CHRISTIANUS I. ibidem expressis verbis dicitur, qvi hinc elapso biennio Hafniæ, die S. Dionysii, sacelli dicti fundationem confecit, ubi inter coetera statuta voluit, *preces fieri pro omnibus, qvi tesseram suam gestant & gestarunt.* Collegium certè nobilissimum, à Sixto IV. deinde variis immunitatibus munitum & confirmatum, cùm Pontifex Regem hunc magno honore Anno 1474. Romæ afficeret: Et tesserâ elephantina sodalitium decoratum fuisse & sodales nobiles cujuscunq; statûs idem etiam habuisse allegata *Ovenii Bilde ep. M. S.* haud obscurè evincit. Exterminatis inde Pontificiorum traditionibus, antiqvissimum hoc ordinis Elephantini sode-

TAB. XXI. sodalitium non nisi Principum & eqvestrium virorum tandem esse cœpit.

No. 2. CHRISTIA. IIII. D. G. DANI. NOR. GOTO. WAN. REX ELEC. NACH PORTUGAL. SCHR. *Crux.*

A parte alterâ :

DUX. SLE. HOL. STO. E. DIT. CO. OL. E. DE. *Integra regnorum insignia.*

Stater est Danicus tempore Regis minorennis cusus, qvi Rex Electus tunc dicebatur. Numus suo pretio æqvat staterem Portugalensem, qvod verba Nach Portugal Schr. exprimere volunt.

3. CHRISTIANUS. IIII. D. G. DAN. NO. VA. G. REX. *Rex eqvitans, instar Principis adolescentis, sub qvo* Regna Firmat Pietas.

In aversâ.

DUX SCL. HOL. ST. DIT. COM. IN. OL. ETZ. *Insignia Regnorum.*

Inter brabea esse censetur hic numus, qvem Rex adolescens inter hastiludia in sui victoriæq; memoriam & symbolum distribui voluit. Præcipua enim adolescentiæ ipsius voluptas fuit in arenam descendere & in aperto campo eqvos ad pernicitatem exercere. Sanè per omnes artium eqvestrium numeros illum maturè ivisse ostendit illud tempus, qvo publica festivitate primos imperii dies celebravit, cùm inter tot Heróes victoresq; illustrissimos solus lemniscatas coronas tulerit.

4. CHRISTIANUS IV. DANIÆ NOR. VAN. GOT. REX. *Effigies diademati Regis, sub qva*, NAT. XX. ANNO. NIC. SC. F.

REGNA FIRMAT PIETAS. *Turris cum militibus super elephantum.*

Numus hic videtur anno 1597. cusus in natalem Regis, die 12 Aprilis, id qvod nativitatis annus sub effigie Regiâ indicat, incisore numi NIC. SC. i. e. *Nicolao Schaube.*

5. CHRISTIANI. 4. DANIÆ NORV. REGIS. CO. A. NAT. 1577. ELEC. 84. COR. 96. CONJUG. 97. MEN. NO. 27. *Effigies eqvitantis Regis sub velo, qvod à qvatuor Regni Senatoribus geritur. Ad infimam numi oram:* VIVAT ET VALEAT. C. L. R. M. NIC. S. F. 1598.

In adversa :

NIL SALUBRIUS PALLADE PIETATE INSTRUCTA. *Circa qvam inscriptionem integra regnorum insignia velut in gyrum videntur posita. In Medio typi Pietatis & Palladis, qvos inter lilium ex urceo prosultat, Hercule dormiente sub inscriptione:* Dormiat dum licet. *Sub his* Regna Firmat Pietas.

Numus hic elegans à parte anticâ inprimis coronationem Regis indigitat. Inscriptio verò incipit à nativitate Heròis Augustissimi, qvi Anno 1577 d. 12 Aprilis in arce Regiâ Fridericoburgensi natus est. Hinc annum 1584. narrat, cujus die 12 Junii Wiburgi in Cimbricâ Chersoneso, die 27 ejusdem mensis Otthiniæ in Fioniâ, die verò 10 Julii Ringstadii in Siælandiâ, & 20 die ejusdem Lundini in Scaniâ Rex est designatus. Coronationem inde Anno 1596 die 29. Augusti solen-

nitate Regiâ peractam exprimit, & conjugii tandem annectit annum 1597. diemq; Novembris 27. qvo Serenissimam Principem *Annam Catharinam* è prosapiâ Brandenburgicâ oriundam in tori Regii sociam assumsit, sacris nuptiarum Hatherslebiæ celebratis.

Epiphonemate ad Regem: Vivat Et Valeat, læta hæc acta numus claudit, qvem C. L. R. M. NIC. S. F. id est, cum Licentia Regiæ Majestatis Nicolaus Schaube fecit, Anno 1598.

Postica Numi pars regni florentis imaginem exprimit, ubi Pietas & Pallas sub lilio florescente sibi invicem gratulantur, Hercule obdormiente ad epigraphen: Dormiat dum licet.

TAB. XXI.

No. 6. CHRISTIANUS IV. D. G. *Militibus repleta turris elephanto cum Æthiope imposita, cujus alterum latus C. coronato insignitur.*

In posticâ.

DANI. NORVEG. VANDA. GOTHO. REX. VIII. Solidi. 1603.

Liberalitas Potentissimi Regis *Christiani Qvarti*, qvam populo Hamburgi clementer ostendit. *Encomion. Regn. Dan. pag. 7.* Qvi numus ex auro argentôve populo ibi sparsus est, cùm Majestati ejus & Serenissimo Slesvigæ & Holsatiæ Duci *Johanni Adolpho* Senatus populusq; Hamburgensis in curia Urbis die 30 Octobris hora 9. antemeridiana homagium præstâssent.

7. CHRISTIANUS IIII. D. G. DA. N. V. G. REX. VIVAT ET VALEAT! 1603 *Rex ornamentis Regiis ornatus, solio insidens.*

MONETA NO. REGIS DANIÆ. *Regnorum insignia.*

Numus eodem anno cusus, qvo Regi dictum Hamburgensium homagium præstitum est. Unus omnium tunc Maximus Regum solio triumphans insedit & velut salutare sidus iterum suis affulsit, postqvam non minus inanem populi Hamburgensis metum animis excusserat, qvam invidorum maligna vota everterat.

8. CHRISTIANUS IIII. D. G. DA. *Imago Regis.*

In posticâ:

VI. DAL. 1604.

9. CHRISTIANUS IIII. D. G. DA. *Icon Regis.*

IIII. DAL. 1604.

10. CHRISTIANUS IIII. DANIÆ NOR. VAN. GOT. REX. *Imago Regis.*

REGNA FIRMAT PIETAS. Anno M.DC.VI. *Insignia Regnorum.*

11. CHRISTIANUS IIII. D. G. DA. NO. VA. G. Q. REX. *Effigies Regis erecto corpore* 1608.

DUX. SCH. HOL. STO. ET. DIT. CO. IN. O. ET. D. *Insignia Regnorum plena.*

12. CHRISTIANUS. IIII. D. G. DANIÆ. NORVE. *Icon Regis.*

TAB: XXII.

ANNA CATRINNA. D. G. REGINA. *Effigies Reginæ.*

13. CHRISTIANUS IIII. D. G. DAN. NOR. VA. GO. Q. REX. *Regis diademati Icon.*

MONETA NOVA AUREA. 1611. *Elephas turritus.*

14. CHRI-

No.14. CHRISTIANUS IV. D. G. DANI. NORV. VANDA. GOTO. Q. REX. *Effigies loricâ induti Regis cum appositâ â latere sinistro galeâ.*

OBSESSA 3 MAY. ET EXPUGNATA 3 AUGUSTI anno 1611. *Typus Calmariæ obsessæ cum inscriptione:* CEDE MAJORI. CALMAR. *Ad infimam numi oram:* C. G. ET. P. L. R. M.

In anteriore numi parte effigies Regis conspicitur, qvi anno 1611 die 3 Maij adversus hostem potentissimum Carolum, Sueciæ Regem, suos duxit & vultu, voce, manu ad res fortiter gerendas inflammavit. Urbem Calmariam d. 27 Maij expugnavit fortiq; manu contra impetus *Caroli* Regis d. 12 Junij & 17 Julij non tantùm feliciter defendit, sed & Regem eundem ex castris inter diem 23 & 24 Julij cum exercitu suo noctu profugum per milliaria duo persecutus est & ad templum Risby d. 27 Julij penitus profligavit. Fractis jam hostium viribus, majori insultu obsessum Urbis Calmariæ castellum, qvod in adverso numi latere igne accensum prominet, eodem die aggressus est & propugnaculis vallisq; vi tormentorum dirutis, in eas tandem angustias castelli Præfectum redegit, ut spe & ulteriori ope jam destitutus die 3. Augusti ejusdem anni castellum simul cum qvatuor navibus armatis & 108 tormentis æneis dederet & hoc pacto cogeretur Cedere Majori.

Numus cum Gratiâ et Publicâ Licentiâ Regiæ Majestatis percussus, qvemadmodum Literæ: C. G. ET. P. L. R. M. *infrà excusæ indicant.*

15. IMP. VICTOR. CHRISTIAN9 IIII. D. G. REX DANI. NORV. VANDA. ET GOTO. *Effigies eqvitantis Regis, sub qva* C. G. ET. P. L. R. M.

ELFSBURGUM OBSESSUM FORTITER V MAJI EXPUGNATUM FELICITER XXIIII EJUS. ANNO 1612. *Typus obsessi Elfsburgi cum adscriptis circumjacentium stativorum nominibus.*

Eqves sic Imperator victoriosus in anticâ numi hujus parte emicat, qvi exercitui suo præfuit, in obsidione anno 1612 d. 5. Maji inchoatâ, qva Elfsburgum Clavem Regni Sueciæ, die 24. mensis ejusdem, manibus Suecorum extorqvens viam in Sueciam sibi aperuit, postqvam classe suâ anno præcedente d. 12. Decembris in Castelli ejusdem portu septem naves grandiores Sueciæ expugnasset. Seqvebantur castra Regis Heroes fortissimi *Dux Georgius* Brunsvigâ Lunæburgensis, *Philippus* Dux Holsatiæ in Glucksburg & *Ernestus Ludovicus* Angrivariâ Dux Saxonicus. Singulis in exercitu, durante obsidione, demensa stativa pars numi posterior indicat, scilicet: DRAGON. Q. IONGEN. Q. ENGL. Q. LYNB. Q. Sueciâ hinc terrore maximo perculsa filius jam Regis Caroli extincti, *Gustavus Adolphus* pacem interventu Regis Angliæ anno 1613. d. 20. Januarii decies centenis Imperialium millibus redemit & ad solvendum interea debitum Regi Daniæ castellum Elfsburgum pignori reliqvit.

16. CHRISTIANUS IIII. D. G. DAN. N. V. G. Q. REX. *Regis Icon—.*

DUX SLES. HOL. STORMAR. ET DITM. COMES IN OLD. ET. DEL. *Integra regnorum insignia—.*

17. CHRISTIANUS IIII. D. G. DANI. N. V. G. REX. *Imago Regis.*

MONETA NOVA AUREA. 1613. *Turris militibus repleta super elephantum—.*

 18. CHRI-

TAB XXII.

N°. 18. CHRISTIAN. IIII. D. G. DANI. *Effigies Regis.*

REGNA FIRMAT PIETAS. *Virgines duæ, qvæ palmas manu gestantes coronam tenent super regium nomen & insignia Regni Daniæ.*

19. CHRISTIAN 4. D. G. DAN. *Tres Leones.*

NORVE. VAND. GOTO. Q. REX. *Corona.* 1619. R. F. P.

20. CHRISTIAN. IIII. D. G. DAN. *Tres Leones.*

NORV. VAND. GOTO. Q. REX 1619. *Corona.* R. F. P.

21. CHRISTIANUS IIII. D. G. DAN. NO. V. G. R. *Rex erecto corpore, cujus á dextro latere insignia sunt Regni Daniæ.*

MO. NO. CIVI. GLUCKSTADENSIS. 623. *Typus Fortunæ insistentis globo.*

Moneta est urbis Tychopolitanæ, boni ominis causâ ita appellatæ, qvam Augustissimus Rex CHRISTIANUS IV. anno 1620. in tractu regionis Wildnis in Stormariâ munimento inexpugnabili firmare cœpit. Præsidium est Ducatûs Stormariæ tutissimum, ex qvo potentissimus Rex & dominium Albis, qvà Nordalbingiam alluit, ut Princeps Imperii sibi vindicavit & hostes felici manu terrâ mariq; repressit, adeò ut etiam fortissimi oppugnatores munitionem hanc non sine ingenti clade vel inexpugnatam vel intactam semper reliqverint: Hîc copiæ Fridlandicæ anno 1628, castris crematis, obsidionem solvere coactæ sunt, postqvam exiguo temporis spatio tria illarum millia obsessi, Duce *Marqvardo Rantzovio*, occidissent: Hîc in Albi Magnanimus Rex anno 1630 pro tribus ab Hamburgensibus sibi ablatis navibus tot numeravit victorias. Ter qvippe navali hoc prælio fusi fugatiq; sunt Hamburgenses, imperio Albis fastu qvodam turgido tunc inhiantes.

22. CHRISTIANUS IIII. D. G. DANIÆ. NORV. VAND. GOTO. Q. REX. *Effigies Regis.*

REGNA FIRMAT PIETAS. *Insignia Regnorum circa oram numi velut in circulum disposita. In medio Rex, ceu cataphractus Eqves, ex galeâ caudam qvasi eqvinam, gentile victoriæ signum, pendulam habens.*

TAB. XXIII.

N°. 23. CHRISTIANUS. IIII. D. G. DANI. NORV. VAND. GOTO. REX. *Rex corpore erecto instar Imperatoris.*

GOLTBURGUM. *Sub qvo castelli facies obsessi.*

In primâ numi parte Rex potentissimus copias suas in oppugnatione *Goltburgi* anno 1612. ducens conspicitur. Expugnatâ igitur Suecorum arce Elfsburgo d. 23 Maji anno 1612 tantâ alacritate omnia decrevit & expedivit, ut Præfectus *Goltburgi* octiduo elapso, post duplicem Danorum assultum claves castelli ad pedes Regis provolutus victusq; deposuerit. Alterum numi latus situm castelli formamq; exhibet, 80 machinis bellicis & 70 pulveris nitrati tonnis instructi & dediti.

24. CHRISTIANUS IV. DAN. NORW. VAND. GOTH. REX. etc. *Icon Regis.*

PRO RELIGIONE ET LIBERTATE. *Brachium armatum è nube, infrà*

frà BIBLIA, *qvibus impoſitum candelabrum cum candelâ ardente pæne conſumtâ.*

Regis Auguſtiſſimi facies in parte anticâ numi cernitur, Eccleſiæ Chriſtianæ defenſoris indefeſſi, qvi anno 1625 Evangelicæ RELIGIONI & LIBERTATI, qvæ bellorum interventu ungvibus Aqvilæ ferè exanimes hærebant, ſuppetias tulit, veræ Religionis jam periclitantis zelo inflammatus & qvotidianis Germaniæ ſuſpirantis precibus fatigatus, ſplendidisq; Principum ſummorum legationibus & colloqviis. In latere numi adverſo pandectæ ſacræ cum lucernâ ardente ſub brachio armato conſpiciuntur, indicio luculento incœpti Regii laudabilis *Pro Religione & Libertate.* Et qvamvis molimina hæc heroica & Chriſtiana aliqvam interim ſortita ſint cataſtrophen ob defectiones inprimis fœderatorum & ſubleſtam fidem, ab incœpto tamen laudabili veræ Religionis amore excitatus Rex prius haud deſtitit, qvàm eam anno 1629 Lubecæ cum Imperio Romano iniiſſet pacem, qvæ Herois tanti meritis digna videbatur, gloriæ immenſæ plena, Religionis veræ ac Libertatis publicæ ferax.

Brachii armati eqvites auratos 12 Rex inclytus anno 1616 d. 3. Decembris creavit, enſis regii levi tactu utrosq; eorum humeros & capita Coldingæ feriens, cùm pridie in freqventiſſimis comitiis feudo Ducatûs Slesvicenſis Celſiſſimum Holſato-Gottorpienſem Ducem Fridericum per legatos feudum petentem inveſtiiſſet. Fuſiùs de his *Encom. Regn. Dan. pag. 29. & Heldewad. relat. vernac. Hafn. 1617 impreſſ.*

TAB: XXIII.

25. Conflictus qvidam Leonis cum caballo, *Infra adoram numi:* ANNO M. DC. XXVI.

FRUSTRA TE OPPONIS, FRÆNANDE CABALLE, LEONI.

ALBUS ERAS, RUBEUS, SI MODO PERGIS, ERIS.

Conflictus inter Leonem & Caballum acerrimus in primâ numi facie aſpicitur. Ex numero æræ Chriſtianæ 1626. apparet Leonem arctoum cum caballo albo aliqvando ob fidem minus ſervatam Hamelii colluctatum fuiſſe, qvod & diſtichon in numo adverſum & rerum geſtarum gnari uberiùs evincunt: Leo qvippe pactorum tenax & fœdifragos exoſus illatam ſibi injuriam ſic intrepidè vindicavit.

26. CHRISTIANUS IV. D. G. DANI. NO. VA. GO. REX. *Rex eqves, & Hafnia Uraniburgo exornata.*

יְהוָֹה DIRIGE ♡ MEUM. FIAT VOLUNTAS SICUT IN COELO ET IN TERRIS.

Mnemonicon inſigne eſt Uraniburgi anno 1642 pro excolendâ Aſtronomiâ Hafniæ erc̄ti, qvod ſtructuræ mirabilis venuſtate & artificio inter reliqvas orbis Arctoi fabricas omnium in ſe oculos convertit, deſolato in Inſulâ Huenâ Mathematici Summi *Tychonis Brahei* Uraniburgo ſubſtitutum. Structura hæc ad altitudinem aſſurgit 150 pedum, cujus, qvæ in ſummo circularis eſt, area diametrum pedum ſexaginta habet.

Symbola pia in poſtico numi latere, argutæ inſcriptioni turris memoratæ inventò haud abſimilia, & tantò auguſtiora, qvantò majo-

rem ſpirantia pietatem & voluntatis divinæ reverentiam. Cor enim coronatum illuſtri tetragrammate יְהוָה insignitum velut media hujus inſcriptionis pars hoc nomine coruſcat.

No. 27. CHRISTIANUS IIII. D. G. DA. NO. VA. G. Q. REX. *Rex eques et cataphractus ſatellite comitatus.*

REGNA FIRMAT PIETAS. *Inſignia Regnorum plena.*

28. CHRISTIANUS IIII. D. G. DANI. NOR. VAN. G. Q. REX. *Rex eqves, infrà Urbs Hafnia.*

TAB: XXIV. REGNA FIRMAT PIETAS. *Icon Regis in medio, circa oram Regnorum inſignia.*

No. 29. CHRISTIANUS. 4. D. G. DANI. R. NORVEGI. VANDA. GOTOR. Q. REX. 1628. *Corona regia opertâ.* R. F. P.

30. CHRISTIANUS. IIII. D. G. DANI. 1628. *Rex opertâ coronâ exornatus.*

NORV. VANDA. GOT. Q. REX *Daniæ inſignia.*

31. CHRISTIANUS 4. D. G. DANI. N. V. G. REX. *Rex diadematus.*

MONETA NOVA AUREA. 1629. *Elephas, cui impoſita turris militibus repleta, in dorſuali C. coronatum.*

32. CHRISTIANUS IIII. D. G. DANI. NO. V. G. REX. 1629. *Crux.*

יְהוָה DIRIGE [heart] MEUM. FIAT VOLUNTAS SICUT IN COELO ET IN TER.

Qvadrans creditur eſſe ſtateris Portugalenſis, crucem utpote in parte anticâ exhibens ſed qvia in eo non talis habetur inſcriptio, uti in ejusdem typi numis fieri aſſolet, Crucem Dannebrogicam Regem hic indicaſſe non eſt qvòd dubitemus, cujus ſub ſigno, ut Woldemarus noſter victorioſus, hoc anno Venit, Vidit Vicit. Nam eodem anno numùs hic cuſus videtur, qvo Rex glorioſisſimus contra Cæſarianos cum copiis apparatiſſimis in Angliam, Slesvigæ Ducatûs peninſulam mari trajiciebat, ut Cimbricos Cæſaris exercitus ab Holſaticis diſcluderet. Rex itaq; piis in poſtica numi votis cœlum ſollicitans tantum terroris hoſtibus expeditione hâc incusſit, ut ſummâ feſtinatione pax Lubecæ conficeretur. Autorem certè *Cluverus hiſtor. Epitom. pag.* 757. habet, ducem Cæſarianum Altringium laſſatis ad mortem eqvis, Cæſarianos Legatos ad pacis conſilia, commemorato periculo, excitaſſe. Belli hujus cauſa juſtisſima Rex fretus, ſibi pacem, ſalutis ſubditorum & gloriæ æternæ plenam, tandem vindicavit. Meritò igitur numis ex argento eodem anno percusſis inſcribi fecit: Tandem bona cauſa triumphat, qvorum typum elegantem *Joh. Mulenius, in ſuis numiſmatibus Dan. Claſſ. III. ſer. IX. No.* 2. habuit.

33. CHRISTIANUS IIII. D. G. DAN. R. *Rex erecto corpore cataphractus & regiis ornamentis decoratus, inter pedes tulipa floreſcens.*

JUSTUS יְהוָה JUDEX. 1644.

34. CHRISTIANUS 4. D. G. DAN. R. *Rex modo prædicto exornatus.*

JUSTUS יְהוָה JUDEX. 1645.

CHRI-

TAB. XXIV

N°. 35. CHRISTIANUS IIII. D. G. DANI. N. V. GOT. R. *Regis Icon.*

DUX SLES. HOL. STORMAR. ET. DITM. COMES IN OLDEN. ET. DEL. *Insignia regnorum plena.*

36. CHRISTIANUS IIII. DAN. NOR. GOTTO. VANDALO. Q. REX. *Regis icon elegans, sub qvo.* J. BLUM.

JUSTITIA ET PIETAS REGNORUM ROBORA FIRMAT. *Justitia & Pietas ad arborem truncam stantes, qvas divinum tetragramma* יְהוָה *illustrat & fovet.* 1645.

Moneta, qvæ inter elegantiora Danorum numismata à *Joh. Mulenio numis. Dan. Class. 3. Ser. 18. N. 7.* censetur, arte *J. Blumii* affabrè incisa. In prima numi parte Regis fortissimi, fermè septuagenarii, facies conspicitur; anno, qvo numus hic cusus est, qvemadmodum & proximè præcedentibus aliis, licet senescens, multum terroris hosti incussit, jam in mari Themistocles, jam in terrâ Alexander. Qvàm acriter & invicto animo adversùs Suecorum classem & ex Bataviâ mercenariam in Oceano anno 1644. d. 16. Maji propè Insulam *Silæam* & Flemmingianam d. 1. Julii ejusdem anni in mari Balthico, non procul a freto Kilensi, pugnaverit, loqvetur omni ævo posteritas sera, adeò ut hostis non sine clade ingenti & laceris tabulatis in portum se recipere coactus sit, *Ulfeldiis* nostris à latere Regis, Suecorum verò *Lauhusio* & *Flemmingio* cæsis. Magnum sanè fortitudinis Regiæ documentum inprimis hic emicuit, dum ad insulam *Silæam* vix novem navibus instructus, non modò cum classis hostilis 24 navibus initio pugnaverit, sed & sola qva vehebatur prætoria, qvæ Trinitas dicta, per duas integras horas impetum hostilem sustinuerit & represserit, donec vento faventiore naves cœteræ in subsidium appropinqvarint. Meritò responsum hîc Regium laudatur: De cœlo dimicatum est pro nobis, cúm Senatores Regni Regi invictissimo submisse ob partam hanc gloriosè victoriam gratularentur. Emblema truncatæ arboris in postica numi parte sub Divini nominis coruscatione Pietatisq; & Justitiæ custodia recrescentis, vitam pii & justi Regis grandævam floremq; Regni haud marcescentem indicat: Firmissimum qvippe regnorum suorum fundamentum justitiam & pietatem posuit secundùm Apophtegma ipsius regium:

Justitia & Pietas regnorum robora firmat.

37. CHRISTIANUS IIII. D G. DANI. NOR. VA. G. Q. REX. *Nomen regium Christiani Qvarti cum coronâ opertâ* 1646. R. F. P.

In aversâ:

JUSTUS יְהוָה JUDEX.

Numos argenteos ejusdem typi, at non tantæ magnitudinis, annis 1644. 1645. 1646. 1647. & 1648 cusos invenimus. Qvi verò cum effigie Regis exstant, ut in hac tabulâ, ex auro tantùm percussi videntur. Ansam inscriptionis in adverso numi latere: Justus יְהוָה Judex, *Adamus Olearius in Chron Holsat. lib. 2. cap. 4.* affert. Orbi qvippe universo innotuit, qvantum gloriosissimus Rex CHRISTIANUS IV. Religionis illibatæ & libertatis assertor strenuus, operæ, æris & temporis turbis Germaniæ pacandis impenderit, qvantum tem-

temporibus diversis per legatos varios allaboraverit, ut in integrum res Theutonicæ restituerentur, & se suosq; eo modo tectos intactosq; servaret. In rebus his Rex ille Christianus & pacificus mediator electus erat, spem tamen pacis omnem præscindente velut in herba Sueco: Diætam qvippe Osnabrugæ anno 1643. consensu omnium conscriptam inopinata in Holsatiam & Cimbriam irruptione, Duce exercitus Torstensonio elusit & perturbavit. Hinc anno seqvente Rex Augustissimus de vindicta perfidiæ tantæ cœlum sollicitans numis memoratis apophtegma seqvens inscribi voluit:

TAB: XXIV. JUSTUS יְהוָה JUDEX.

N°.38. CHRISTIANUS IIII. D. G. DAN. NO. VA. G. REX. *Imago Regis integro erectoq; corpore cum adstante galeâ, duo angeli tenentes diadema super Regis caput.*

DUX SCL. HOL. ST. DIT. COM. IN. OLD. ET. DEL. *Insignia Regnorum.*

39. CHRISTIAN. 4. D. G. DAN. R. 1646. *Imago Regis integra.*

NOR. VAND. GOTO. REX. *Insignia regni Daniæ.*

40. CHRISTIANUS. 4. D. G. DAN. R. *Rex corpore erecto cataphractus & ornamentis regiis ornatus.*

In adversa:

Perspicillum VIDE MIRA DOMI. 1647.

Numisma rarum est & oppidò singulare. Artis ejusdem ducati integri, dimidii & qvadrantes extant anno eodem percussi. *Ex auro Norvagico* cusos *Joh: Mulenius Class. 3. ser. 20 num. 15.* verè indicat. Aurum nempe arte chemica *Caspari Harbach* (qvi ob sua in metallis transmutandis studia Regibus Daniæ CHRISTIANO IV & FRIDERICO III carus inprimis acceptusq; fuit) ex minerali qvodam Norvagico, Hafniam allato, productum est. Ad notandam ergò incredulitatem, qvòd Præfectus rei metallicæ in Norvagiâ rebus his fidem adhibere noluerit, gloriosæ memoriæ Rex CHRISTIANUS IV. artis chemicæ amantissimus in postico numi latere perspicillum exhiberi voluit cum epiphonemate:

Vide mira domi
1647.

41. CHRISTIAN. 4. D. G. D. R. *Effigies Regis corpore erecto.*

JUSTUS יְהוָה JUDEX.

42. CHRISTIANUS IIII. D. G. DAN. R. *Rex erecto corpore.*

JUSTUS יְהוָה JUDEX. 1648.

TAB: XXV.

FRIDERICI TERTII.

No. 1. FRIDERICUS. D. G. ARKE. BREM. E. V. C. HA. H. N. D. S. H. S. D. C. O. E. D. *Literas has ita interpretamur; Dei Gratia Archiepiscopus Bremensis. Episcopus Verdensis, Coadjutor Halberstadensis, Hæres Norvegiæ, Dux Slesvici, Holsatiæ, Stormariæ & Dithmarsiæ, Comes Oldenburgensis & Delmenhorstanus. Effigies Archiepiscopi.*

Alteri

Alteri parti nihil impressum est.

Bulla hæc sive numus, altero tantùm latere signatus, Principis hujus honores in memoriam revocat, ad qvos ob ingentia sua merita evocatus erat. Primùm qvippe Philippus Sigismundus Præsul Osnabrugensis dioecesis Verdensis mitram anno 1623. illi detulit. In spem deinde successionis primùm à Clero ejusq; Antistite ad coadjutoriam dignitatem Archiepiscopatûs Bremensis anno 1631 expetitus est, hinc Archiepiscopatum ipsum obitu Reverendissimi & Celsissimi Principis *Johannis Friderici* vacuum anno 1636. 9. Maji suscepit, eundemq; decem annorum spatio prudentissimè gessit. Et qvamvis partium studio, qvo miserè Germania dilacerabatur, circumspectè interim abstinuerit, è publica tamen Orbis calamitate se extricare adeò non potuit, qvin eidem involveretur armisq; vicinorum, patriæ suæ jugulo intentis, præter exspectationem infestaretur. Et eam inprimis ob causam, qvòd patriæ jam labascenti suppetias ferre allaboraret Regiq; Patri, qvi in Scaniâ copiis tunc præerat, vicariam in Cimbriâ operam præstaret.

TAB. XXV.

N°. 2. FRIDERICUS III. D. G. DAN. NORW. GOT. VAND. REX. DUX. SL. HOL. ST. DIT. COM. IN OLD. ET. DELM. *Imago Regis. 1648.*

A parte altera.

SEHT WIE DER FRIED. JEZ ZIERT DIE WELT, DA FRIEDRICH KROHN UND SCEPTER HELT. *Typus Pacis, dextrâ stellam tenentis, sinistrâ palmæ ramum, sub qvo liber cum inscriptione. DAS HOHESTE GUTH.*

Heroi invicto, qvi mala patriæ confertim ingruentia animo forti averterat, fato ordinem turbante, insignia imperii & sceptra Anno 1648. capessenti sic adversa numi inscriptione gratulatur, de cujus futuro imperio vaticinationes variæ hinc inde innotuerant. Fusiùs de his *Viti Bering. Nemor. Frid. 3. & Joh. Bræmer. in Conc. funebr. Frid. III.*

3. FRIDERICUS 3. D. GRA. DANIÆ. *Effigies Laureati Regis 1648.*

NOR. VAN. GOT. REX. *Thuribulum seu acerra thuris cum inscriptione:* Tandem.

Per plateas in coronatione Regis numi tales qvadrati inter populum sparsi sunt anno 1648. d. 23. Novembris. Posticæ partis thuribulum (qvod alii vasculum herbis oppletum esse volunt) verbo: Tandem, fausta & læta omnia portendente, insignitum est.

4. FRIDER. III. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Imago Regis itidem Laureati.*

DUX SLES. HOL. STOR. DITM. COM. OLD. & DELM. *Insignia regnorum integra.*

5. FRIDERICUS III. D. G. DANIÆ NORW. VANDALORUM GOTTHORUMQ; REX. *Effigies laureati Regis, infra: BLUM.*

Ab altera parte navis conspicitur.

Regis Lauricomi iconem pars antica numi exhibet, *J. Blumii* arte exqvisitissimâ effictum, posterior verò navem adverso vento navigan-

tem, cujus puppis verbum *TANDEM*, prospera qvæq; indicans, sibi inscriptum monstrat. Numus est ex auro Guineensi cusus: Ut Regno enim opes nervosq; conciliaret Rex potentissimus anno 1653 subditis suis Helsingoræ, Bergis & Hafniæ in insulas Caribicas navigantibus mercibus pretiosis magnaq; auri vi anno 1655. inde in reditu onustis non saltem immunitates insignes impertitus est, sed & navigationes multas in regna Guineæ aurifera *Fetu* & *Congo* instituti curavit, eò ferè modô qvo naves in Ophir Salomon emiserat aurum apportaturas.

TAB. XXV. No. 6. FRIDERICUS III. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Icon Regis coronati.*

DOMINUS PROVIDEBIT. 1653, *Insignia Regnorum.*

7. HAFNIA DANIÆ. *Typus Hafniæ.*

A parte alterâ.

CRONBURG. *Typus Castelli Croneburgensis & attritæ propè illud Svecorum classis.*

Conspicitur hic in primo numi latere *Hafnia Daniæ*, sedes Regia, ingenio naturæ inter Oceanum utrumq; sita, & mercimoniis totius Orbis ac munimento inexpugnabili clara. Facies urbis anno 1658. a Suecis obsessæ hîc cernitur, prout pelago objecta littora & stationes carinis fidas complectitur, ubi naves ad defendenda littora contra Svecorum classem armatæ se nobis offerunt in occursum Batavæ classis, in Oresunda fortiter pugnantis, properantes. Ab altera numi parte conflictus navalis in freto Codano seu Oresundâ anno 1658 d. 29 Octobris spectatur, inter *Vrangelium* Suecorum terrâ mariq; Imperatorem & *Opdamum Wittiumq;* Batavorum Thalassiarchas, qvorum ultimi classem subsidiariam urbi defendendæ feliciter attulerunt. Ceci dere enim in cassum Svecorum ignes, qvos explosis machinis ex littoris omni ambitu arciumq; utrinq; pinnis in Batavorum classem projecerant. Ex Svecorum interim 42 navibus armatis nonnullæ captæ sunt, aliæ submersæ, qvædam in fugâ ad Insulam Hvenam & Coroniam Scaniæ vadis tumulisq; arenarum illisæ.

8. FRIDERICUS III. D. G. DANIÆ NORVEGIÆ. *Regis Icon.*

In adversa:

VANDALOR. GOTHOR. Q; REX. *Navis cum inscriptione:* Tandem 1658.

Numus duorum ducatorum, eodem ferè charactere signatus, qvo numisma perelegans, ordine in hac tabulâ qvintum, nisi qvod ventis secundis cum inscriptione Tandem hic navigetur. Dantur ejusdem typi numismata alia 1657 & 1666 cusa, ubi ventis qvoq; faventibus naves ferri videntur. Numos alios ejusdem typi, sed magnitudinis disparis ex auro Guineensi jussu Regis Daniæ Friderici III. efformatos nonnulli existimant, ut ostenderet, se ad clavum Imperii adversis ventis sedentem velut infestum ac procellosum in Republicâ æqvor, qvantum licuit cursu obliqvato priùs tentasse & prudentiâ insigni ingenioq; excelso sic Tandem portum Monarchiæ tutissimum ventis faventibus attigisse.

9. SOLI DEO GLORIA. *Exerta è nube manus gladio aliam manum amputans, qvæ coronam appetit supernè positam, cum adcriptione 11. Feb:*

In

In postico:

DOMINUS PROVIDEBIT. *Nomen regium coronatum, infrà lapis, cui inscriptum* EBEN EZER.

Manu gladium gestante Hollandiam repræsentari, qvasi Hafniæ obsessæ Liberatricem, Dominus *Biçot* ait in tractatu qvodam Gallico Amstelodami edito anno 1688. qvi *l' Histoire Metalliqve de la Republiqve d' Hollande* dicitur, sed qvàm inconvenienter, ipsum numi emblema abundè evincit. (1) Manus illa gladium gestans è nubibus exeritur. Nubes autem præsentiæ Divinæ symbolum existit Exod. XL. v. 34. 35. 1. Reg. VIII. v. 10. 11. Esai. VI. v. 4. (2) Additur ἐπιγραφὴ Soli DEo Gloria, (3) Rupes seu Lapis auxilii, Eben-Ezer (cujus figura infernè in altero latere exprimitur) in memoriam auxilii Divini mirabilis contra Philistæos erectus fuit 1. Sam. VII. v. 9. 11. Ergò in numismate Dei solius auxilium significatur (4) Regium nomen coronatum, id est, tam persona qvàm regnum FRIDERICI III. isto lapide nititur, qvi Eben Ezer dictus, ut significetur tam illam qvàm hoc â periculis imminentibus non alio auxilio servatum esse qvàm isto 1. Sam. VII. v. 11. memorato; *Usqʒ huc adjuvit nos Jehova.* (5) Additur emblemati τῷ Eben Ezer in eodem numi latere symbolum Regium, Dominus Providebit, ad denotandam Divi FRIDERICI III. in solo DEo fiduciam, qvæ ipsum non fefellit, licet in summas ab hostibus redactum angustias: Planè qvemadmodum in eodem loco, ubi positus à Samuele Eben-Ezer ob victoriam à Philistæis reportatam, antea à Philistæis iisdem prostrati victiqʒ fuerant Israelitæ 1. Sam. VI. v. 1. 2. (6) Ex emblematis ad rem significatam applicatione. Qvamvis enim non immediatè hîc DEus egerit adeoqʒ nec absurdum sit mediis seu instrumentis vel causis subordinatis effectum eundem adscribere, qvi causæ primæ præcipuè debetur, absurdum tamen est uni instrumento, scilicet Reipublicæ Belgicæ, in totum asserere, qvòd per plura collateraliter effectum est, per intrepidos nempe Daniæ cives militesqʒ, qvi mente Regis Augustissimi igneâ, rebus intentâ, nunqvam otiosâ, manu, vultu, voce inflammati & invicti extiterant.

TAB: XXV.

Nº. 10. *Elephas irritatus, qvi sessorem suum dejiciens & proboscide capricornum indignabundus attollens, angvem stimulaturum ungulis contundit.*

A parte adversâ:

MAGNANIMIS, PRETIO QUOS VIS VEL SUSCITAT ASTUS,
JAM DEBELLATIS, UNDIQVE TUTUS ERO.
XIV. NOVEMB. M. DC. LIX.

Ex ærâ christianâ mensisqʒ die, numismati huic perqvàm nitido suppositis, anno scilicet 1659 & die 14 Novembris, illustrem Danorum & Fœderatorum cum Svecis in Fioniâ conflictum hîc indigitari haud obscurè colligimus. Explicuit qvippe Fortuna hoc die Regi Daniæ *Friderico III.* qvid de Suecorum injustè illatis armis censendum esset, dum inter octies mille, & qvod excurrit, in acie Svecorum soli in conflictu hoc militiæ Præfecti, *Palatinus de Sultzbach* & *Steinbuckius*

superstites exstiterint. Meritò igitur in parte posteriori numismatis legitur:

Jam debellatis, undiqve tutus ero.

N°. 11. DOMINUS PROVIDEBIT. *Effigies Regis. E. P.*

Ab alterâ parte:

SPES MEA IN DEO. *Reginæ icon.*

TAB: XXVI. Numisma hoc symbolis Regis & Reginæ conspicuum est, qvibus Numen Divinum, in qvo spes illorum unica, mirandum in modum præstò fuit.

N°. 12. FRIDERICUS III. DEI GRATIA DANIÆ. NORVEGIÆ. VANDALORUM. GOTTORUM. REX. *Throno Rex insidet, ornamentis illis, qvæ Regalia dicuntur, instructus.*

DUX SLESVICI HOLSATIÆ. STORMARIÆ. & DITMARSIÆ. COMES IN OLDENBURG & DELMENHORST. *Insignia Regnorum integra, Provinciarumq; ad ea pertinentium.*

Numisma hoc nitidum planè est & magnitudinis ponderisq; insignis, eoq; pretiosius, qvò actus illustrior, in cujus celebritatem ac memoriam percussum est. Sic enim Regi Augustissimo, in throno seu solio Regio, in primâ numi parte, sedenti homagium præstatur, qvod ob nascendi sortem electione anno 1648 d. 6. Julii acceperat, absolutè verò hæreditarium anno 1660. d. 19. Octobris consensu communi â subditis præstitum. Liberator Daniæ invictus hìc eminet, cui ob cives servatos diadema æternitatis & imperii absoluti meritò deberi visum: Qvippe jam pridem Rex, nunc novus factus est imperii conditor, regnum alterum â nascendi sorte suffragiisq; hominum accipiens, alterum curis virtutibusq; excelsis ipse sibi impetrans.

13. FRIDERICUS III. DAN. & NORW. REX. ut &.

SOPHIA AMALIA DAN. & NORV. REGINA.

A dextro Regis latere: Celsitudo Regia,

CHRISTIANUS, *hodie Rex Augustus, infra qvem.*

GEORGIUS PRINCEPS. *Augustæ sobolis in Britanniâ adhuc Conservator Magnus, qvi Principi Annæ Eboricæ Anno 1683. d. 28. Julii matrimonio junctus est.*

A sinistro Reginæ latere:

PRINCIPES ANNA SOPHIA. & FRIDERICA AMALIA. *Qvarum illa Anno 1666. d. 9. Octobr. Electoratûs Saxonici hæredi Joh. Georgio, hæc Duci Holsatorum Christiano Alberto Anno 1667. d. 24. Octobr. nupta.*

Ab infimâ numi parte:

PRINCIPES WILHELMINA ERNESTINA & ULDARICA ELEONORA. *Prior Electoratûs Palatini hæredi Carolo Anno 1671 d. 20. Sept. posterior Carolo XI. Regi Svecorum Anno 1680. d. 8. Maji desponsata.*

In medio harum imaginum:

CUM IPSO ERO IN ANGUSTIA. ERUAM EUM & HONORE AFFICIAM EUM. 91. Psal. 15.

Postica

Postica numi pars hanc habet inscriptionem :

Post Amagriam vindicatam die 10 Octob. Ao: 1658. Hafniam liberatam ab hostili obsidione die 30. Octob. ejusd. anni, Assultu die 11. Febr. 1659. Fioniam recuperatam die 14. Nov. ejusdem anni. Pacem subjectis redditam die 27 Maji 1660. FRIDERICO TERTIO Daniæ & Norv. Regi, Domuiq; Regiæ, qvod hæreditario & absoluto Monarchæ debetur, præstitum est homagium Hafniæ 19. Octob. A. ejusdem, elapsis â priori homagio annis 12. Mensib. 3. dieb. 13. In perpetuam rei memoriam.

Splendor serenissimæ familiæ regnatricis in antico numi latere conspicitur, qvæ in obsidione Hafniensi â Sveco undiqvaq; cincta & in angustias redacta erat, sed numinis Divini auxilio faucibus hostium erepta, fortunæq; procellis ac tempestatibus subducta. Gloriosissimus enim Regiæ familiæ Antesignanus masculo & obfirmato in rebus asperis & adversis animo, causæ æqvitati confisus est, & Deo Omnipotenti, qvi pios protegit ac honore afficit. Hinc Dominus Zebaoth verè cum ipso fuit, adeò ut à miraculis vix recedat, qvicqvid de Rege hoc Augustissimo annalium monumentis posteritas inserat. In alterâ numismatis parte Victoriæ Regis variæ & gloriosæ leguntur. Primò Insula Amagria, Hafniæ penu & velut cella promptuaria, auspicio ejus & felicitate vindicatur. Qvippe in Regis CAROLI copias, qvæ pagos Amagriæ flammis involverant, Magnanimus Rex FRIDERICUS agmine expedito ruit, hostesq; feliciter fundit & fugat, qvin imò Suecorum Regem CAROLUM, è prælio non sine periculo vitæ aufugientem, voce Martiâ, mente ignea inseqvitur, de qvo ita in *Amagriâ vindicatâ Borrichius* pag. 509. *Delic. pöet. Dan. collect. Frid: Rostgaard:*

Rex Regem inclamans inter nos dividat, inqvit,
Ensis & arma reum juriq; faventior æther.

Justæ vindictæ mandata mare FRIDERICI imperio assvetum ulteriùs peregit classe hostili in freto Codano d. 29 Octob. Anno 1658 per Batavos Fœderatos absorpta. Hinc CAROLUS fortunæ violentiæ se subducens obsidionem postridie solvit, sed translato ad dolos oppugnandi impetu, occultis mox artibus perniciem Hafniæ machinatus est, cujus oppugnationis exitus d. 11. Febr. anno 1659 spem & exspectationem Svecorum elusit. Tandem in Insulâ Fioniâ Rex FRIDERICUS Ducum virtute & Fœderatorum auxilio Svecos ita aggreditur, ut inaudito ferè seclis exemplo totum illorum exercitum vel prostraverit planè, vel ad deditionem impulerit. Exstinctis inde belli incendiis, anno 1660 d. 27. Maji pax exoptata Daniæ affulsit. Hinc Regi Friderico amor civium homagium præstitit, ut Regnum Daniæ, qvod in tanto belli discrimine Rex denuò meritis ingentibus suum fecerat, per successiones jam pleniori majestate hæredes Regios comitetur. Numus est, qvem

 sumpti-

TAB: XXVI. sumptibus suis Archiepiscopus Daniæ *Johannes Suaningius* in perpetuam rei memoriam Regiæ Domui anno 1666. submissè obtulit.

No. 14. FRIDERICUS TERTIUS EX DOMO OLDENB. DANIÆ ET NORVEG. REX ELECTITIUS OCTAVUS. HÆREDIT. PRIMUS. *Effigies Regis cum Symbolo:* Dominus Providebit.

In parte alterâ:

DANIÆ ET NORVEGIÆ REGES ELECTITII E DOMO OLDENBURGICA. *Icones & nomina Regum Daniæ è familiâ Oldenburgicâ usq; ad Fridericum Tertium, in qvorum medio hæc est inscriptio:* Psal. 112. v. 1. 2. Semen timentium DEum potens erit in terrâ.

Faciem Regis serenam in primo numi latere hìc intueri licet, adjectis verbis: Dominus Providebit. Providit qvippe Deus, qvòd secundùm inscriptionem ejusdem lateris *ex Domo Oldenburgicâ Daniæ & Norvegiæ Rex electitius Octavus* evaderet, *hæreditarius* verò *primus*, qvi jure itidem Octavus fuisset. Etenim si annales nostros revolvamus, veteris Regiæ stirpis successores annis ferè bis mille Regnis his potiti sunt, ut deficiente qvandoq; masculâ prole, Regiam seriem fœminina continuaverit & successionem hoc pacto impleverit: A qvâ veteris Regiæ familiæ hæreditate nullo jure excludi debuit *Christianus I.* Oldenburgicus, qvi à Rege Daniæ, Erico Glippingio, unà cum antecessore suo Rege Christophoro Bavaro sexto cognationis gradu, sed proximè collaterali, distabat, adeò ut ad Regem *Fridericum III* ejusq; posteros à primis regni moderatoribus successio Imperii perpetua jure exstiterit. Fato tamen sic moderante, *Fridericus III* ex electitiis Rex Octavus, in qvo Majorum pietas & fortia facta velut compendio juncta erant, istam à Boreâ primus tandem meritus est gloriam, ut in perpetuâ familiæ suæ successione in terris his eminentiori modo radios Majestatis suæ diffunderet. Rectè igitur in posticâ numi regium Davidis effatum percussum exstat:

Semen timentium DEum potens erit in terrâ.

15. FRIDERICUS III. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Effigies Regis.*

In posticô:

AGGERSHAUS. *Typus castelli Aggershusii.*

Numus hic munimentum castri Aggershusiensis monstrat, qvo instaurato, qvemadmodum in posticâ numi facie apparet, Regni Norvegiæ fines Rex prudentissimus firmiter munivit.

16. FRID. III. D. G. REX. DAN. NOR. VAN. GOT. *Imago Regis.*

TAB: XXVI. DOMINUS PROVIDEBIT. 1662. *Insignia Regnorum.*

No. 17. FRIDERICUS III. D. G. REX DANIÆ & NORVEGIÆ. etc. *Ornamenta Regia seu Regalia.*

DOMINUS PROVIDEBIT. 1663. *Nomen regium cum qvatuor coronis.*

In

In Latere antico Regis Augustissimi sacra conspiciuntur ornamenta, globus cum superimpositâ cruce, terrena Orbis hujus dominia, per qvæ salutaris crucis doctrina disseminanda est, haud obscurè designans: Sceptrum, qvod celsam imperii potestatem & gladius, qvi arduam Regii sceptri & diadematis protectionem denotat. Postica verò pars nomen Friderici coronatum qvadrifariam exhibet.

TAB. XXVII.

No.18. DOMINUS PROVIDEBIT. *Regis icon.*

In adversâ:

A DOMINO REGNA. *Nomen regium coronatum & ornamenta regia laureata.*

Sicut Rex antica numi inscriptione singularem Dei providentiam confessus est, ita & posticâ regna & potestates eminentes, ab ipso Deo immediatè & proximè profectas inq; Reges ἀμέσως collatas esse docet, secundùm effatum illud θεόπνευστον *summas potestates non esse nisi à DEO.*

19. FRIDERIC. III. D. G. DAN. NOR. *Regis effigies.*
VANDAL. GOTO. REX. 1665. *Leo Norvagicus.*

20. DOMINUS PROVIDEBIT. *Nomen Friderici Tertii coronatum.*
III MARCK DANSKE. 1665.

21. FRIDERICUS. III. D. G. DAN. NORV. *Effigies Regis.*
VANDALORUM GOTHORUM QVE REX 1666. *Coronâ sub qvâ:* Dominus Providebit.

22. FRID. III. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Regis Icon.*
DOMINUS PROVIDEBIT. 1666. *Insignia Regnorum integra.* G.K.

23. FRID. III. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Effigies Regis.*
DUX SLESV. HOLS. STORM. DITM. COM. IN OLD. & DEL. *Corona sub qvâ:* Dominus Providebit. 1666.

24. FRIDRIC. 3. D. G. DAN. NOR. VA. GOT. REX. *Effigies Regis.*
DOMINUS PROVIDEBIT. *Fortuna globo insistens inter ramos laureos. I.W. 1666.*

Ex Literis I. W. nomen Monetarii Tychopolitani Johannis Waltrek exprimentibus, & fortunâ inter lauri frondes existente numum hunc ex officinâ monetariâ Tychopoleos esse liqvet, qvi florescentis urbis Tychopolitanæ memoriam inculcat.

25. FRID. III. D. G. DAN. NOR. V. G. REX. *Icon Regis.*
DUX. SL. HO. STO. DIT. CO. OL. DEL. *Insignia regnorum integra.* G. K. 1667.

26. FRID. III. D. G. DAN. NOR. V. G. REX. *Regis effigies.*
DOMINUS PROVIDEBIT. *Corona sub qvâ:* XVIII. M. 1668. G. K

27. FRID. III. D. G. REX. DANIÆ. *Regis Effigies.*

NOR.

NOR. VAN. GOT. 1670. *Nomen Regium coronatum octies in postico numi latere effictum.*

TAB: XXVII. Numus est qvem raritas & artificis industria inprimis commendant, cùm ejusdem typi pauciores saltem reperiantur.

28. *Effigies Regis corollæ inserta cum tribus Leonibus, supernè illustre illud tetragramma* יהוה *Regis caput irradians.*

Ab alterâ parte.

Optimo Regi FRIDERICO III. Daniæ Norvegiæq; D. D. O. M. Exercitum felicem, Populum fidelem & annos de nostris. *In superiore hujus lateris parte Leo Norvagicus conspicitur, in inferiore elephas turritus.* G. K.

29. Dominus Providebit. *Litera prima nominis Regii cum coronâ.*

Ab altera parte nihil impressum conspicitur.

Arte singulari numisma hoc, qvod pondus saltem decimæ sextæ partis ducati aurei æqvat, efformatum, & affabrè adeò aurum hìc extensum & percussum est, ut aqvis supernatet. Nomen itaq; inde sortitum est Svømming i.e. numus natans.

30. *Numus qvadratus, in qvo Regis lauricomi icon cernitur sine ulla inscriptione, ex postico latere rasus.*

31. MANET ULTIMA COELO. *Nomen Friderici Terrtii cum tribus coronis & reliqvis regalibus. In angulis insignia Regnorum conspiciuntur.*

In reversâ.

DAN. NOR. VAN. GOT. REX. Pyramis cum inscriptione: ANIMÆ ÆTERNÆ. FRIDER. III. OPTIM. PRINCIP. *In lateribus numi.* Natus 18 Marti. 1609. Coronatus 23 Novemb: 1648. Obiit 9. Febr. 1670. Regnavit annos 22. *Leo & Sol occidens. Numus est qvadratus.*

Numisma cineribus Sacratissimi Regis, Divi *Friderici III.* consecratum. Anticum ejus latus Septentrionalis regiminis diademata & ornamenta in terrâ exhibet floremq; gloriæ mundanæ σχῆμα; In polo verò coronam, qvâ nomen *Friderici III.* decoratum est, qvæ Ultima cœlo manet: Ex adversâ parte pyramidem in sepulchro leonis nostri Septentrionalis. Animæ æternæ Divi Friderici III. Optimi Principis.

23. FRID3D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. Q. REX. *Effigies Regis. In lateribus hæc leguntur:*

Natus 18. Mart. 1609. Coro. 23. Nov. 1648. Obiit 9. Febru. 1670. Regn. annos. 22.

In postico:

Pyramis cum inscriptione: Memoriæ Æter. Optimi Princip. *Leo & sol occidens. In lateribus hæc leguntur:* Vict. Naval. 29 Oct.

29 Oct. 1658. Metr. defens. 11. Feb. 1659. Fion. Recep. 14. Nov. 1659. Emin. Impe. Obl. 27. Oct. 1660.

Exseqvialis numus est qvadratus, qvi parte unâ Divi *Friderici III.* faciem exhibet & in illâ Augustæ originis indicem dignamq; imperio speciem. Pyramis ex adverso latere egregium illud trophæum: memoriæ æternæ optimi Principis, in mausoléo monstrat: Si qvadrati hujus numismatis angulos inspiciamus, qvanta qvæso victoriarum vestigia! Hîc *Batavorum*, pro instaurandâ fortunâ Hafniæ obsessæ *victoriam* legimus & fortitudinem summam: Illic *Fioniam* suos ita debellasse hostes, ut, raro in annalibus exemplo, ex integrâ hostium acie gemini tantùm Duces servarentur: Alibi *Daniæ Metropolin* masculè se defendentem, & vix dimidia nocte oppugnatam de exercitu toto hostili triumphantem. Singula hæc qvemadmodum & plura alia Victorem tantum in Augusto illo Majestatis solio ita tandem collocarunt, ut *Eminentia Imperii*, d. 27. Octobris Anno 1660 humillimè oblata per Orbem universum lauros, adoreas, æternitatem sibi comparaverit.

TAB. XXVII.

N°. 33. *Arx Amalienburg cum horto, in medio ejus urna. Infra ad oram numi: XX. FEBR: M. DC. LXXXV.*

Ab altera parte:

SOPHIÆ AMALIÆ DA. NOR. VA. GOT. REGI. CINERIBUS CHRISTIANISSIMIS SACRUM. XXVI. MART. O. B. *Insignia Daniæ & Luneburgi.* I. V.

Numus hic mortem Reginæ omni laude cumulatissimæ repræsentat, qvæ ex celsissimâ Guelforum gente oriunda, filia Georgii Ducis Luneburgo-Cellensis ex Anna Eleonorà Hassiacâ 1628 nata est FRIDERICO TERTIO Regi Daniæ, Annô 1643 d. 1. Octobris nupta, & Anno 1685 d. XX Februarii mortua, cujus exseqviæ d. 26. Martii ejusdem anni Hafniæ celebratæ sunt.

TAB. XXVIII

CHRISTIANI QVINTI.

N°. 1. CHRISTIANUS V. D. G. REX. DAN. NORV. VAND. GOTH. DUX SLESV: HOLS: STORM. & DITM: COMES OLD. & DELM: *Effigies Regis instar Eqvitis cataphracti.*

PIETATE & JUSTITIA. 1670.

Numus est magnitudinis insignis.

2. *Nomen Regium cum novem cordibus.*

Ab altera parte:

Crux cum ornamentis Regiis sive Regalibus regnorumq; insignibus.

Numus triangularis tempore unctionis Regiæ in publicum ejectus.

3. *Rex solio Regio, ad cujus pedes trini Daniæ Leones provoluti, insidens inter duas columnas Regis nomine insignitas.*

A postica:

VII ex Domo Oldenb. Dan. & Norveg. Reges Electitii, circa quam inscriptionem effigies & nomen uniuscujusq; è Domo Oldenburgicâ Daniæ Norvegiæq; Regis à Christiano Primo *usq; ad* Fridericum Tertium *conspicitur, cujus augusta facies supremo loco eminet cum Inscriptione circa caput:* E DOMO OLDENB. DAN. NORV REX ELECT: VIII. HÆREDIT. I FRIDERIC: III.

TAB. XXVIII.

N°. 4. CHRISTIANUS V. DEI GRATIA. DANIÆ. NORVEGIÆ VANDALORUM GOTTORUM REX. *Rex solio Regali ex unicornu marini cornibus, olim auri pretium superantibus, efformato insidens, cum Regalibus signis. Ad basin solii Regii tres Leones, qvi magnitudine insignes, ex argento fusi sunt, qvos à primo Daniæ Rege Dan scuto Regio insertos Svaning. Chronol. Dan. pag. 33. refert, tria illa Balthici maris ostia, qvibus Monarcha noster imperat, indigitantes.*

DUX SLESV. HOLSATIÆ, STORMARIÆ, DITHMARSIÆ, COMES OLDENBURGI DELMENHORSTÆ. *Integra Regnorum, & ad ea pertinentium Provinciarum insignia.*

Numus hic simul cum proximè antecedente unctionem Regis nostri Augustissimi in Templo arcis Regiæ Fridericoburgensis anno 1671 d. 7. Junii, magno Septentrionis gaudio & faustis omnium acclamationibus peractam indicat. Numus elegans est & oppidò pretiosus, pondere unciarum decem cum dimidiâ.

5. PIETATE & JUSTITIA. *Imago Regia.*

Latus alterum Navem exhibet, in cujus puppi leo bipennifer.

Numus fortè in memoriam illius navis bellicæ cusus.

6. *Numus qvadratus, à parte unâ Imaginem Regis in corollâ tetragrammate divino irradiatam ostentans, cum 3. Leonibus novem infra se corda habentibus.*

Parte alterâ:

TAB. XXIX. *Elephas turritus, cum Nomine Regis*

N°. 7. JUSTITIA & PIETAS REGNORUM ROBORA FIRMAT. *Effigies Augusti.* Unctus 1671.

A parte alterâ:

Nomen Regium triplici inter se nodô innexum.

8. DA. NOR. VA. GOQ; REX.

A parte alterâ:

Elephas cum Turri & insignibus Daniæ. 1673.

9. *Nomen Regium nodo triplici innexum cum sex Coronis.*

Facies Augusti, cum inscriptione D. G. REX. DAN. NOR. VAN. GOT. 1673.

10. CHRISTIAN. 5. D. G. REX. *Imago Regis cataphracti.*

DAN. NOR. VAN. GOTTOQ; 1673. *Leo coronatus cum bipenni.*

11. CHRISTIAN. V. D. G. REX. DA. NO. V. G. *Effigies Eqvitantis Regis.*

Elephas

A parte altera:

Elephas cum Turri, cui insculptum nomen Regium & in dorsuali Leo
TAB. XXIX. *cum bipenni 1673.*

N°. 12. AUXILIUM ET TUTELA. *Fœmina ad rupem catenis alligata, qvam vir armatus alisq; instructus in äere draconem fugando tuetur. Infrà:* OPTIMO REGI CHRISTIANO V.

In postico latere:

SECURITAS ET SALUS PUBLICA. *Mulier statuæ innitens sinistrâ Cornucopiæ, dextra ramum oleæ tenens, sub qva:*

CIMBRIA RENASCENS. *Infrà,* DANORUM STATORI ET CONSERVATORI.

13. *Regis & Reginæ imagines.*

A postica parte:

Rex extra Wismariam obsessam cum Turmis eqvitans.

14. VIRTUS REPULSÆ NESCIA. *Wismaria cum castello Balænâ.*

In postico.

PULCHRUM ULCISCIER AVOS. *Wismaria lugens sub spoliis. Infra ad oram numi:* WISMARIA EXPUGNATA 13. DECEMBRIS. 1675.

Numus hic Wismariam à Danis expugnatam repræsentat, urbem Svecorum in tractu Mechlenburgensi munitissimam, qvæ loci fiducia paludibus interscissi, mœnium robore, militum fortitudine, præsidiorum & annonæ abundantia superbiens diu & refractaria, capto priùs à nostris munimento Damgarto, & Castello Balæna dicto, qvod urbi & portui propugnaculum præbuerat, Anno 1675 d. 13. Decembr: in potestatem Augusti nostri redacta est.

15. *Effigies Augusti militaribus armis undeqvaq; cincti.*

AD DOMINUM PATRIAMQVE REDIT.

Agnus Amalonicus, seu insigne Gothlandiæ, 1 Maj: Anno 1676.

Agnus Vexillum gestans Gothlandiam indicat, maris Balthici Insulam littori Svecico obtensam, & saxis asseribusq; inprimis notam, qvam anno 1676 mense Majo, occupata priùs metropoli Wisby & circumfuso littoribus terrore per classem Daniæ victricem, Architalassus *Nicolaus Julius* Svecis eripuit.

16. *Columna cum Inscriptione:* CHRIST: V. P. AUG: FELI. OB VENNERSB: SVEC: CAPT. AB ULDAR: FRI: GULDENLEV. XXVI. JUN. M. DC. LXXVI.

In adversa:

HIC TRANSIIT INVIA VIRTUS. *Typus Vennersburgi.*

Numus hic urbem Sueciæ munitissimam Vennersborg à magno illo Heróe *Vldarico Friderico Guldenlöv*, Pro-Rege Norvegiæ anno 1676. d. 26. Jun. Svecis ereptam indicat.

17. HELSINGBURG. *Typus Arcis.*

ARBITRIUM RECUPER. *Navis inter duas Columnas, qvibus insculptum nomen Regium Christiani Qvinti.*

Numo hoc expugnatio arcis munitissimæ Helsingoburgi in Scaniâ exhibetur, qvæ anno 1676 d. 4. Jul. Svecis ab Augusto nostro tridui saltem spatio erepta, postea anni ejusdem mense Decembri Svecis iterum cessit, tandemq; varium Martem & fortunæ volubilis vices experta anno 1678 d. 27. Junii in Danorum rursus potestatem redacta est. Per statuas vexillis insignitas, qvas navigium transit, Oresunda, seu fretum Codanum indigitatur, Coronæburgo Selandiæ & Helsingoburgo Scaniæ utrinq; interceptum. Arbitrium enim maris Balthici ex utroq; littore sic securiùs recuperatum fuisse numus indicat.

TAB. XXX.

יְהוָה.

N°. 18. Numinis Auspiciis Felici sub Regimine Serenissimi & Potentissimi Princi. ac Domini, Domini C5, REGIS Daniæ, Norvegiæ, Vandalorum. Goth: DUCIS Sclesf. Holsat. Storm: & Ditmar. COMITIS in Oldenburg & Delmenhorst. TER Hostili Classe I. Sub Ölandiâ. II. Propè Langelandiam. III. In sinu juxta Coagium profligata & undecim Primi Ordinis navibus bellicis cum omni apparatu interceptis CORONA HÆC COMPARATA EST.

A sinistrâ parte:

Regii nominis exerta è nube manus apparet, cum supra script: DIES SALUTIS.

A dextrâ:

Octo pueri exsultantes cum sertis & corollis lætitiæq; signis aliis, unà cum adscriptione: DICENT POSTERIS.

Altera Numi facies instructas apparatu bellico naves dimicantes summo artificio repræsentat, præsertim naves Christianus Qvintus & Mars Svecia dictas, cum suprà scripto:

SIC CODANI TURBAS CONCILIASSE JUVAT.

1 JULII ANNO 1677.

Numus hic aureus magnitudine & elegantiâ inter numismata omnia Europæa maximè conspicuus, pondere Unciarum octodecim, partas tribus præliis navalibus victorias præ se fert, qvas totus extollit Orbis & sera posteritas commemorabit. In prælio primo propè *Ölandiam* Anno 1676. d. 1. Jun: cum classe Svecorum navium qvadraginta à *Creutzio* Architalasso educta *Trompius* Batavus, qvi classem suam nostræ junxerat, & maris Danici Præfectus *Nicolaus Julius* eâ fortitudine conflixerunt, ut navis prætoria Svecorum, Coronæ nomine insignita & 140 tormentis bellicis instructa, simul cum Architalasso *Creutzio* & conferta militum manu, incensa perierit; Altera magnitudine proxima, Ensis regni appellata & tormentis 92 onusta simul cum Præfecto maris *Ugola*, qvi nostros fortiter primùm sustinuerat impe-

impetus, flammam conceperit, & octo aliæ, magnitudinis haud spernendæ, vel captæ vel tumulis arenarum illisæ fuerint. Reliqvæ, per fluctuum incerta sparsæ Stocholmiam cum trepidatione reversæ sunt suisq; metum nobis præmium virtutis victoriam reliqverunt. In pugnâ secundâ propè *Langelandiam* Anno 1677 mense Junio haud meliorem experta est fortunam Svecorum classis, qvam Architalassus *Seeblad* eduxerat. Eo qvippe fervore cùm à claustris Gottenburgicis per mare Balthicum iter tentaret, à Præfecto maris Danici *Nicolao Julio* excepta est, ut navis prætoria simul cum Architalasso *Seeblad* & qvinq; aliis molis vastæ navigiis bellicis, præter minores alias, nobis præda exstiterint. Conflictus tertius in sinu Codano seu mari Balthico, Anni ejusdem mense Julio, fortunam qvoq; Regis nostri Augustissimi testatur & laudes ævo omni perennaturas ebuccinat. Classis qvippe Svecica, licet navium numero nostræ multò superior, ita ab Architalasso Daniæ *Nicolao Julio* diripi, atteri, vastari visa est, ut, sine unicæ nostræ in pugnâ jacturâ, undecim naves bellicas mole sua turribus castellisq; maris simillimas, nostrorum fortitudine captas amiserint, tres alias magnitudinis insignis, flammis combustas, minores innumeras, qvæ manu militum, catapultis, parmis, verutis, victu & commeatu onustæ, vel captas vel incensas. Tot ergo partæ nobis in Oceano victoriæ, qvot prælia extiterunt, tantæ à Monarchâ nostro invictissimo res mari gestæ, ut à Tullio ipso vel Pericle si redivivi essent, ab Europâ universâ laudibus dignis extolli haud possent.

TAB: XXX.

N°.19. CHRISTIANUS V. REX. DANIÆ NORVEGIÆ. *Imago Regia.*

A posticâ facie: Classes eædem dimicantes.

20. *Icon Augusti absq; inscriptione.*

In adversâ parte:

Navalium armorum singularis congeries.

TAB. XXXI. Numus est de torqve aureâ pendulus à Rege nostro rei militaris Præfectis clementissimè oblatus, qvi in prælio navali strenuè se gesserant.

N°.21. DN. NICOL: JUEL. EQ. R. D. ARCHITAL. *Effigies Architalassi.*

In postico:

PRÆLIUM INTER CLASSES CHRISTIAN: V. ET CAR. XI. 1.JUL: M. DC. LXXVII. DN. NICOL: JUEL. ET. HENR. HORN. DUC. *Typus prælii inter Classes, Danicam & Svecicam.*

22. FR. GULDENL. D. C. L. PROR. NO. MARSCH. *Effigies Illustrissimi Proregis.*

Typus Castelli Marstrand in Norvegiâ cum Inscriptione: EROBRUNG VON MAERSTRAND. An. 1677.

Numus hic oppugnationem urbis Norvegiæ Marstrand, in Insulâ nominis ejusdem sitæ, designat, cujus arcem munitissimam, cinctu rupium ferè inaccessam Pro-Rex Norvegiæ Guldenlovius, consilio & impetu pari rem gerere edoctus, Anno 1677 d. 23 Julii Svecis eripuit.

23. *Nomen Regium Christiani Qvinti nodo triplici innexum, tribus coronis, civicâ navali & vallari, exornatum.*

Ex parte aversa:

QVOT TUA REX INGENS PENSABUNT FACTA CORONÆ.
TAB. XXXI. M. DC. LXXVII. *in Corolla.*

N°. 24. *Figura muliebris sinistra scutum tenens cum insignibus Daniæ & Norvegiæ, dextrâ Pyramidem indigitans, cum Inscriptione:* RUGIA RECEPTA XIII. SEPT. M DC LXXVIII.

In postico:

VOLITABIT FAMA PER ORBEM. *Aqvila volans alis expansis, & ungulis, scutum tenens cui insculpti characteres nominis Regii Augusti nostri & Electoris Brandenburgici.*

Numus hic victoriam Augusti nostri indicat, qva anno 1678 d. 12 Sept. Rugiam Insulam maris Balthici, littoribus Pomeraniæ vicinam imperio Daniæ, cui olim subjecta fuit, iterum adjecit. Anno 1677. d. 7. Sept: primò à nostris expugnata, postea anno 1678 d. 7. Januar. in Svecorum potestatem redacta, tandemq; anni ejusdem die 23. Septembr: fortitudine Danorum, qvi Brandenburgicis juncti, rursus subjugata est, & tanta qvidem Svecorum strage, ut Dux O. W. Königsmarch cum exigua sibi relicta militum manu Stralsundam profugus ex periculo vix evaserit.

25. NON EST MAJORIBUS IMPAR. *Obeliscus ex uno latere figuris Hieroglyphicis refertus, expeditiones & victorias Augustissimi Regis nostri designantibus, qvas terra mariq; habuit; Ex alterô verò votum literis Runicis expressum:* **Gud bevare Kongen**/ i. e. *DEus sospitem servet Regem! In summitate apicis nomen Regium.*

In postico:

Figura solis cum radiis his nominibus insignitis: WISMAR, JEMTERLAND, GOTHLAND, CARLSBURG, CHRISTIANSTAD, MARSTRAND, LANSCRON, VENNERSBURG, *Circa hæc.* VELOX IRE VIAM, ULTERIUS. 1677.

Numus hic regiones urbesq; omnes à Rege nostro Potentissimo Svecis ereptas ab anno 1675 ad annum 1677 velut compendio repræsentat & fortitudinis Regiæ documenta, victorias & trophæa, statuas & obeliscos seræ posteritati exhibet. Toti enim terrarum Orbi notum, Augustum nostrum non esse Majoribus imparem, qvi velut salutare sidus & patriæ nostræ sol VELOX victoriæ didicit ULTERIUS IRE VIAM.

26. CHRISTIAN. V. D. G. REX. DAN. *Effigies Augusti.*
FRIDERICKSBERG. I. GVINE. *Typus Castelli.* anno 1682. G. S.
Ex Auro Gvineensi Hafniam ex castello Fridericksberg allato.

27. Ertholmia ante Piscatorum Famula, nunc Arbitra Codani Maris, ante inhospita scopulis, abrupta cautibus, Nunc Anno M. DC. LXXXIV. ausu plusqvam Herculeo CHRISTIANI QVINTI August. Daniæ Norvegiæq;

vegiæq; Monarchæ, tutela Balthis, asylum negotiantium, Regnorum gloria, ex castello saxeo Arcet hostilia, amicos placidè receptat, post hac CHRISTIANSÖE.

A parte altera:

Typus Castelli, infra qvem:

MEDIIS JAM PORTUS IN UNDIS: *supra eundem:*

DEFENDIT ET AUGET. *Circa numi oram extremam:*

Flectit ad obseqvium cautes & pectora flectit.

Numus elegans & magnitudine insignis est, cusus in memoriam castelli tutissimi Christiansö in insulâ maris Balthici ejusdem nominis ad Borringiam, anteaErtholmia dictâ, exstructi, cujus primum Lapidem nomine & jussu Regis Dn. *Christophorus Sehested* Reg. Majestatis Consiliarius Intimus submisse posuit. Castellum inter præsidia Balthica munitissimum est, qvod inscriptionis veritate se tuetur, ex qvo Augustus noster potentissimus Dominium maris Balthici sibi vindicans hostes qvoscunq; arcet & amicos placidè receptat.

TAB: XXXII.

N°. 28. NEC VI NEC METU. *Obeliscus, cui inscriptum nomen Regium:* HAFNIA DANIÆ. *Typus Urbis.*

29. CHRISTIANUS V. D. G. REX DANIÆ NORV. *Imago Regia.*

Ab alterâ parte:

Integra Regnorum, & pendentium ab iis Provinciarum Insignia.

30. *Rex Cataphractus cum bacillo Imperatorio.*

A parte alterâ:

Nomen Regium triplici nodo innexum. D. G. DAN. NOR. REX.

31. MAGNUS INSTAURATOR PATRIÆ. *Effigies Augusti.*

LUX SEPTIMA REDDITUR ARÆ. OCTAVAM SIDERA SPONDENT. *Ara cum sex Candelis, cui septima imponitur, imminet verò octava, velut jam jam imponenda.*

32. ANNIVER. SACRA CHRISTIA. V. PI. AUG: P. P. ANN. COMP. XXXIX. XV. APRIL. M. DC. LXXXV.

A parte alterâ:

TALE JUBAR. TOT ET ANNOS. *Typus solis super Elephantem turritum, cui insculptum Nomen Regium cum Inscriptione:* VOT. *Infrà.* V. F. G. L. CON. *Ad extremam numi oram:*

TRIBUS IMPERII LUSTRIS EXACTIS.

Literæ U. F. G. L. CON. numo hoc Regi nostro anniversaria sacra à Pro-rege Norvegiæ Uldarico Friderico Guldenlovio die Regis natali facta indicant.

33. ADVENT. AUGUST: *Leo Norvagicus cum scuto, cui inscriptum.*

CONSERVAT. CHRIST. V. M DC LXXXV.

Ara

Ara cum 15 inflammatis cordibus, & inscriptione :

REGIS ET OMNIA REGI. V. F. G. L. P. i. e. *Vldarico Friderico Guldenlovio Prorege.*

Numus hic qvemadmodum & septem proximè seqventes, perlustratam anno 1685 à Rege nostro Serenissimo Norvegiam indicat. Per *Dora & Fila* montium tractus longissimi in Norvegiâ indigitantur, incolis Dourefield & Filefield/ qvorum clivosa & prærupta juga, à nullo antea Rege calcata, aditu difficillimo ipsos Alpes Italiæ & Apenninos vincunt. In memoriam rei à *Johanne Wibe*, summo tum temporis excubiarum Præfecto, in boreali Norvegiæ tractu, vulgò Nordenfields/ erecta est Pyramis lapidea in monte Dourefield/ cujus hæc est inscriptio. **Dend 19 Jun. Anno 1685. reiste C5 ofver Dourefield.** Apex pyramidis coronam gestat. Utrinq; in lateribus insignia Norvegiæ conspiciuntur. Brevissimo autem temporis spatio, qvo Norvegiam universam perlustravit, nives montium, inaccessas aliis, & prærupta cautium ausu plusqvam Herculeo supergressus, & fodinas metallicas, silvas saltusq; regionis, urbes, castella, tractus limitesq; provinciarum oculo sagacissimo contemplatus est, milliaria Germanica terrâ mariq; 606. celeritate incredibili, confecta sunt.

TAB: XXXII:

No. 34. CHRISTIANO V. P. AUG. P. P. NORVEGIAM LUSTRANTI; M. DC. LXXXV.

In postico:

AUGET PRÆSENTIA FAMAM. *Figura muliebris galeata cum insigni Norvegiæ.*

35. SALVO CHRISTIANO V. NORVEGIA FELIX. M. DC. LXXXV.

A parte alterâ:

Figura solis cum inscriptione :

LUSTRAT & ILLUSTRAT, DAT VIRES, MEMBRA FOVETQ;.

36. C: V. R. D. N. V. G. Q; *Effigies Regis eqvitantis.*

TERRA MARIQ; 1685. U. F. G. *NAVIS.*

37. *Tria corda cum Nomine Regio & utriusq; Regni insignibus.*

A parte alterâ:

DORA & FILA C5 LUSTRAVIT. *Figura memoratæ nuper rupis, cui insculptus leo cum bipenni.* M. DC. LXXXV. U. F. G.

38. CHRISTIAN' V. NORVEGIAM ILLUSTRAV. ANNO M. DC. LXXXV. U. F. G.

A parte alterâ:

Tria corda cum Coronis, qvæ Nomen Regis & Insignia Regnorum ostentant.

39. C. V. R. D. N. V. G. *Rex Cataphractus.*

IN MEMORIAM *Leo cum bipenni 1685.*

40. NORVEGIA LUSTRATA A CHRISTIANO V. P. AUG. P. P. M. DC. LXXXV.

A parte alterâ:

TERRAQ; MARIQ;.

14. Cha-

XXXII.
No. 41. *Character Nominis Regii in fasciâ Ordinis Elephantini, qvam leo bipennifer ungulis tenet, cum inscriptione:* DAN. NORW. REX.

In parte adversa:

LABORANTEM CORROBORAT. *Crux Dannebrogica.*

42. IN. GRATI. RECEP. *Insignia Hamburgi cum folio urticæ, qvod indubitatum in numis hujus urbis antiqvis signum est Imperii Holsatici, sub qvibus:* M. DC. LXXXVI.

Ex alterâ parte:

Octodecim literæ P, qvæ ita explicantur:

Propter Preces Plurium Principum PacemPetentium, Petulantibus, Pænam Præpetem Pristinæ Pervicacitatis Paventibus, Pius Pater Patriæ Præsens Protinus Pepercit.

Typus Urbis Hamburgensis obsessæ, qvæ sic in gratiam recepta.

43. VIVAT CHRIST: V. ARB. MA. BAL. *Neptunus cum tridente, Delphino insidens Sirenibus comitatus.*

In postico:

ADVENT. AUGUST. M. DC. LXXXVII.

Numus hic Regis nostri Augustissimi iter â freto viridi vulgò Grønsund/ *Falstriæ Monæq;* interjecto, die 6. Maji anno 1687 in Insulam maris Balthici *Borringiam* indigitat, qvam die septimo ejusdem mensis intravit. Hinc die 10. Maji vela solvens, ad Insulam *Ertholmiam*, in memoriam Regii Nominis *Christiansöe* nunc dictam, ut munimentum ejus firmissimum lustraret, die 11 Maji horâ matutinâ 3 pervenit, qvâ relictâ, pelagi minas ventorumq; rabiem expertus, Hafniam die 19. Maji feliciter attigit optimus ille Maris Balthici Arbiter, cujus
TAB. XXXIII Adventum verè Augusti aversa numi facies devotè refert.

No. 44. CHRISTIANUS V. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Regis icon.*

In postico:

CHRISTIANSBURG IN GVINEA anno. 1688. *Typus Castelli. Ad numi oram extremam:*

PIETATE ET JUSTITIA.

Ex Auro Guineensi Hafniam commerciis apportato.

45. CHRISTIANA CHAROLOTA. CHRISTIANI V. ET CHAROLOTÆ AMALIÆ FILIA. *Dania Lugens sub cupresso: Infrà ad oram:* OBIIT. XIV. AUGUS. M. DC. LXXXIX.

In Adversa:

ÆTERNÆ MEMORIÆ. *Urna sepulchralis super columnam.*

46. A CHRISTIANO V. MISSUM WILHELMO III AUXILIUM VII M. MILITUM. M. DC. LXXXIX.

Ab altero latere

Classis velificans.

Numisma hoc Daniæ copias auxiliatrices, qvibus Dux Wirtembergicus Dn. *Ferdinandus Wilhelmus* præest, ex Cimbricâ Chersoneso die 8. & 9. Novembris anno 1689 ad Anglorum hostes ex Hyberniâ propulsandos trajectas indigitat, qvarum fortia facta Orbi jam satis nota.

TAB: XXXIII

No. 47. CHRISTIANUS V. D. G. REX. DAN. NOR. VAN. GOT. *Effigies Regis. Ad oram:* Bart. Meier.

Ab alterâ numi facie:

CORONEBURGUM CORONATUM. *Typus coronæburgi perqvàm exactus, Ad oram extremam:*

TERRAQVE MARIQVE TUETUR.

Munimentum castri Coronæburgi, qvod superbis mœnium jam eminens pinnis, qvorum Lapidem primum Rex Gloriosissimus *Fridericus II* anno 1574 posuit, sic Oresundam seu fretum Codani maris, freqventiâ navigantium & vectigali auro fœcundum, terraq; mariq; tuetur, anno 1691 â Rege nostro Potentissimo *Christiano V.* munimentis firmioribus, qvà terræ pelagoq; assidet, illi additis. Meritò igitur propugnaculis vallisq; jam ampliùs extensis Coroneburgum Coronatum dicitur, qvod secundùm inscriptionem numi seqventis & claudere & recludere valet. Arcem hanc inter Europæ celeberrimas & magnificentissimas *Hadrianus Romanus in Theatro Urbium* jam du dum numeravit.

48. CORONEBURGUM CORONATUM. *Typus castelli ejusdem.*

In postico numi:

ET CLAUDIT ET RECLUDIT. *Clavis ad utramq; manum parata.*

Ad oram extremam:

TERRAQVE MARIQVE TUETUR.

49. ÆTERNUM NITEANT ARCTOI SIDERIS ASTRA. *Stella coruscans, in cujus medio* [monogramma], *in radiis verò qvinq; grandioribus stellæ qvinq;, Regiæ Prolis nomina.*

In adversa:

CHRISTIANO QVINTO, tori lustro Qvinto, ætatis novies Qvinto, stellâ Qvinqve partitâ felici Aprilis decimo Qvinto fidelis & Qvinqvaginta Qvinqve annorum subditus anniversaria fau. vovet.

Sunt anniversaria sacra Regi nostro clementissimo ætatis anno qvadragesimo Qvinto ipsius die natali piè peracta à Pro-Rege Norvegiæ fidelissimo V. F. *Guldenlöv.*

50. RELEVATA. *Hybernia victoriolam manu dextrâ, sinistrâ verô trigonum suum tenens. Sub qvâ 1691.* Ant. Meibus. F.

Ab alterâ parte:

Palma cum duobus scutis appensis, in priori: DANORUM FORTIBUS AUSIS, *in posteriori:* VIRIBUS VNITIS.

Sic

TAB: XXXIII Sic enim Hybernia suam relevavit citharam.

No. 51. CHRISTIANUS V. D. G. REX DAN. NOR. VAN. GOT. *Icon Regis*

PIETATE ET JUSTITIA. *Insignia Regnorum integra. 1691. C. W.*

52. CHRISTIANUS V. D. G. REX. DAN. ET NORV. *Icon Regis.*

IN PACE OMNIS SALUS. *Pax globo insistens dextrâ ramum oleæ, sinistrâ cornucopiæ tenens, navigiis sub ortu solis præternavigantibus.*

53. *Nomen Regium bifariam sub coronâ.*

D. G. REX. DA. NO. V. G. *Regnorum insignia. 1691. C. W.*

54. CHRISTIANUS V. D. G. REX. DAN. NOR. VAN. GOT. *Regis effigies.* Bart. Meier.

In postico:

Navale regium vallis præmunitum castellisq; istis maritimis bene instructum, supra qvod, in aëre apparent nubis & ignis statuæ cum subscripto: HIS DUCIBUS *EXOD. XIV. Infra ad oram:* NEC IRRITANTES NEC IRRITANDÆ. Sunt mœnia lignea, qvibus Oceani illa parte Portuam tuetur sollicitudo Augusti nostri Patriamq; universam undiqvaqve defendit.

Ad numi oram extremam:

Sic stant conspicuæ regali in sede carinæ,
Et bene muniti castella natantia regni. 1692.

His certè ducibus classis hæc nec irritans nec irritanda, velut mœnibus vallisq; 1692 cincta, ab omni violentiâ secura est.

55. CHRIST: V. D. G. DAN. NO. V. G. REX. *Icon Regis laureati.* Meibus. F.

PIETATE ET JUSTITIA. M. DC. XCII. *Triangulum nomine Divino coruscans & circumqvaq; nomen regium sextupliciter apparens.*

56. *Icuncula Regis.*

Ex latere posticô:

Dania & Norvegia sacrificantes ad altare, cui insculptum: VOTA REGNORUM *& scuta Daniæ & Norvegiæ. Supra vota:* DE NOSTRIS DET DEUS ANNOS. *Ad oram infrà:* XV. APRILIS. 1693.

In natalem Regis percussus & devotè numus hic oblatus.

57. CHRISTIANUS V. D. G. REX DANIÆ NORVE. *Effigies Regis.*

Ab alterâ parte:

Regnorum insignia provinciarumq; eò pertinentium.

58. CHRISTIANUS V. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Regis icon* Ant. Meibus. F.

PIETATE ET JUSTITIA. *Altare, cui imposita sunt Regalia seu ornamenta Regia. Ex latere priori apparet Nomen Regium* [C5 sub corona] *inter palmæ ramos.*

Ornamenta hæc ita Rex Augustissimus Deo consecrata voluit, recordatus ea non nisi a Deo esse, qvæ & Pietate & Justitiâ summâ gestat.

XXXIV.
No. 59. CHRISTIANUS V. D. G. REX DAN. NOR. VAN. GOT. *Regis icon.* B. Meier.

PAX QVÆRITUR ARMIS. ANN. M. DC. LXXXXIII. M. JUL. *Armorum congeries.*

60. CHRIST. V. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Icôn Regis.* Ant. Meibus F.

QVÆ SUSPECTA DIIS MERITO SIVA DEJICIT ARMA.

Siwa Polaborum Dea, arma, qvibus induta fuit, in stagnum Ratzeburgicum dejciens, sub qvâ ad oram: PAX RATZEBURG. 1693.

Siwa seu potius, ut *Schedii* conjectura est, Syeba Polaborum Dea fuit (i. e. Ratzeburgensium) *Helmold.* lib. 3. c. 53. *Stabat illa*, inqvit *Bangertus* in notis ad hunc locum, *utrâq; manu in tergum rejecta, alterâ uvam cum folio viridi, pomum aureum alterâ tenens, capilli per tergum ad poplites usq; fluebant:* Qvibus *D. H. G. Masius de Diis Obotr. cap.* 2. addit: *Caput serto ornata, de cœtero nuda fuit.* Fuit & Venus Polaborum dicta, Ratzeburgi eodem in monte culta, in qvo postea *Henricus Leo* templum cathedrale condidit. Hodie locum istum incolæ *Montem Palmarum* vocant, ubi lucum Deæ huic consecratum perhibent, qvæ jam suâ sorte non contenta armisq; inde induta, meritò terrarum Diis suspecta videbatur. Hinc ignium vi à Rege Potentissimo Christiano Qvinto, Monarchâ nostro Septentrionali, eò redacta, ut propugnacula & arma sua ipso Michaelis die anno 1693. dejiceret.

61. PROVIDENTIÆ CHR. V. P. F. A. P. P. OB. SECURIT. CIRC. INF. SAX. RESTIT. *Effigies Regis, sub qvâ:* DN. XV. APR. M. DC. XCIV.

In latere adverso:

Ratzeburgi oppugnatio. Ex utroq; stagni littore:

PIETATE COMMOTUS. JUSTITIA ADACTUS.

Providentiæ Regis Christiani V. Pii, Felicis, Augusti, Patriæ Patris Celsitudo Regia Princeps Fridericus, Filius Regis prudentissimus, in natali Patris anno 1694 sic litare voluit ob securitatem Circulo inferiori Saxoniæ expeditione Ratzeburgicâ restitutam.

TAB. XXXV.
No. 62. M. DC. XCIV. XV. APRIL. R. D. N. P. C5 P. INCIPIT ANNUM ÆTAT. XLIX. REGNI XXV.

Ab alterâ parte:

Votum vernaculum literis Runicis incisum:

Gif Gud Kongen mange Aar /
Aldrig vi een bedre faar / i. e. *Annos plurimos Deus Regi Optimo indulgeat.*

63. DAN. NORV. VAN. GO. QVE REGINÆ CHARLOTTÆ AMALIÆ M. P. NATALITIO SACRUM.

In postico latere:

AUGUSTISS. VIVAT.

Duo

TAB: Duo sacrificantes ad altare, cui insculptum: XXVII APRIL. M. DC. *XXXV.* XCIV. *sub qvo:* LÆTIT. PUBLI.

No. 64. CHRISTIANUS V. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Regis icon Ordinis Elephantini toga & torqve induti. Infrà:* Ant. Meibus f.

In posticô:

MAGNANIMI PRETIUM. *Ornamenta Ordinis Elephantini à cœlo irradiata.*

Ut non solùm consveta antiqvissimo & nobilissimo Ordini Elephantino reverentia servetur, qvam inde à Rege Daniæ Canuto VI obtinuisse fertur, sed & major illi indies accrescat fulgor, Monarchæ nostro clementissimè placuit Ordinis hujus majorem suscipere curam, Leges & statuta ejus summâ cum diligentiâ revisa & aucta promulgando, qvorum vi Festum Congregationis in Dei Ordinisq; gloriam in sacello, qvod Fridericiburgi est, qvovis anno, tertio posthac Pentecostes die, celebrandum voluit, qvod anno 1694 die 5 Julii magnâ gloriâ peractum est. In Ordinem hunc adsciti fuerunt postridie Principes Germaniæ Serenissimi & Celsissimi, Dn: *Fridericus* Gothâ-Saxonicus, Dn: *Everhardus Ludovicus* Wirtembergâ-Stutgardus, Dn: *Ernestus Ludovicus* Hassiâ-Darmstadtensis, Dn: *Philippus* Hassiâ-Cassellanus, Dn: *Fridericus Ludovicus* Holsato-Beckensis & Dn: *Leopoldus Everhardus* Wirtembergâ-Mumpelgartensis, qvorum Legati, ritu solenni Ordinis ornamenta splendidissima ante solium ad pedes Regis provoluti summâ cum reverentiâ accepêre. Ordo certè est, qvo Principes coronisq; fulgentia capita ad fiduciam concordem, amicitiamq; sinceram mutuò inter sese obligantur, in qvorum sodalitium Ordinis Dominus non nisi viros illustrissimos, qvorum ingentia gloriosaq; facta honorem hunc provocarunt, admittit. In cujus rei susceptam curam memoriamq; numus hic ita percussus Nobilissimi hujus Ordinis Sodalibus á Rege munificentissimo, Ordinis Domino, distributus est.

65. CHRISTIANUS V. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Effigies Regis togam & torqvem Ordinis Elephantini induti.*

In adversâ:

TESSERA FIDELIUM. *Manus nube exerta ornamenta Ordinis Dannebrogici tenet, super globum terrestrem.*

Percussum itidem Numisma in Ordinis Dannebrogici instaurationem & celebrationem, qvæ diem natalem Augusti nostri illustrat. Ordo est celeberrimus, qvi à gloriosæ memoriæ Rege Daniæ *Waldemaro II* institutus censetur, ad virtutem eorum compensandam, qvi expeditione Livonica hostilem impetum impigrè exceperant, victoriamq; Regi & sibi asseruerant, occasione de cœlo lapsi vexilli, postea Dannebrog vocati (i. e. Danorum Palladii, *ut P. Resen sentit in præf. Legg. Waldemari II.*) Temporum verò vetustate oblivioni penitùs traditum pristinæ dignitati & gloriæ restituere, atqve in uberius ornamentum certos eidem addere articulos Monarchæ nostro invictissimo placuit. Unde anno 1671. d. 12. Octobris (postqvam Divinum Numen Regem primogenito pridie beasset) ejus rei initia publica clementissimè

 fieri

TAB: XXXV. fieri curavit, cùm Hafniæ in arce Rosenburgi 18 viros nobiles tesserâ hac fidelium dignaretur.

N°. 66. DIE EDLE BLUME LENCKT SICH NACH DEM HIMMEL HIN.

Sol super solisequam splendens, apud quam cor alatum cum nomine Serenissimæ Reginæ Charlottæ Amaliæ.

DEM LANDE WIRD GESCHENCKT DER SEEGEN ZUM GEWIN. *Exerta è nube manus flores aliaq; è cornucopia effundens.*

67. DES HIMMELS KRAFT DEN WACHSTHUM SCHAFT FRIEDENREICH. *Palma ad mare sive flumen navigabile.*

UND LOCKT DIE FAHRT; RECHT NACH DER ART, DOCH HELDEN GLEICH. *Evolantes ad solem duæ aquilæ.*

TAB: XXXVI.

SIGILLA REGIS AUREA.

No. 1. SIGILLUM REGIS MAGNUM.

Antica facies Regem CHRISTIANUM QUINTUM Regiis ornamentis instructum & solio Regio insidentem repræsentat, cujus frontispicio inscriptum Symbolum Regium PIETATE ET JUSTITIA.

TAB: XXXVII. *Postica verò sigilli facies integra regnorum & quæ eò pertinent Provinciarum insignia, torquibus utriusq; Ordinis Regii cincta, exhibet.*

No. 2. *Insignia* Regnorum *integra, fasciâ & torque elephantino cincta.*

Ab alterâ parte:

MAGNUM SIGILLUM NOBILISS. ORDINIS ELEPHANTINI.

Elephas turritus gemmisq; distinctus, cui Æthiops manu sagittam tenens insidet, cum symbolo Ordinis suprascripto:

MAGNANIMI PRETIUM.

3. *Insignia regnorum plena, fasciâ & torque Dannebrogicô circumdata.*

Ex alterâ parte:

Character Nominis Regii coronatus inter ramos lauri & palmæ. Ad oram sigilli: RESTITUTOR ORDINIS DANNEBROGICI. *In medio Crux gemmis distincta & stellata cum symbolo Ordinis* FIDELIUM TESSERA.

Sigillum est Ordinis Dannebrogici.

4. CHRISTIANUS V. D. G. REX DANIÆ NORV. V. G. D. SL. H. ST. D. C. OLD. & DEL.

Insignia regnorum, trinis tormentis bellicis & Ordine Elephantino exornata.

Est sigillum Regis militare.

DANIÆ NORVEGIÆQVE REGUM

Et

EPISCOPORUM,

Qvi sub iis sederunt,

NUMISMATA

Ex argento & viliori materiâ, ante Familiam Oldenburgicam.

CLASSIS I,

In cujus numis figuræ qvædam rudes, vel absq; ullâ inscriptione, vel cum literâ unâ aut paucis exstant.

No. 1. *Moneta tenuis ærea, â parte alterâ habens* ROTULAM;
Ab alterâ figuram talem: ⁂.

2. COLUMNA *inter duo puncta.*
ANCHORA.

3. STELLA.
A posticâ facie CRUX.

4. COLUMNA *inter punctum & lunulam.*
ANCHORA.

5. ROTULA *cum variis circellis in circumferentia.*
Crux talis: ✝.

6. *Numus cum figura tali ab antica parte:* B.
A postica cum cruce gemina: ǂ.

7. PEDUM *seu lituus Episcopalis inter duas cruces.*
In postico Latere figura talis: ⊹.

8. CRUX.
LILIUM *cum punctis in circumferentia.*

9. CALIX *inter duo puncta.*
Figura talis in postico: ⋈.

10. CRUX *cum qvatuor punctis.*
STELLA *cum punctis.*

11. *Figura* FIBULAM *referens.*
Duæ LUNULÆ *& duo* SOLES *invicem sibi oppositi.*

12. COR *cum stella in medio:*
Figura talis: ✠.

13. Pe-

13. PEDUM *Episcopale geminum transversim positum.*

Figura talis: ⊹⊨.

14. CAPUT *mitra Episcopali ornatum, pedum Episcopale & scala.*

Segmenta lignorum in postico.

15. GLADIUS *inter duas Lunulas & 4 soles.*

Figura craticulæ similis: ⊟.

16. GLADIUS *inter duas Literas* R. & X.

CALCAR *inter duas turres.*

17. CRUX *cum qvatuor Lunulis.*

Duæ STELLÆ, *inter qvas Literæ* REX.

Numos hos similesq; *Mulenius* nostras, vir in re numariâ versatissimus, inter vernaculos & â Christianis cusos enumerat, utpote stellâ cruceq; incisos, et qvò pauciores eorum existunt, eò antiqviores eos censet.

18. REX *ad umbilicum usq; exstans cum sceptro crucigero, & à latere litera W, qvæ Waldemarum I. indigitat.*

In adversa numi facie:

Icon mitrata cum lituo & clave, qvæ Absalonem Hvide indigitat, Episcopum Röeskildensem sub Waldemaro I. Anno 1157. & Archiepiscopum Lundensem Anno 1178 in expeditionibus Vandalicis Heroem fortissimum.

19. Numus literâ S. insignitus.

In postico:

CRUX.

Numus Simonis qvi erat Episcopus Othiniensis sextus sub Valdemaro I & Canuto V, mortuus Anno 1189, Patronus fratrum S. *Canuti.*

20. *Qvatuor enses in figura crucis cum Literis:* O REX.

In postico Lituus & clavis inter literas. I. A.

Johan. Mulenius numis. Dan. Class. 2. Literis O REX putat *Olaum* Regem *Margaretæ* Reginæ Regnatricis Daniæ filium significari & literis I A, ut ille in postico legit, *Janum Andreæ*, qvi 29 Episcopus Roeskildensis anno 1417 electus sub Rege *Erico Pomerano* sedit. Alii in adversa numi facie I. M. exstare rectius putant: Nomen enim erit *Johannis Michäelis* 22 Episcopi Ripensis, qvi sub Rege *Olao* & *Margaretâ* ejus matre anno 1377 sedit. Vir dives, qvi 3000 selibras puri argenti regno mutuò dare valuit. *Chron. Episco. Huitfeld. p. 27.* Inde qvoq; potestate cudendi monetam fortè donatus.

21. *Lituus inter duas Literas. N. I.*

Corona cum quadrangulo.

Monetam *Nicolai Jacobi*, qvi 27 Episcopus Röeskildensis, sedens sub Margaretâ Reginâ, mortuus est anno 1395, *Mulenius* qvoq; esse existimat. *Numism. Dan. Class. eâdem.*

CLASSIS II,

Cujus numi nominum propriorum integras habent inscriptiones & figuras.

✝. CNUT

No. 1. †. CNVT REX. *Icon Regis diademati ſceptrum dextrâ tenentis.*

In poſticô:

† I. AND. FER. † MONET. O. *Erit fortè monetarii nomen. Crux in medio numi.*

2. †. CNVT RECX. *Icon Regis diademati & ſceptro exornati.*

† BL. ACANANON SI. *Sunt literæ vetuſtate ferè exeſæ. Crux in medio.*

3. † CNVT. REX ANG. *Effigies Regis diademate fulgentis, & dextrâ ſceptrum tenentis.*

†. ASVΛ. MOLINCOLN. *Crux.*

Eſt Cnutus II ſeu Magnus, filius Regis Svenonis admorſæ ſeu furcatæ barbæ, in Daniâ, Angliâ, Norvegiâ & Eſthoniâ, initio ſeculi undecimi regnans, qvem *Scholion Sorenſe* in margine hiſtoriæ Eccleſiaſticæ *Adami Bremenſis edit: Andr. Velleji cap. 36. lib.* 2, abjecto nomine gentilitatis Cnut, in baptiſmo Lambricti nomen accepiſſe refert ex Libro Fraternitatis ſuæ. Ex officinâ monetariâ Angliæ numi hi purè argentei eſſe creduntur, cùm & Cnutus in numo tertio Anglorum Rex inſcribatur. Cœtera verò regna tum ſuos habuiſſe monetarios nulli dubitamus, qvamvis tempore *Canuti III* ſeu Sancti, qvi anno 1080 regnavit, numiſmatis Regii mentionem *Saxo Grammat: hiſt. Dan. lib.* 12. *pag.* 216 primùm injecerit. *Qvartam enim Regii numiſmatis portionem Antiſtiti ædis Laurentianæ*, qvæ Lundini Scaniæ eſt, *perpetuo jure conceſſiſſe* Rex ille pius dicitur. *Sunt qvoq;*, inqvit *Saxo lib.* 2. *pag.* 30. *qvi aſſerant, Yrſam* (Atisli Regis Sveciæ tunc Reginam) *retentis pecuniis æs auro oblitum fugæ ſuæ veſtigiis inſtraviſſe*, qvod annales Norvegici & Islandici 500 ferè Annis poſt Chriſtum natum ſub Rege Daniæ *Rolvone Kraka* accidiſſe computant.

4. KETIL. *Epiſcopus mitrâ inſignitus cum pedo crucifero.*

† VVIBERGA. *Crux.*

S. Ketilli, Wiburgenſis Epiſcopi, numus eſt, qvi in annalibus noſtris Kilianus appellatur. Sedit Wiburgi Cimbriæ, vel, ut vocabatur olim, Wibergæ, ſub Regibus Daniæ, Erico Emundo, Erico Agno, Canuto V & Suenone Graatehede. Hujus diœceſis Epiſcopus qvartus numeratur, qvem *Joh. Adolph. Cypræus* tantū Sacerdotem, Confeſſorem & Martyrem ex *Breviario Sleſvicenſi* nominat *in hiſt. Eccle. Sleſv. pag.* 182. 183. *M. S. Legenda Sanct. Regn. Daciæ* Præpoſitum eum vocant. Natus apud Cimbros in confinio Randershuſii & villâ Wynghe è proſapiâ nobilium, qvi Kander i. e. Canthari poſtea nuncupabantur. Pater ejus Olaus, & frater Ericus interfector Regis Svenonis *Graatehede*, qvi cæſus eſt anno 1157 in campo Graatehede, inter pontem Weirumbenſem & Wiburgum ſito. Exinde & ipſi Suenoni agnomen inditum. Ketillus hic per martyrium occubuit anno 1151. Kal. Octobris; Ob miracula edita, de qvibus liber conſcriptus eſt, à Clemente III Pontifice Romano in Divos apotheoſi nova relatus. Ejus qvoq; memor eſt *Joh. Iſac. Pontani. Rer. Dan. hiſt. lib. 6. pag.* 281.

5. VALDEMARUS. I. I.

REX DANORUM. *Crux talis.* ✠

No. 6. VALDEMAR. RE. † *Medium numi habet* DAN.

†. NICHOLA⁹ EPC. *In medio* ℞.

Numi ſunt, qvi ex terra propè firmisſimum munimentum Rendesburgum, Romani Imperii terminum, eruti ſunt, & cùm ampliùs extenderetur, ac à Rege noſtro Potentisſimo, Chriſtiano Qvinto, luſtraretur, anno 1694 oblati. Sunt argentei & eximiæ raritatis, qvos *Nicolaus Stygoti* Epiſcopus Roeskildenſis ſub *Valdemaro II* anno 1226 electus cudi fecit, qvod EPC. & ℞ in numis his indicant. Alterius cujusdem *Valdemari* hos non eſſe, ex eo patet, qvòd Epiſcopus nullus nominis ejusdem ſub qvoqvam Rege *Valdemaro* Róeskildiæ ſederit, niſi ſub *Valdemaro II*, qvi ab anno 1203 usq; ad an. 1241 regnavit.

7. SVERUS MAGNUS REX. *Regis icon, eam præ ſe ferens gravitatem, qvam chronica Norvegica deprædicant.*

In adverſâ:

NI. NI. NI. NI. *Inter extrema crucis exſtant hæ ſyllabæ.*

Regis Norvegiæ Sueri ſive Suereris, qvi Sigurdi filius dicitur, numus eſt argenteus, oppidò ſingularis. Magni nomen aſſumſiſſe inſcriptio hujus numi tradit, an verò à proavo aut aliunde præter *Saxonem Grammaticum lib. 12. pag. m. 348.* nemo prodidit. Conſtat tamen ex *Knytlingaſaga* M. S. Svenonem Daniæ Regem, qvi Eſtrithæ filius fuit, Magni nomen in baptiſmo qvoq; conſecutum, nomenq; idem imitatores ejus alios retinuiſſe. Deceſſit Rex Suerus annos natus 51, anno Chriſti 1202. NI. verò in poſticâ numi facie, qvater repetitum, Nidroſiam ſeu potius Nidroſienſes indigitare plurimi cenſent, qvorum conſtans in Regem Suerum fides extitit. Qvater enim ope illorum de Anti-Rege Magno Erlingi filio ad urbem Nidroſiam victorias reportavit, qvemadmodum & *Snorro Sturleſonius* victorias has *Chron. Norveg.* 504, 507, 509 & 510. enarrat. Rex certè magnus qvoq; ob virtutes victoriasq; ingentes fuit. *Gulielmus Neubrigenſis lib. 3. cap. 6. de rebus Angl.* titulum ſigilli ejus hunc fuiſſe aſſerit:

Suerus Rex Magnus, ferus ut leo, mitis ut agnus.

8. ERICUS REX. *Caput coronâ inſignitum.*

NICOLAUS *Caput mitrâ Epiſcopali exornatum.*

Numiſma ex argento puro, tempore Regis Erici V cuſum eſſe videtur, cujus agnomen Plougpenning i. e. Denarii rhedalis vel aratri, eò qvòd ex qvovis aratro cenſum exigeret. Regnare cœpit anno 1242. In trajectu breviſſimo fluminis Sliæ, Zum Sunde dicto, à Lagone Gudmundo Anno 1250 qvinto Idus Auguſti, veſperâ Sti. Laurentii interempus, & deinde Apotheoſi in Divos relatus ac tali honoratus eſt epicedio: *Hîc jacet Ericus Rex, magni Regis amicus.* Sub ejus regimine dictus Nicolaus Stygoti ſedit, qvi decimus ſextus fuit Epiſcopus Roeskildenſis, ab alterâ numi facie exſtans, Exul mortuus eſt Clarævalli anno 1239, *Huitfeldio* in *Chron. part. 2. fol. m. 213.* memorante.

9. ABEL REX. *Roſa.*

DANORUM. *Stella cum tribus lunulis.*

Frater eſt *Erici* Plougpenning et filius *Valdemari II*, qvi regnavit anno 1250 usq; ad annum 1252.

10. ABEL REX.

In postico:

Stella & crux inter duo peda episcopalia.

11. ABEL REX *cum trigono, in qvo* D.

Ex alterâ parte:

Crux cum qvatuor lunulis inter extrema crucis.

12. CHRISTOFORUS.

In altero latere qvatuor cruces. ✠.

13. CHRISTOFORUS. *Corona.*

REX DANORUM. *Crux.*

Qvisqvis inter hos prædictos Christoforus I. fuerit, filius *Waldemari II*, qvi regnavit anno 1253 nec Mulenio nostro in re numaria patria sagacissimo nec aliis divinare hactenus licuit.

14. ERICUS REX. *Lilium.*

†. DANORUM. *Corona.*

Elegans ejus temporis numus est *Petri Pagh*, qvi Episcopus Otthoniensis decimus sextus anno 1301 sub Rege Erico *Menvedio* electus fuit, cui carus admodum extitit. Lilium in anticâ numi parte testimonium rei luculentum præbet, qvod lilium insignibus propriis insertum gestasse Chronica Arnoldi Huitfeld. pag. 40. referant. Primus qvoq; is fuit, qvi imaginem Regis St: Canuti sigillo officii insculpi curavit cum voto hoc:

Rex Canute Dei, qvæso memento mei.

15. VALDEMARUS. *In medio numi* $\overset{\text{I.}}{\text{I I}}$.

REX DANORU. *Crux.*

Sunt qvi numum hunc *Valdemari* esse existimant, filii Regis *Valdemari II*, cùm chronologia *Suaningii pag. 81.* &c: eum *Valdemarum III* nuncupet, qvi memorante *Joh. Meursio hist. Valdemar. II pag. 16. 21.* regno pridem inauguratus, insuper coronâ â patre solennitate summâ Slesvici anno 1218. d. 24. Junii ornatus est, & cum patre regnans, vulnere ad silvam *Rödsnesam* Sælandiæ inflicto 4. Kalend. Decembris anno 1231 exspirasse fertur. Qvoniam verò in fata concesserat *Valdemarus* hic ante patrem ad gubernacula sedentem, numos illius in usu vix fuisse credimus.

Numus itaq; erit Patris Reginæ Regnatricis Margaretæ, *Waldemari IV*, qvi aliàs Tertius numeratur. Qvamvis numerus, qvem in anticâ numi parte exstare qvidam sentiunt, id non tam evincat qvàm typi elegantia. Ex numo enim Regis Olai, Margaretæ filii, seqvente satis clarè id qvoq; dispalescit.

16. †. VALDEMARUS. *In medio numi: II.*

†. REX DANORUM. *Crux talis.*

17. VALDEMARUS. *Numi medium habet. II.*

†. REX DANORUM. *Crux eadem.*

Numus uterq; *Valdemari III.* esse censetur. Typorum qvippe artificium antiqvius temporibus illis non admittitur nec duæ istæ colunæ sive numerus binarius I. I. aliud demonstrant, cùm Reges suis olim non addiderint nominibus numerale illud ordinale (ut Grammatici loqvuntur) in numis aut diplomatibus.

18. †. VALDEMARUS. *In medio exſtare videtur litera* O, *forſan Valdemari hujus ſucceſſorem Olaum Margaretæ filium indicans, qvippe* O *in numis Regis Olai nomen ejusdem indicat.*

In poſtico:

REX DANORUM. *Crux eadem. Numus ex foſſâ Rendesburgi itidem erutus.*

19. O. REX. *Circa crucem, ex qvatuor gladiis confectam, literæ iſtæ ſeparatim exſtant.*

In poſtico:

DANORUM. *Medium numi I. I. repræſentat.*

Licet numerum binarium numus exhibeat, Rex tamen Daniæ ejus nominis qvintus extitit. Regnavit cum Matre Margaretâ undecim ferè annos, & mortuus eſt anno 1387. Potius ergò numerus binarius in adverſa parte pretium numi eſſe videtur, qvemadmodum in numis Regis Valdemari jam memorati. Mulctam duarum Orarum, qvæ denarii dicuntur, leges Siælandicas *Valdemari I.* & Cimbricas *Valdemari II.* habere *Chriſt. Oſterſonius Gloſſar. Juridico-Dan. pag. 605* refert, qvarum duæ qvinq; ſolidos jam noſtrates æqvant.

Per literas verò. I. A. ad pedum epiſcopale & clavem in numo Regis Olai ejusdem ſub num. 19. claſſis prioris poſito rectiùs intelligi Jonam Asloenſem Epiſcopum exiſtimamus, qvi anno 1378 electus fuit, ſecundo nempe poſtqvam Olaus Regno Danico inauguratus fuit, anteqvam Olaus Patri Haqvino in regnum Norvegiæ ſucceſſit.

20. ERICUS REX. D. S. N. *Corona*.

MONETA LUNDENS. *Crux.*

Numus Lundini Scaniæ cuſus.

21. ERICUS REX. D. S. N. *Corona*.

MONETA NESTWED. *Crux.*

Utrumq; numiſma *Erici X. Pomerani* eſſe cenſetur, qvi anno 1413 Daniæ, Sueciæ & Norvegiæ Rex fuit, qvemadmodum literæ D. S. N. indicant, Pronepos *Valdemari III.* ex filiâ *Ingeburge*, Reginæ Daniæ *Margaretæ* ſorore.

22. CHRISTOP. REX. D. S. N. *Litera R cum corona, fortè Rex coronatus.*

MONETA MALMOIENS. *Crux.*

CHRISTOFER REX. D. S. N. *Crux.*

MONETA MALMOIENS.

Hic *Chriſtophorus* eſt Dux Bavarus Palatinus Rheni, qvi regnavit anno 1439, *Valdemari III* itidem ex filiâ *Ingeburge* abnepos, prognatus ex *Sophia* Regis *Erici Pomerani* ſorore germanâ, nepte Reginæ *Margaretæ.* Rex qvoq; Daniæ, Sueciæ & Norvegiæ ſecundùm literas initiales. D. S. N. hic inſcribitur.

Hæc ſunt numiſmata patria, qvotqvot ex antiqviſſimis typis in Muſéo Regio exſtant. Paucitatis & exilitatis cauſam *Joh: Mulenius* in præfatione numiſm. Dan. hanc affert: *Sub primis Danorum Regibus nullus aut exiguus numorum uſus fuit, nam merces cum mercibus commutabant* (qvemadmodum apud Islandos adhuc in more poſitum eſt) *ideò*

numos

numos non cuderunt, nisi minutulos & usuales ex ære ad res minoris pretii comparandos, aut ad summam pretii in rebus permutatis supplendam & coæqvandam utiles; de aureâ & argenteâ moneta non multùm soliciti. Qvibus addimus, Septentrionales aurum argentumq; suum, qvorum copiam stupendam Regibus Danorum semper exstitisse historiæ nostræ passim tradunt, tantùm ad certum pondus examinasse. Inter populos Sclavinos morem hunc adhuc anno 1110 viguisse *Helmoldus* subindicat *l. 1. cap. 38. Chron. Sclavor. De* Rugianis Ethnicis enim ab Henrico Sclavorum Duce subactis, qvi pacem 4400 marcis vel selibris adepti sunt, seqventia refert. *Apud Ranos non habetur moneta, nec est in comparandis rebus consuetudo numorum, sed qvicqvid in foro mercari volueris, panno lineo comparabis. Aurum & argentum, qvod forte per rapinas & captiones hominum vel undecunq; adepti sunt aut uxorum suarum cultibus impendunt aut in ærarium Dei sui conferunt. Posuit ergò iis Henricus in appensione stateram gravissimi ponderis, & qvicqvid in privatis suis auri vel argenti habuerant, vix medietatem pecuniæ persolverunt, puta staterâ delusi.* Et qvamvis *Spelmannus in Archæolog. pag. 242* Denarium Sterlingum Germanis Daniæ vicinis (qvos ab Orientali situ *Esterlings* appellatos narrat) deduxerit, rectiùs denarium illum libramq; Sterlingorum ab ipsis Danis derivamus, qvos unà cum Norvegis verè *Esterlingos* sive *Ostmannos Waræus in antiqvitat. Hybernicis* sæpius appellat & disertis verbis cap. 25. asserit, *Ostmannos* numos argenteos, Hyberniam anno 937 occupantes, cudisse, qvorum ectypon ibidem monstrat. Imò Cambdenus qvoq; populos eosdem *Austmannos* appellatos vult. Librâ hac Anglos Danis deinde anno 991. tributum suum *Danegeldum* solvisse *Spelmannus* ipse pag. 200 & annales utriusq; gentis abundè ulterius evincunt. Ejusdem verò ponderis monetâ antea nullibi exstante, qvemadmodum nec hodie, temporum tractu libra hæc suis æstimari cæpit solidis & denariis Sterlingis. Unde numi sunt minutuli, qvibus *Esterlingos* sive *Ostmannos*, *Angliam qvoq; occupantes, artem purgandi argenti, etiam flandi & feriendi, celebrem reddidisse nomenq; ipsorum facto deinceps reliqvisse* ex eodem *Spelmanno pag. 242.* manifestum est. Vix ergò majores numos patrios in usu olim fuisse statuimus. Seclis istis tandem ita exactis sub Regibus nostris è Domo Oldenburgicâ eximiè adeò res monetaria crevit & numi majoris accuratiorisq; typi exstiterunt, ut monetas vicinorum admodùm superent, qvod ex præcedentibus aureis & seqventibus argenteis clare evidenterq; dignoscitur.

NUMI
REGUM
FAMILIÆ OLDENBURGICÆ
Ex argento aliaq; materiâ.

CHRISTIANI PRIMI

Numulus truncatus, in latere utroq; insignia Domûs Oldenburgicæ cum impositâ coronâ habens, qvem *Mulenius* ser. 1. *numis. Dan. Class. 3.* inter numulos Regis *Christierni I.* recenset,

JOHANNIS REGIS.

1. JOHS. DEI. GRA. REX. DACIE. *Insignia Oldenburgica.*
MONETA NOVA MALMOJENSIS. *Tres Leones.*

2. JOHS. DEI. GRA. REX. DACIE. *Insignia Oldenburgica.*
MONETA NOVA HAFNIENSIS. *Tres Leones.*

3. JOHS. DEI. G. REX. DACIE. *Insignia Oldenburgica.*
MONETA NOVA ALBORGEN. *Tres Leones.*

4. JOHANES. D. G. REX NOR. *Insignia Norveg.*
MON. NOV. BERGEN. *Leo cum bipenni.*

CHRISTIANI SECUNDI.

1. *Numus truncatus, Danicè* Klipping / *cujus ab anticâ parte Regis effigies apparet.*

A posticâ: *Tres Leones.*

2. CHRISTIERN. DE. GR. RRX. DACIE. *Effigies Regis cum insignibus Oldenburg.*
MONETA NO. MALMOG. 1515. *Tres Leones.*

3. CHRISTIERN. DE. GR. REX DACIE. *Effigies Regis integra.*
MONETA NOVA MALMOE. *Insignia Daniæ.*

4. CHRISTIERNUS DEI. GRA. REX DACIE SUECIE. NORVE. *Imago Regis solio insidentis.*
XPS. IHS. ELEGIT ME REGEM POPULO SUO 1523. *Integra regnorum insignia.*

5. CHRISTIERNUS DEI GRA. REX DACIE.
MONETA NOVA MALMOE 1525.

6. CHRISTIEN. D. GR. REX DACI. *Effigies Regis.*
MONETA NOVA MALMOE. *Tres Leones.*

Numus est valdè singularis, qvem 24 Annos Mulenius, vir in conqvirendis numis patriis studiosissimus, se ambivisse fatetur. *Class.* 3. *ser.* 2. *num.* 15. *Numism. Dan.*

7. CHRIST. D. GR. REX NORVEG. *Insignia Oldenb.*
MONETA NO. ARGENT. ASLOENS. 31. *Leo cum bipenni.*

8. *Numus argenteus cum C. coronato.*

Ex alterâ parte:

Insignia Norvegiæ & æra Christiana. 31.

Numi videntur ultimi, qvos Rex *Christianus* II. ex Hollandiâ ad occupandum Norvegiæ Regnum classe bellicâ Asloæ anno 1531 mense Novembris advectus ante captivitatem suam cudi jusserat, fortè ex argen-

argento censuali, qvod tunc temporis Norvegos sponte Regi dedisse annalium monumenta tradunt.

N°. 9. CHRISTIERNUS D. G. REX. DA. SVE. Z. NO. *Rex solio insidens.*

CHRISTOPHORUS COMES OLDENB. *Insignia Domûs Oldenburg.*

Comitis Christophori Oldenburgici numus est, cusus in memoriam homagii Malmogiæ anno 1534 nomine Regis *Christiani II* ei præstiti, de qvo vide pag. 71. & 72.

10. MO. CHRISTIERNI DAN. SUE. NOR. REGIS. *Tres Leones.* 35.

IMMERITI CARCERIS APUD HOLSA. *Effigies Regis.*

Numus qvoq; Comitis ejusdem Christophori esse censetur, qvi propugnator strenuus Regis Captivi Christierni II extitit, ob immeritam Regis in carcere Synderburgensi Alsiæ detentionem anno 1535 ita percussus, fortassis ex argento censuali, qvod anno eodem, die Fabiani & Sebastiani, Ringstadii in communi foro â subditis Selandiæ exegit, militiq; suo in mercedem distribuit.

11. CHRISTIERNUS HERES NORVEG.

MONETA NOVA ASLOENS. 1535.

Est numus, qvo subditi Aslöenses confessi sunt, Regnum Norvegicum esse hæreditarium *Christierni II.*

12. S. OLAUS R. NORVEGIÆ. *Effigies Regis cum bipenni.*

In posticô:

ERICUS DEI GRA. ARCEPS. NIDSEN. *Insignia familiæ Valkendorfianæ, tres alæ scilicet cum rosâ.*

Numus est Magistri Erici Valkendorffii, Apostolicæ sedis legati & Archiepiscopi Nidrosiensis, qvi antea Præpositus Röeskildensis & Cancellarius Principis, postea Regis, *Christierni II,* electus erat 1512. Numisma, qvo cineres Sti. Olai, qvem Nidrosienses Patronum venerati sunt, in memoriam revocari voluit. Sedit sub Regibus Daniæ *Iohanne I* & *Christiano II,* & exul Romæ mortuus est anno 1521.

13. SANCTUS OLAUS REX NORVEG. *Duæ secures cum Cruce.*

Ab altera numi facie:

OLAUS DEI GRA. ARCEP. NIDSEN. *Insignia Archiepiscopi, tria nempe lilia, qvæ Lungorum sunt.*

Nidrosiensis Archiepiscopi Olai Engelberti è Prosapiâ Lungorum, qvorum Antesignanus à *Christierno I* nobilitatus est, numisma. Electus est anno 1523. Sed tempore religionis repurgatæ, ob fidem sublestam in exilium actus Liræ in Frisiâ Orientali anno 1538 obiit.

FRIDERICI PRIMI.

1. FRIDERICUS. ELECTUS. REX. DAC. *Imago regia.*

DEO. DUC. MILITE. TRIUMPHANT. 23. *Tres Leones.*

Numus hic anno 1523. cusus est, qvo Rex Fridericus I rerum in Daniâ potitus est; Hafniâ & Malmogiâ conditione æqvâ potestati illius subjectis.

FRE-

No. 2. FREDERICUS REX DACI. *Insignia Oldenburgica*.

Moneta Nova Malmoens. *Tres Leones. 24.*

Hic aliive numi præcedentes, qvi *Malmoenses*, *Malmojenses* & *Malmogienses* inscribuntur, ex officinâ monetariâ civitatis *Malmoœ* sive *Malmogiæ* existunt, anno 1319 ex tractu superiore in eum, qvo hodie in Scania ad mare sita est, locum translatæ & anno 1360 immunitatibus amplioribus munitæ. Primi, qvos officinam hanc protulisse vidimus, tempore Christophori Bavari Regis Daniæ, Sueciæ & Norvegiæ cusi reperiuntur.

3. FREDERICUS D. G. REX DA. *Insignia Oldenb. 24.*

Moneta Nova Kophagens. *Tres Leones.*

Numus est civitatis Hafniensis, qvæ *Saxoni Grammatico* lib. 14. *Mercatorum Portus* passim appellatur, qvemadmodum in numo hoc *Kophagen.* Ob commerciorum itaq; opportunitatem immunitates primas ab Episcopo Róeskildensi *Jacobo Orlando* 1254 obtinuit. Præsulum inde Róeskildensium jure clientelari exemptæ & privilegiis a Rege *Erico Glippingo* 1284 donatæ Rex *Ericus Menvedius* anno 1319 Præfectum constituit, qvi jura ibi regia curaret. Tandem Regi Christophoro *Bavaro* urbs hæc, ut sedes regia, anno 1443 simul cum jurisdictione apud Episcopos remanente penitùs cessit, & numisma regium, qvod *Valdemari I.* tempore Róeskildiæ administratum *Saxoni* nostro lib. 14. pag. 281 dicitur, sic forsan Hafniam qvoq; translatum.

4. *Idem ejusdem typi, 1525 percussus.*

5. FREDERICUS REX DACI. *1524. Insignia Oldenburgica*.

Moneta Nova Ripensis. *Tres Leones.*

Numus hic ex officinâ monetaria antiqvissima prodiit, qvæ *Ripis Cimbrorum Phundusiorum* fuit. Monetas ibidem sub Rege *Christophoro II* anno 1326 cusas fuisse, ex literis donativis *Valdemari Erici* filii patet, memorante *Huitfeldio, Chron. Dan. part. 3. fol. m. 434.* Imò officinam monetariam Ripis anno 1269 exstitisse, jura & decreta Regis *Erici Glippingi*, civibus Ripensibus concessa § 19. haud obscurè subindicant.

6. FRIDERIC. D. G. REX. DACI. *Insignia Oldenburg.*

Mone. Nova Rotenbi. 1525. *Tres Leones.*

Numus in urbe *Rothneby* Blekingiæ percussus, qvæ proxima est Scaniæ provincia, Danis à Svecis anno 1524 jure reddita, anno nempe præcedente anteqvam numus inibi signatus fuit.

7. FREDERIC. D. G. REX DACIE. *Insignia Oldenburgica*

Moneta No. Malm. *25. Tres Leones.*

8. FREDERIC. D. G. DUX. HOLSACIE. *Effigies Regis cum folio urticæ.*

Moneta Nova Slesvicensis. *Duo Leones. Insignia Slesvici. 26.*

Si

Si fides annalibus Angliæ antiqvis adhibenda esset, qvòd à Germanis Daniæ vicinis ars purgandi, flandi & feriendi argenti in Angliam primùm pervenerit, monetam sanè Slesvicensem septentrionalibus aliis antiqviorem assereremus: In confesso qvippe est Slesvicum Anglo-Saxonum urbem, *Hetheby* olim dictam, Danis proximam fuisse & Danorum imperio subjectam.

No. 9. FREDRICUS. DEI. GRA. REX. NORV. *Insignia Oldenb.*

Moneta Nova Anslojensis: 26. *Leo cum bipenni.*

Numus in urbe Norvegiæ, qvæ olim *Asloa*, exteris *Ansloa*, nostratibus verò *Opslo* dicta, hodie Christiania, percussus, anno nempe 1526 qvo urbs hæc coronationi Regis Friderici I. designata erat. Hìc officina monetaria admodùm antiqva, ex qvâ prodiit numus Philippi, Jarli seu Ducis Norvegiæ, qvi floruit anno 1204. Postica numi pars habet: E. Asloensis. Suis etiam tempore Regis *Johannis I.* anno 1483 privilegiis gavisa est officina hæc, in cujus usum argenti fodinæ in eodem tractu indagatæ & studio indefesso Gloriosissimi Regis *Christiani Qvarti* feliciter anno 1623 inventæ sunt, qvæ officinæ huic penu perqvam fœcundum adhuc subministrant.

10. AGNE DEI MISERERE MEI. *Agnus Amalonicus, insigne Gothlandiæ*

Moneta Wisbeensis. *Insignia Severini Norbye. 26.*

Moneta percussa in Insulæ Gothlandiæ civitate celeberrimâ Wisby, qvæ, deletâ Vandalorum urbe Vinetâ, ita mercimoniis maris Balthici & confluxu variarum gentium crevit, ut anno 1158, septimo nempe Imperatoris Friderici Barbarossæ, jure municipali ab Henrico Leone Bavarorum & Saxonum Duce donata fuerit, iisdemq; immunitatibus, qvas emporiis variis Avus Henrici, Lotharius Imperator, concesserat, à *Valdemaro III* Rege Daniæ anno 1361 uberiùs deinde stabilita, qvi cudendæ monetæ jus, qvemadmodum id temporibus priscis usurpaverat, clementissimè permisit, Huitfeldio Chronic. Dan. part. 3. pag. 524 &. 525, memorante. Numus hic est singularis, anno 1526 cusus, postqvam Severinus Norby Daniæ Regis exulis *Christiani II* vindex strenuus, Gothlandiam Regi *Friderico I* concesserat, cujus tamen insignia gentilitia numus exhibet. Reperti qvoq; sunt ad urbem Wisby anno 1676 numismata variarum gentium, qvibus Museum Regium abundat, Qvædam illorum cava sunt, numis Henrici Leonis haud absimilia, leone insignita: Indicia certa urbem hanc qvondam omnium gentium commerciis celebratissimam & generale orientis totius emporium extitisse.

11. FREDERIC. D. G. DUX HOLSACIE. *Imago Regia cum folio urticæ.*

Moneta Nova Slesvicensis. *Insignia Holsatiæ. 27.*

12. FREDERICUS. D. G. REX DACI. *Insignia domus Oldenburg.*

Mo. Nov. Alborgen. 1528. *Tres Leones.*

Numus hic in oppido *Alburgo* signatus est, qvod ad sinum Lymicum Jutiæ Septentrionalis capturâ inprimis halecum inclaruit. Urbem hanc *Adamus Bremensis* in descriptione regionum borealium inter civitates Jutlandiæ maximas agnovit, cùm locum sortiatur, ubi brachia maris sinusq; occurrunt.

13. FREDERIC. D. G. REX DACIE. *Insignia Oldenb:*

Moneta No. Malm. 1528. *Tres Leones.*

14. FREDERICUS REX DACI. 1528. *Insignia Oldenb.*

Mon. Nov. Ripensis. *Tres Leones.*

15. FREDRIC. DEI. GRA. REX. NORVEG. *Leo cum bipenni.*

Mon. Nov. Bergen. *Tres Leones.*

Bergis numus hic cusus est, emporio Norvegiæ totius celeberrimo. Ejusdem typi, tempore Regis Erici Magni filii, qvi anno 1264 regnavit, cusi reperiuntur numi, qvorum parti adversæ incisum exstat † *Civitas Bergensis.*

16. FRIDERICUS. D.G. REX DANIE ET NOR. *Effigies coronati Regis.* 1532.

Mone. Nova Hafniensis. *Tres Leones.*

17. FRIDERICUS REX DACI. NOR. *Imago Regia.*

Moneta Nova Ripensis. *Insignia Regnorum.*

Numus argenteus magnitudinem Thaleri simplicis exæqvans.

18. FREDERICUS. D. G. REX. DA. Z. *Solio insidentis Regis effigies.*

Moneta nova Malmogensis. *Tres Leones.*

19. FREDERIC. D. G. REX. DAC. *Insignia Oldenb:*

Monet. Nov. Aelborg. *Tres Leones.*

20. FREDRIC. DEI. GRA. REX NOR. *Insigne Norvegiæ, Leo cum bipenni.*

Mon. Nov. Bergen. *Insignia Oldenb:*

21. FRIDERICUS. I. CHRIS. I. FI. D. G. *Regis mitrati & paludati Icon.*

DANNIÆ. NOR. VAN. GOT. &c: REX. DUX. S. H. S. D. CO. OLD. ET. DEL. *In medio:* Ao. COR. 1523. REGN. 10. OBIIT. 1533. ÆT. S. 73.

Numus valde elegans, singularis magnitudinis & summæ raritatis est, cineribus Regis piissimi consecratus.

CHRISTIANI TERTII

THALERI IMPERIALES.

1. CHRISTIANUS. D. G. REX. DANIE. ET. NORWE. *Imago Regia.*

Moneta. Nova. Regni. Danie. *Integra Regnorum Insignia* 37.

2. CHRISTIANUS. 3. D. G. DANIE. NORVEGIE. *Effigies Regis.*

Vandalorum. Gothorumqve Rex. 1546. *Leo cum bipenni.*

3. CHRISTIA. 3. D. G. REX. DANI. NOR. DUX. SL. *Imago Regia.* 1547.

Mo. Ducatu. Slesvice. Z. Holsa. *Integra Regnorum Insignia.*

MINO-

MINORES NUMI.

4. *Numus truncatus*, *Danice* Klipping. 35.

5. CHRISTIAN. D. G. REX. DACI. *Effigies Regis.*

Moneta Nova Regni Dacie. *Tres Leones.* 1535.

Numus inauratus

6. *Idem minoris typi non inauratus.* 1535.

7. CHRISTIANUS. D. G. ELECT. REX. DA. *Imago Regia.*

Moneta Nova Arhusiensi. *Tres Leones.* 35.

Prodiit numisma hoc ex civitate Harudum, qvæ hodie Arhusium dicta. Hoc qvippe circiter loco in Cimbricâ suâ Chersoneso *Charudes* seu *Harudes* Phundusiis conterminos agnovit qvondam Ptolomæus. Civitas est maritima, qvæ anno 1102 ex tractu superiori *Lysbergico* ad littus proximum translata fuit.

8. CHRISTIANUS D. G. ELECT. REX. D. *Imago Regia.*

Moneta Nova Roskildensi. *Tres Leones.* 35.

Moneta nova qvæ anno 1535 prodiit ex officinâ Rœskildiæ perqvam antiqvâ, cujus monetarius primus, qvi in annalibus nostris nominatur, fuit Magister *Johannes*, tempore Regis Christophori I. anno 1245 vivens.

9. CHRIST. D. G. ELECT. REX. DAC. *Effigies Regis.*

Moneta Nova Hafniensis. *Insignia Daniæ.* 35.

10. CHRISTIAN. D. G. REX. DANIE. ET. NO. *Imago Regia.*

Moneta Nova. Hafniensis. 36. *Insignia Daniæ & Norvegiæ cum cruce & literis.* C. R. D.

11. CHRISTIAN. D. G. REX. DANIÆ. ET. N. *Facies Regia.*

Moneta. Nova. Hafniensi. *Tres Leones.* 36.

12. CHRISTIAN. D. G. REX DANIE. ET. N. *Effigies Regis.*

Moneta Nova Ripensis. 36. *Insignia Daniæ & Norveg. cum literis.* C. R. D.

13. CHRISTIAN. DEI. GRA. REX. DANIE. ET. N. *Facies Regis.*

Moneta Nova Ripensis. *Tres Leones.* 36.

14. CHRISTIAN. DEI. GRA. REX. NORVE. *Leo cum bipenni.* 37.

Mone. Nova. Bergensis. *C. Coronatum.*

15. CHRISTIANUS. D. G. DANIE. *Tres Leones.*

Norve. Slavo. Gotorq; Rex. *8. Skillinck Danske* 1541.

16. CHRISTIANUS. 3. D. G. DANIE. *Tres Leones.*

Norvegie. Vanda. Goto. Q. Rex. *1 Skillinck Danske.* 42.

17. CHRISTIANUS. 3. D. G. DANIE. *Tres. Leones.*

Norve. Slavo. Gotor. Q. Rex. *8. Skillinck. Danske.* 1544.

18. CHRISTIANUS. D. G. DANIE. *Tres Leones.*

Norv. Slavo. Gotor. Q. Rex. *4. Skillinck Danske.* 1544.

19. CHRISTIANUS. 3. D. G. DANIE. *Tres Leones.*
Norvegie. Vanda. Goto. Q. Rex. *1. Skilling. Danske.* 44.

20. CHRISTIANUS. 3. D. G. DANIÆ NOR. *Leo coronatus cum bipenni.*
Vegie. Vanda. Gotorum Q. Rex. *1. Marck. Danske.* 1544.

21. CHRISTIANUS. 3. D. G, DANIE. ET NORVEGIÆ *Insignia.*
Danie. Nor. Vanda. Go. Q. Rex. *2. Skilling Danske* 45.

22. CHRISTIANUS. *3.* D. G. DANIE. *Tres Leones.*
Norvegie. Vanda. Goto. Q. Rex. *1. Skillinck Danske.* 45.

23. CHRISTIANUS. D. G. DANIE *Tres Leones.*
Norvegie. Slavo. Gothor. Q. Rex. *1. Marck. Danske.* 1546.

24. CHRISTIANUS. 3. D. G. DANIE. NOR. *Leo cum bipenni.*
Wegie. Vanda. Goto. Q. Rex. *1. Skillinck Danske.* 46.

25. 1. PENNING. 46. *Tres Leones.*

26. CHRISTIANUS. 3. D. G. DANIE *Tres Leones.*
Norvegie. Vanda. Goto. Q. Rex. *1. Skillinck. Danske.* 48.

27. CHRISTIANUS. 3. D. G. DANIE. *Tres Leones,*
Norvegie. Vanda. Goto. Q. Rex. *1. Skillinck Danske.* 49

28. CHRISTIANUS. 3. D. G. DANIE. *Tres Leones.*
Norvegie. Vanda. Goto. Q. Rex. *1. Skillinck. Danske.* 52.

29. CHRISTIANUS. 3. D. G. DANIE. *Insignia Daniæ.*
Norvegie. Slavo. Gotor. Q. Rex. 1. *Marck Danske.* 1554.

30. CHRISTIANUS. D. G. DANOR. REX. *Tres Leones.* 54.
Monet. No. Insulæ Gotlandt. *Agnus cum vexillo.*
Idem ejusdem, sed minoris paulò, typi.

31. CHRISTIANUS. 3. D. G. DANIE. *Tres Leones.*
Norvegie. Vanda. Goto. Q. Rex. *2. Skillinck Danske.*

32. CHRISTIANUS. 3. D. G. DANIE. *Tres Leones.*
Norvegie. Vanda. Goto. Q. Rex. *2. Skillinck Danske* 58.

33. CHRISTIANUS. D. G. DAN. REX. *Tres Leones.*
Mon. Insulæ. Gothl. *Agnus cum vexillo.*

FRIDERICI SECUNDI.

Unciales.

1. FRIDERICUS. 2. D. G. DANIE. *Tres Leones.*
Norvegie. Slavo. Gotor. Q. Rex. *3. Marck Danske.* 1560.

2. FRI-

2. FRIDERICUS. 2. D. G. DANIE. *Tres Leones.*

Norvegie. Slavo. Gotor. Q. Rex. *3. Marck Danske LXIII. Qvi numeri designant æram Christianam* 1563.

Alius ejusdem pretii.

3. FRIDERICUS. 2.D.G.DA.NOR.SLA.GOT. Q. REX: *Imago Regia.* 1572.

Deus Refugium Et fiducia Mea. *Integra Regnorum Insignia.*

4. IIII. MARCK 1564.

F. Coronatum. *Numus qvadratus.*

NUMI MINORIS PRETII.

1. II. MARCK. 1563.

F. Coronatum. *Est numus qvadratus.*

2. FRIDERICUS. 2. D. G. DANIE. *Tres Leones.*

Norvegie. Slavo. Gotor. Q. Rex. 1. *Marck. Danske.* 1560.

3. FRIDERICUS. 2. D. G. DANIE. *Tres Leones.*

Norvegie. Slavo. Gotor. Q. Rex. 1. *Marck Danske.* 1561.

4. FRIDERICUS. 2. D. G. DAN. *Insignia Daniæ.*

Norwegie. Slavo. Goto. Q. Rex. 1. *Marck Danske.* 1562.

5. FRIDERICUS. 2. D. G. DANIE. *Tres Leones.*

Nor. Slavo. Got. Q. Rex. 1. *Marck Danske.* 1563.

6. *Numus qvadratus.*

I. MARCK. 1563.

F. Coronatum.

Idem ejusdem typi. 1564.

7. 4. *Skillinck* 63.

F. Coronatum.

Est numus qvadratus.

8. FRIDERICUS. 2. D. G. DANIE. *Tres Leones.*

Nor. Slavo. Gotor. Q. Rex. *8. Skilling Danske* 1563.

9. FRIDERICUS. 2. D. G. DANI. F. Coronatum.

Nor. Slavo. Gotor. Q. Rex. *8. Skillinck Danske.* 1578.

10. FRIDERICUS. 2. D. G. DANIE. F. Coronatum.

Nor. Slavo. Goto. Q. Rex. *8. Skillinck Danske.* 1579.

11. FRIDERICUS. 2. D. G. DAN. *Tres Leones.*

Norwegi. Slavo. Goto. Q. Rex. *8. Skillinck Danske.* 1582.

Idem ejusdem typi. 1584.

12. FRIDERICUS. 2. D. G. DANIE. *Tres Leones.*
Norwegie. Slavo. Gotor. Q. Rex *1. Marck Danske.* 1583.

13. FRIDERICUS. 2. D. G. DANIE. *Tres Leones.*
Norvegie. Slavo. Gotor. Q. Rex. *II. Skillinck. Danske.* 1575

14. FRIDERICUS. 2. D. G. DANIE. *Tres Leones.*
Norvegie. Vanda. Goto. Q. Rex. *II. Skillinck. Danske.* 60.
Idem ejusdem typi 1562 & 1563 *cusus.*

15. II *Skilli.* 65. *Tres Leones. Numus truncatus*

16. FRIDERICUS. 2. D. G. DANIE. *Tres Leones.*
Norwegie. Vand. Goto. Q. Rex. *II. Skillinck. Danske.* 82.

17. FRIDERICUS. 2. D. G. DANIE. *Folium urticæ, qvod Holsatiæ insignia repræsentat.*
Mo. Ducatu. Sles. Z. Holsa. *Duo Leones, Schlesvici Ducatûs insignia.*

18. FRIDERICUS. D. G. DAN. NORV. REX. F. *Coronatum, sub qvo insignia Familiæ Bildorum, in medio scuti* : B.
Monet. Nova Insulæ Gotl. *Agnus Amalonicus.*

Facilè colligitur ex anticâ & posticâ numi facie, eum curâ *Jani Bilde*, qvi Gothlandiæ præfectus fuit tempore belli septennalis, qvod Fridericus II contra Suecos gessit, cusum fuisse, id qvod Literæ B satis clarè in scuto prædicto indicant. Vir fuit eximius, qvem Chronica Gothlandica laude extollunt pag. 271.

19. FRIDERICUS. 2. D. G. DANIE. *Tres Leones.*
Norvegie. Vanda. Goto. Q. Rex. *1. Skillinck Danske.* 63.
Alii ejusdem typi Ao. 1579. & 1582. *percussi.*

20. FRIDERICUS. 2. D. G. DANIÆ. ET NORVEGIÆ Z. REX. *Effigies Regis.*
Sophia Kinnigin zu Dennemarck z. *Effigies Reginæ.*

21. FRIDERICUS. II. D. G. R. DA. *Effigies Regis.*
Sophia. D. G. Regina. Dani. *Effigies Reginæ.*

CHRISTIANI QVARTI.

1. Triplex uncialis, â cujus alterâ parte *Regis coronati effigies conspicitur, sub qva titulus Regius:* CHRISTIANUS. IIII. D. G. DAN. NO. V. G. REX. D. S. H. S. D. C. OL. &. D. 1642. *Circa Effigiem verò Symbolum Regium,* Regna Firmat Pietas.

A parte

A parte alterâ:

Benedictio. Domini. Divites. Facit. *Integra Regnorum Daniæ Insignia.*

Extat qvidem argenti fodina in Norvegia, ex qvâ magna argenti copia eruta est, qvæ Benedictio Domini, Germanicè Gottes Seegen/ ideò vocata est; sed absit, Regem Piissimum sententiâ hac aureâ huc respexisse, qvin potius eâ professus sit, meram Benedictionem Domini divites facere, qvamvis ex argento tali huncaliosq; numos percussos esse notissimum sit.

DUPLICES IMPERIALES.

2. CHRISTIANUS. IIII. D. G. DANIÆ. *Effigies Regis.*

Norvegi. Van. Got. Rex. *1597. Plena Regnorum Insignia.*

3. CHRISTIANUS. IIII. D. G. DANI. NORV. REX. *Imago Regia, circa qvam:* Regna Firmat Pietas.

Benedictio. Domini. Divites. Facit. *Insign. Norvag. 1631.*

4. *Effigies Regia, sub qva titulus:* CHRISTIANUS. IIII. D. G. DAN. N. V. G. REX. D. S. H. S. D. C. OL. Et. D. 1632. *circa caput Regium:* Regna Firmat Pietas.

Benedictio. Domini. Divites. Facit. *Integra Regnorum Insignia.*

5. CHRISTIANUS. 4. D. G. DAN. N. V. G. Q. REX. *Effigies Regia, sub qva Daniæ Insignia, 3. Leones, circa caput autem:* Regna Firmat Pietas.

Mon. Nov. Gluckstadensis. 1641. *Typus Fortunæ insidentis globo.*

6. CHRISTIANUS. IIII. D. G. DANI. NOR. etc. REX. *Imago Regis cum symbolo:* Regna Firmat Pietas.

Benedictio. Domini. Divites. Facit. *Leo cum bipenni. 1646.*

UNCIALES SIMPLICES.

7. CHRISTIANUS. 4. D. G. PRI. ET. ELECT. REX. DAN. NO. Z. *Effigies Regis cum catenâ aureâ circa collum.*

Regna Firmat Pietas. *1590. Regnorum tota Insignia.*

8. CHRISTIANUS IIII. D. G. DANI. *Imago Regia, sub qva 1596.*

Norve. Vandal. Gotho. Q. Rex. *Insignia Daniæ, Tres Leones cum 9. cordibus.*

9. CHRISTIANUS. IIII. D. G. DANIÆ. *Tres Leones.*

Norwegiæ. Slavo. Gottorum. Q. Rex. IIII. *Marck Danske.* 1596.

Tradunt Chronica Gothlandica ab anno 1582. Uncialem simplicem

cem valuisse 4. Marcas Danicas, qvi antea trium saltem marcarum pretium æqvaverat, pag. 283.

No. 10. CHRISTIANUS. IIII. D. G. DANIÆ. *Effigies Regis coronati.*

Norvegi. Van. Got. Rex. 1597. *Regnorum plena Insignia.*

11. CHRISTIANUS IIII. D. G. DA. N. V. G. REX. *Effigies Regis insidentis solio, supra qvem votivum hoc:*

VIVAT ET VALEAT. 1603.

Moneta. No. Regni. Daniæ. *Insignia Regnorum.*

12. CHRISTIANUS. IIII. D. G. DANI. NOR. VAN. GOT. REX. *Imago Regis erecto corpore.*

Dux. Slesvi. Holf. Storm. Et. Ditm. Comes. In. Olde. Et. De. *Insignia Regnorum, intra qvæ:* Regna Firmat Pietas.

13. CHRISTIANUS. D. G. D. NO. VA. GO. REX. *Rex erecto Corpore* 1618.

Dux. Schle. Hol. Storm. Et. Dit. Co. In. Ol. Et. De. *Regnorum Insignia cum symbolo:* Regna Firmat Pietas.
Idem ejusdem planè typi. 1619 & 1620.

14. *Imago Regia, sub qvâ:* CHRISTIANUS IIII. D. G. DAN. NO. V. G. REX. D. S. H. S. D. C. OL. ET. D. 1624. *supra Caput Regis.* Regna Firmat Pietas.

Benedictio Domini Divites Facit. *Integra Regum Daniæ Insignia.*

15. CHRISTIANUS. 4. D. G. DAN. NO. V. G. R. *Effigies Regis integra cum Insign: Daniæ.*

Mo. No. Civi. Gluckstadens. 623 *Typus fortunæ insistentis globo.*

16. *Idem ejusdem typi* 1624. & 1625.

17. C4 (crowned) 1627. *Cum adjecto hoc:* QVID. NON. PRO. RELIGIONE.

Monet. R. D. N. Vic. Phil. Reinh. C. S. *Insignia Comitis Rheni.*

Ejusdem Monetæ trini sunt typi, anno eodem incisi, qvi ex C. coronato dignoscuntur.

18. *Imago Regia, sub qvâ:* CHRISTIANUS. IIII. D G. DAN. NORV. V. G. REX. D. S. H. S. D. C. OLD. ET. D. 1628. *Circa caput Regium.* Regna Firmat Pietas.

Benedictio. Domini. Divites. Facit. *Integra Regnorum Insignia.*

19. CHRISTIANUS. IIII. D. G. DANI. NOR. REX. *Effigies coronati Regis.*

Benedictio. Domini. Divites. Facit. *Leo cum bipenni.* 1628.
Alius ejusdem typi 1629.

20. CHRI-

20. CHRISTIANUS. IIII. D. G. DAN. NO. V. GO. Q. REX. *Imago Regia cum Insignibus Daniæ.*

Mo. No. Civi. Gluckstade. 1629. *Typus fortunæ insistentis globo.*

21. CHRISTIANUS. IIII. D. G. DANI. NOR. REX. *Effigies Regis cum Symbolo:* Regna Firmat Pietas.

Benedictio. Domini. Divites. Facit. *Leo Norvagicus.* 1630.

22. *Alii ejusdem typi.* 1631. & 1632.

23. *Idem* 1633. *cusus.*

24. *Effigies Regis, sub qva Titulus:* CHRISTIANUS. IIII. D. G. DAN. N. V. G. REX. D. S. H. S. D. C. OL. ET. D. 1634. *Circa faciem Regis Symbolum:* Regna Firmat Pietas.

Benedictio. Domini. Divites. Facit. *Regnorum tota Insignia.*

25. CHRISTIANUS. IIII. D. G. DANI. NOR. ET. REX. *Facies Regis cum symbolo.*

Benedictio. Domini. Divites. Facit. *Leo Norvagicus.* 1635.

26. *Idem ejusdem typi.* 1636. 1637. & 1638.

27. *Alii ejusdem planè typi.* 1639. & 1640.

28. CHRISTIANUS. IIII. D. G. DAN. N. V. G. Q. REX. *Effigies Regis cum symbolo: sub qva Daniæ Insignia.*

Monet. Nov. Gluckstadensis. 1640. *Fortuna globo insistens.*

29. CHRISTIANUS. IIII. D. G. DANI. NOR. REX. *Effigies Regis cum symbolo.*

Benedictio. Domini. Divites. Facit. *Leo cum bipenni.* 1641.

30. *Alii ejusdem typi anno* 1642. 1643. 1644. 1645. & 1646 *cusi.*

31. CHRISTIANUS. IIII. D. G. DAN. D. V. G. Q. REX. *Symbolum Regis circa effigiem ipsius, sub qva Daniæ Insignia.*

Mon. Nov. Gluckstadensis. 1646. *Typus fortunæ.*

32. *Facies Regis, sub qva:* CHRISTIANUS. IIII. D. G. DAN. NO. V. G. REX. D. S. H. S. D. C. OL. Et. D. 1646.

Benedictio. Domini. Divites. Facit. *Integra Regum Daniæ Insignia.*

33. *Alius ejusdem typi.* 1647.

34. CHRISTIANUS. IIII. D. DANI. NOR. REX. *Imago Regia cum symbolo.*

Benedictio. Domini. divites. Facit. *Leo Norvagicus* 1637.

35. *Idem anno* 1658 *percussus.*

36. CHRISTIANUS. 3. D. G. DAN. NO. VA. G. REX. *Rex equo insidens, sub quo:* Regna Firmat Pietas.

Dux. Sch. Holf. St. Dit. Com. In. Old. E. D. *Regnorum tota Insignia.*

THALERI DUPLICES.

37. CHRISTIANUS IIII. D. G. DANIÆ. *Effigies Regis juvenis cum coronâ.*

NORVEGI. VAN. GOT. REX. 1597. *Regnorum plena insignia.*

38. CHRISTIANUS. IIII. D. G. DANIÆ. *Effigies Regis erecto corpore.*

Norvegi. Vandalo. Gothorum. Q. Rex. 1618. *Corona cum symbolo Regio, & sub eâ:* Corona Danica.

Idem ejusdem typi. 1619.

Idem sed crassior. 1624.

Idem. 1628.

39. *Idem Norvegicus.* 1631.

40. *Idem Danicus.* 1632.

41. *Gluckstadensis.* 1641.

42. *Norvegicus.* 1648.

THALERI SIMPLICES.

43. CHRISTIANUS. IIII. D. G. DANIÆ. *Rex erecto corpore cum sceptro.*

Norvegi. Vandal. Gotorv. Q. Rex. *Corona* R. F. P. 1618. *Idem.* 1619.

44. CHRISTIANUS. IIII. D. G. DANIÆ. *Effigies Regis.*

Norveg. Wandal. Gotor. Q. Rex. *Corona.* 1620.

Alii ejusdem typi. 1621 & 1624.

45. CHRISTIANUS. IIII. D. G. DANI. *Imago Regia erectô corpore.*

Norveg. Vandalo. Gotorv. Q. Rex. 1624 *Corona.* R. F. P.

Numus est crassior.

Idem anno 1625. *cusus.*

IMPERIALES DIMIDII.

46. CHRISTIANUS. D. G. DAN. N. V. G. R. *Imago Regia cum Insignibus Daniæ.*

Mo. No. Civi. Gluckfta. 1623. *Typus fortunæ*

47. *Facies Regis sub quâ:* CHRISTIANUS. IIII. D. G. D. N. V. G. REX. 1624.

Circa

Circa caput: Regna. Firmat. Pietas.

Benedictio. Domini. Divites. Facit. *Integra Regnorum Insignia.*

48. CHRISTIANUS. IIII. D. G. DANI. NOR. REX. *Effigies Regis.*

Benedictio. Domini. Divites. Facit. *Leo Norvagicus.* 1628.

49. CHRISTIANUS. IIII. D. G. DANI. NOR. REX. *Imago Regia cum Symbolo:* Regna Firmat Pietas.

Benedictio. Domini. Divites. Facit. *Leo cum bipenni 1629.*

50. *Alius ejusdem typi.* 1631.

51. *Effigies Regis, sub qva titulus:* CHRISTIANUS. IIII. D. G. D. N. V. G. REX. 1632.

Ad superiorem numi oram: Regna Firmat Pietas.

Benedictio. Domini. Divites. Facit. *Integra Regnorum Insignia.*

52. CHRISTIANUS. IIII. D. G. DANI. NOR. REX. *Imago Regia cum Symbolo.*

Benedictio. Domini. divites. Facit. *Insignia Norvegiæ.* 1633.

Alii ejusdem typi anno. 1637. 1638. 1640. 1642. 1644. 1647. & 1648. *percussi.*

53. CHRISTIANUS. IIII. D. G. DANI. *Insignia Daniæ.*

Norvegi. Vanda. Gothorum. Q. Rex.

II. *Marck Danske.* 1604.

NUMI SYMBOLICI.

54. In. No. Domi. Serenis. Princi. Et. Domino. D. CHRISTIANO. D. G. V. Regi Electo. Dani. Nor. Van. Got. Q. Ec. Solenn. Ordin. Omnium. Homagium. *Liber cum ornamentis Regiis, sub qvibus:* Anno cIↃ. IↃ. CX. VE. NO INE.

A posticâ parte:

Typus Pietatis & Justitiæ manus jungentium, inter qvas:

Deus. Judicium. Tuum. Regi. Da. Et. Justitiam. Tuam. Filio. Regis. Psalm. LXXII. *Supra hæc Corona laurea cum literis:* D. N. S. *Ad infimam Numi oram:* Providebit AN. ÆT. VII.

Percussus hic Numus est in Homagium Serenissimo Principi Christiano, Regis Christiani Qvarti filio, ab Ordinibus Regni Daniæ, Anno 1610. die 14. Martij, Vere Novo Ineunte, præstitum, qvemadmodum literæ VE. NO. INE. indicare videntur. Princeps fuit fortissimus, qvi in itinere ad thermas Carolinas in arce Corbitz non procul Dresdâ d. 2 Junii Anno 1647 obiit.

55. CHRISTIANUS. IIII. D. G. DANO. VA. GO. Q. REX. DUX. SCHLE HOL. STOR. *Imago laureati Regis.*

Anna. Caterina. D. N. V. G. R. M. B. A. S. D. C. O D. Co. I. OL. Et. De. *Effigies Reginæ. Numus est inauratus.*

FRIDERICI TERTII.

IMPERIALES TRIPLICES.

1. FRIDERICUS. III. D. G. DAN. NOR. VA. GO. REX. *Effigies coronati Regis.*

Dominus. Providebit. *Leo Norvagicus.*

2. FRIDERICUS. III. D. G. DAN. NOR. VAN. GOTO. REX. *Imago Regia.*

Dominus. Providebit. *1658. Leo Norvagicus.*

3. FRIDERIC. 3. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Effigies laureati Regis.*

Dominus. Providebit. *Insignia Regnorum. 1665.*

IMPERIALES DUPLICES.

4. FRIDERICUS. 3. D. G. DAN. NOR. VA. GO. REX. *Imago Regia.*

Dominus Providebit. 1650. *Leo Norvagicus.*

5. FRIDERICUS. III. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Effigies Regis.*

Dominus Providebit. 1656. *Integra Regnorum Insignia.*

6. FRIDERICUS. 3. D. G. DAN. NOR. VA. GOTHOR. REX. *Facies Regis.*

Dominus Providebit. 1657. *Leo cum bipenni.*

7. FRIDERICUS. III. D. G. DAN. NOR. VA. GOTHOR. REX. *Imago Regia.*

Dominus. Providebit. 1658. *Insigne Norvegiæ.*

8. FRIDERIC. III. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Effigies Regis.*

Dominus Providebit. *Regnorum Integra Insignia.*

9. FRIDER. III. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Imago Regis.*

Dux. Sles. Hol. Stor. Ditm. Com. Old. Et. Delm.

Insignia Regnorum integra. Circa extimam numi oram.

Dominus Providebit. Anno. M. DC. LXI.

IMPERIALES. SIMPLICES.

10. FRIDERICUS. III. D. G. DAN. NOR. VA. GO. REX. *Effigies coronati Regis.*

Dominus. Providebit. 1649. *Leo Norvagicus.*

11. FRIDERICUS. III. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Imago Regia.*

Dominus Providebit. 1649. *Insignia Regnorum integra.*

Idem ejusdem typi. 1650.

12. FRIDERICUS. III. D. G. DA. NOR. VAN. GO. REX. *Effigies Regis.*

Dominus Providebit. 1651. *Insigne Norvegiæ.*

13. FRIDERICUS. III. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Imago Regia.*

Dominus Providebit. 1653. *Integra Regnornm Insignia.*

14. FRIDERICUS. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Imago Regis.*

Dominus Providebit. 1653. *Leo cum bipenni.*

Alii ejusdem typi. 1654. 1655. & 1656. signati.

15. FRIDERICUS. III. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Facies Regis.*

Dominus Providebit. *Regnorum plena Insignia.*

Alius ejusdem typi. 1657.

16. FRIDERICUS. III. D. G. DAN. NOR. VA. GOT. REX. *Imago Regia.*

Dominus Providebit. 1657. *Leo Norvagicus.*

Idem ejusdem typi. 1659. 1661. 1662.

17. FRIDERIC. III. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Effigies Regis.*

Dominus Providebit. 1662. *Insignia Regnorum.*

Idem dissimilis nonnihil typi. 1662.

18. FRIDERICUS. 3. D. G. DAN. NOR. VA. GOT. REX. *Facies Regis.*

Dominus Providebit. 1663. *Leo Norvagicus.*

Alius ejusdem typi. 1664.

19. FRIDERIC. 3. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Effigies laureati Regis.*

Dominus Providebit. *Insignia Regnorum Daniæ & Norvegiæ. 1664.*

Alius diversi paululum typi. 1664.

20. FRIDERICUS. III. D. G. DAN. NOR. VA. GOT. REX. *Imago Regis.*

Dominus Providebit. *Typus fortunæ insistentis globo. 1664.*

21. FRIDERIC. 3. D. G. DAN. NOR. VAN. GO. REX. *Effigies laureati Regis.*

Dominus Providebit. 1665. *Insigne Norvegiæ.*

22. FRIDER. III. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Imago Regia.*

Dominus Providebit. *Integra Regnornm Insignia.* 1666.

23. FRIDERIC. 3. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Effigies Regis.*

Dominus Providebit. 1666. *Leo Norvagicus.*

Alius ejusdem typi. 1667.

24. FRID. III. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Imago Regia.*

Dominus Providebit. *Insignia Regnorum Daniæ & Norvegiæ.* 1668.

25. FRID. III. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Effigies Regis.*

Dux. Sles. Hol. Storm. Ditm. Com. Old. Et. Delm. *Insignia Regnorum integra. Circa extimam numi oram.*

Dominus Providebit. Anno. M. DC. LXIX.

THALERI SIMPLICES.

26. FRIDERICUS. III. D. G. DANIÆ. 1651. *Imago Regia.*

Norvegi. Vandal. Gotorv. Q. Rex. *Corona cum Symbolo:* Domin⁹. Provid.

Alius ejusdem typi. 1652.

27. *IIII. Marck Danske.* 1652. *Nomen regium cum Corona.*

Dominus. Providebit. *Tres Leones.*

Alius ejusdem typi. 1653.

28. Dominus Providebit. *Nomen Regium eodem, quô supra, modô expressum, cum adscriptione.* EBEN EZER.

SOLI DEO GLORIA. *Exserta è nube manus aliam manum amputans, quæ coronam quandam appetit.* 11. *Febr.*

29. FRIDERICUS. III. D. G. DANIÆ. *Rex erecto corpore.*

Vandalorum. Gothorumqve. Rex. *Corona cum Symbolo:* Dominus Providebit.

Numus crassior.

30. FRID. III. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Imago Regia.*

Dux. Slesv. Hols. Storm. Ditm. Com. In. Old. Del.

Corona

Corona cum Symbolo. 1666.

31. Dominus Providebit. ☧. *Nomen Regium cum Corona.*
IIII. Marck Danske. 1666. *Tres Leones.*

IMPERIALES DIMIDII.

32. FRIDERICUS. III. D. G. DA. NO. VA. GO. REX. *Effigies Regia.*
Dominus Providebit. 1649. *Leo Norvagicus.*

33. FRIDERIC. III. D. G. DAN. NO. VA. GO. REX. *Facies Regis.*
Dominus. Providebit. 1656. *Leo cum bipenni.*

34. FRIDERICUS. III. D. G. DAN. NORV. *Imago Regia.*
Vandal. Gothor. Rex. 1665. *Regnorum plena Insignia.*

35. FRIDERIC. 3. D. G. DAN. NOR. *Effigies laureati Regis.*
Vandal. Gotor. Rex. 1665. *Insigne Norvegiæ.*

NUMI SYMBOLICI.

36. FRIDERICUS. III. DEI. GRATIA. DANIÆ. NORVEGIÆ.
Vandalorum Gottorum Rex. *Effigies Regis.*
Aversa numi facie nulla est inscriptio, Rex autem Eqves ibi aspicitur.

37. FRIDERICUS. 3. D. G. DAN. NOR. VAN. G. REX. *Effigies Regis.*
Sophia Amalia Regn. Dan. *Imago Reginæ.*
Numus est oblongus.

38. Dominus Providebit. *Imago Regia.*
A Domino Regnum venit: *Nomen Regium* ☧. *cum ornamentis Regiis.*

39. Dominus Providebit. *Effigies Regis.*
FRIDERICUS. 3. D. G. DANIÆ. NORWEG.
Vandalo. Gotorv. Q. Rex. *integra Regnorum Insignia.*

40. FRIDERIC. III. D. G. DAN. NOR. VAN. G. REX. *Imago Regia.*
1659. Den XI Febr. Seint. die. Sved. zu. Nacht. umb 2. vor. Copenh. Mit. Ein. General. Sturm. Angefaln und Sie Geendet. Morgens. umb. 5.

Intra hæc, ad superiorem numi partem: Manus cum gladio brachium amputans, qvod coronam appetit: amputanti vero manui adscriptum est: DAN *Brachio amputato* SVED. *Coronæ verò*: COPENHAFEN. *Ad inferiorem partem.* EBEN EZER: SOLI DEO GLORIA. FRID. 1660. Den 27. Maij. *Annus & Dies est pacis cum Sueciâ initæ.*
Numus oblongus.
Idem cum novis Hafniæ Insignibus.

CHRI-

CHRISTIANI QVINTI.

Imperiales.

1. CHRISTIAN. 5. D. G. DAN. NOR. VA. ET. GO. *Effigies Regis.*
   Pietate. Et. Juſtitia. 1670. *Leo Norvagicus.*
2. CHRISTIAN. 5. D. G. REX. DAN. NOR. VA. ET. GO. *Effigies Regis.*
   Dux. Sles. Hol. Stor. Ditm. Com. Old. Et. Del.
   Pietate. Et. Juſtitia. 1671. *Leo Norvagicus.*
   Alius ejusdem typi.
3. CHRISTIAN. V. D. G. REX. DAN. NOR. VAN. GOT. *Effigies Regis.*
   Nomen Regium. C. 1671. DOC.
   Eſt numus, qvem conſortium Danicum Orientalis Indiæ commerciorum cudi fecit, id qvod D. O. C. *indicant.*
4. CHRISTIAN. 5. D. G. REX. DAN. NOR. VAN. & GOT. *Effigies Regis.*
   Dux. Sles. Hol. Stor. Ditm. Com. Old. Et. Del.
   Pietate. Et. Juſtitia. 1672. *Leo Norvagicus.*
   Alius ejusdem typi. 1674.
5. CHRIST. D. G. REX. DAN. NOR. VA. GO. *Effigies Regis.* 1674.
   Dux. Sles. Hol. Stor. Ditm. Com. Old. Et. Delm.
   Integra Regnorum Inſignia.
6. CHRISTIAN. 5. D. G. REX. DA. NOR. VA. & GOT. *Effigies Regis.*
   Dux. Sles. Hol. Stor. Ditm. Com. Old. Et. Delm.
   Pietate Et Juſtitia. 1675. *Leo Norvagicus.*
7. CHRIST. V. D. G. REX. DANIÆ. *Effigies Regis, dextra ſceptrum, ſiniſtra globum tenentis.*
   Norveg. Vandal. Gotq; 1675. *Nomen Regium triplex cum tribus coronis.*
8. CHRISTIAN. 5. D. G. REX. DAN. NOR. VA. & GOT. *Effigies Regis.*
   Dux. Sles. Hol. Stor. Ditm. Com. Old. Et. Del.
   Pietate Et Juſtitia. 1679. *Leo Norvagicus.*
   Alius ejusdem typi. 1680.
9. CHRISTIANUS. V. D. G. REX. DAN. NOR. VAN. GOT. *Effigies Regis*
   Dux. Sles. Hol. Stor. Ditm. Com. Old. Et. Delm.
   Regnorum plena Inſignia.
10. CHRISTIAN. V. D. G. REX. DAN. NOR. V. G. *Effigies Regis.*
    Pietate Et Juſtitia. *Regnorum Integra Inſignia.* 1688.
    Circa extimam numi oram: Hæc Boreas Cymbro fert Ornamenta Laborum.

Alii

Alii ejusdem planè typi anno 1692 & 1694. *cusi.*

N°. 11. CHRISTIAN. V. D. G. REX. DAN. NOR. V. G. *Regis icon.*

Pietate & Justitia. *Integra Regnorum insignia* 1692.

Ad extremam numi oram: Danner Kongis Norske Fielde
Slige Frugter har i Vælde.

12. *Alius ejusdem typi, ad oram verò extimam:* Det Klipperne yder, Vor Bergman udbryder, Hvad Hytten da gyder, Af Mynten vi nyder.

Alius anno 1694 *percussus ejusdem planè typi.*

13. *Idem ejusdem typi* 1693. *signatus. Ad oram extremam:*

Saadan Nordens Skat GUD giemte
Til Kong CHRISTIAN den Femte.

THALERI SIMPLICES.

14. Pietate & Justitia. *Effigies Regis in formam marmorum antiqvorum basi cuidam velut innixa.*

IIII. *Marck Danske.* 1680. *Integra Regnorum insignia.*

15. C5. DAN. NORV. REX. *Leo cum bipenni.* 1683.

16. Laborantem. Corroborat. *Crux.*

A parte alterâ *Nomen Regium bifariam.*

Ab alterâ:

Pietate & Justitia. *IIII. Marck Danske.* 1684.

17. Pietate & Justitia. *Nomen Regium.*

IIII. Marck Danske. 1686. *Insignia Regnorum.*

18. Pietate & Justitia. *Nomen Regium.*

IIII. Marck Danske. 1688. *Leo Norvagicus cum bipenni.*

NUMI SYMBOLICI.

19. CHRISTIANUS. *Effigies Regis ante aram fumigantem fundentis preces, cum subscript:* PIETATE.

REX. *Imago Regis insidentis solio, dirimentisq; causam inter duas Fœminas de puero litigantes, exemplo Salomonis 1 Reg. 3. cum subscript:* JUSTITIA.

20. *Effigies Regis.*

Alterum latus nihil aliud exhibet, qvam Instrumenta bellica & militiæ terrestris arma.

21. CHRISTIAN. V. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Regis icon.*

MONUMENTUM PIETATIS. *Templum Christianohafniense Anno 1682 â Monarcha nostro Augustissimo fundatum: infrà* CHRISTIANSHAVN.

22. POST DOMITOS HOSTES TERRAQVE MARIQVE TRIUMFOS. *Statua Regia 1688.*

Arctoos Fasces cum Jove Solus habet. *Effigies Regis.*

23. CHRISTIANA DE GULDENLEV COMITIS DE AHLEFELD UXOR INCOMPARABILIS. *Figura muliebris, ſub qva:* Poſt Fata Coruſcat.

Nat: 7. Jul. 1672. Mor: 12. Sept. 1689.

24. RATZEBORGS BOMBARDERING. *Ratzeburgum oppugnatum.*

In poſticâ numi parte:

Saa Maa Det Stolte Dyr, Skiönt Mange Fnös Der Mod:

Nedſlaa Sin Faſte Værn Til Danske Lövens Foed:

Eqvus munimentum Ratzeburgi calcando dejiciens.

Infra:

AT SLEFVE GIÖR FRED. St. MIKKELS DAG. 1693. *Ant. Meibus.*

25. *Ordo Eqveſtris Elephantinus.*

In numi averſâ:

Ordo Eqveſtris Dannebrogicus.

Ad extimam numi oram:

SECULI DESIDERIA.

26. CHRIST. V. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Icon Regis A. Meibus. f.*

Ab alterâ parte:

Corona Regia REGNORUM MONETAM IN MELIUS RESTITUIT. 1693.

27. CHRIST. V. REX. DAN. NORV. V. E. G. *Regis Effigies.*

In poſtico:

ET TEGIT & PROTEGIT & TUETUR. *Leo ungvibus anterioribus tria tenens ſcuta, qvibus inſignia Regni Daniæ, Norvegiæ & Ducatûs Slesvicenſis inſculpta ſunt.*

HILARITAS TEMPORUM. d. 16. Febr. 93.

In poſtico:

SIC ORBIS VEHITUR. *Currus, cui qvatuor Homines inſident â totidem vermibus tractus.*

28. AUGUSTISS. TRIONUM. REGIS. CHRISTIANI. V. INTIMO. *Effigies Comitis de Griffenfeld.*

Illuſtrisſimo Et Excellentisſimo. Dno. Petro Comiti In Griffenfeld Dno De Samsöe, Brattingsborg Et Wisborg. R. Ord. Eleph. Eqviti. Ju. R. Magno. Regni Cancellario, Præſidi Coll. Præfect.

NUMIS-

NUMISMATA GRÆCA AUREA.

No. 1. ΛΥΣΑΝΔΡΟΥ. ΛΑΚΩΝΟΣ. *Caput ipsius.*
ΝΙΚΗ *Victoria in curru triumphali.*

2. ΑΘΗΝΑΙΟΥ. ΜΙΛΤΙΑΔΟΥ. *Caput ipsius.*
ΙΛΛΗΝΩΝ. *Figura muliebris cum puero.*

3. ΛΥΣΙΜΑΧ. ΒΑΣΙΛΕ.
Victoria ―.

4. ΑΛΕΞΑΝΔΡ. ΒΑΣΙΛΕ.
Victoria stans.

5. *Parvum qvoddam cum capite ignoto.*

Numi sunt elegantiæ insignis, qvâ Romanos etiam exactissimos superant.

NUMISMATA ROMANA AUREA.

Primum monetæ auctorem Saturnum nonnulli existimant ideòq; ærarii Præsidem creditum fuisse, ut *Tertulianus in Apologet.* refert. Hinc Saturni domus cudendæ monetæ locus Romæ extitit, & ab ære primùm cuso Ærarium appellata, cùm assis libralis & dupondius signaretur, pensatus potiùs, qvàm numeratus. *Servius* qvippe *Tullius*, qvi A. V. C. 175. Rex Romanorum VI. creatus est, primus post urbem conditam æs signâsse â *Plinio dicitur lib. 33. cap. 3.* repetita vetere signandi consuetudine, â Jano gemino, Rege primo Italiæ, introductâ, qvi unâ numi parte capitis sui effigiem, altera navem, qva advectus in Italiam Saturnus fuerat, exprimi voluit. Anno autem V. C. 485. primum argentum signatum, post victoriam de Pyrrho Rege reportatam, aurum verò post deletas Carthaginem & Corinthum, seculo ante Christum natum Secundo, signari cæptum, *Fr. Mediobarb. Biragus in not. ad numism. Occonis pag.* 42. exactè computat.

1. J. FLAMEN. - - - -

2. JANUS BIFRONS. R.
ROMA CENT. *Prora navis.*

Sunt numi, qvos raritas commendat. Posterior Romæ centuriatæ memoriam inculcat, in tribus à Romulo, Urbis illius potiùs divisore qvam conditore, divisæ.

JULII CÆSARIS.

CÆSAR. DICT. PERPETUO. *Caput Iulii.*

L. BUCA. *Duæ dextræ invicem junctæ, globus, caduceus & securis.*

Aureus hic numus, inter præstantissimos collocandus est. In eo nexus manuum amicitiæ fæderisq; signum denotat. Tacit. annal. lib. 12 *Mos est inqvit Regibus, qvoties in societatem côeant, implicare dextras.*

AUGUSTI.

CÆSAR AUGUSTUS DIVI. F. PATER. PATRIÆ. *Caput Augusti laureatum.*

C. ET. L. CÆSARES AUGUSTI. F. COS. DESIG. PRINC. JUVENT. *Duæ figuræ togatæ clypeis assistentes, cum hastis puris, capedunculâ & lituo, signis nempe Pontificalibus & Auguralibus.*

Numus hic aureus eximiæ est raritatis, qvo Augustus anno U. C. 751. & ante Christ. nat. 2. Pater Patriæ primùm salutatus censetur, & nepotes suos Cajum & Lucium in filios adoptavit, successores Consulesq; designavit, ac necdum positâ prætextâ Principes Juventutis appellari voluit.

TIBERII.

TI. CÆSAR DIVI F. AUGUSTUS. - - - -

Julia, qvæ & Livia, mater Tiberii sedens, altera manu hastam, alterâ sertum tenens.

Primus omnium Augustus Julium Cæsarem, Tiberius verò Augustum jam mortuos inter Divos retulerunt. Hinc uterq; *Divi Filium* numis inscribi voluit. Romanis mos fuit, eos consecrare Imperatores, qvorum filii vel successores superstites erant.

CAJI CALIGULÆ.

C. CÆSAR AUG. GERM. P. M. TR. POT. *Caput laureatum.*

VICTORIA DE GERM. S. P. Q. R. *Pegasus, famæ typus & Gloriæ.*

NERONIS.

1. NERO CÆSAR AUGUSTUS.

VESTA. *Templum Vestæ.*

Vestæ templum restauratum fuisse numus hic aureus docet.

2. IMP. NERO. CÆSAR AUGUSTUS.

JUPITER CUSTOS. *Jupiter sedens, dextra fulmen, sinistra hastam tenens.*

Jovem sic Nero veneratus est, qvòd eum â conjuratione Pisoniana custodierit.

FL. VESPASIANI.

1. IMP. CÆSAR VESPASIANUS AUG.

ÆTERNITAS. *Figura stans coram ara, dextra solis caput tenens, sinistra caput lunæ, æternitatis typos Imperii Romani.*

2. IMP.

2. IMP. CÆSAR VESPASIANUS AUG. COS. VIII.

Victoria dextra lauream imponens Imperatori paludato ſtanti, dextrâ haſtam, ſiniſtrâ Parazonium geſtans.

DOMITIANI.

IMP. CÆS. DOMIT. AUG. GERM. P. M. TR. P. VII.

IMP. XIIII. COS. XIII. CENS P. P. P. *Pallas galeata ſtans, dextrâ fulmen, ſiniſtrâ haſtam oſtentans.*

NERVÆ.

1. IMP. NERVA CÆS. AUG. P. M. COS. II. P. P.

CONCORDIA EXERCITUUM. *Duæ dextræ Aqvilam legionariam tenentes, infra qvam prora navis.*

2. IMP. NERVA. CÆS. AUG. P. M. COS. II. P. P.

FORTUNA AUGUST. *Figura ſtans cum temone & cornucopiæ.*

Solebant Principes Romani *Fortunam* auream in cubiculo ſervare, cujus originem apud *Suetonium in Galbâ* deprehendimus. *Fortuna* verò *Auguſta* dicebatur, qvòd Auguſto conſecrata & ab Auguſto hæc Dea coleretur. Hic aliive numi Nervæ ex auro rari cenſentur.

TRAJANI.

1. IMP. CÆS. NERVA. TRAIAN. AUG. GERM.

P. M. TR. POT. COS. IIII. P. P. *Figura ſedens cum clypeo & corona*

2. IMP. CÆS. NERVA TRAIAN. AUG. GERM.

P. M. TR. POT. COS. IIII. P. P. *Hercules nudus dextra clavam, ſiniſtra Leonis exuvias tenens & baſi inſiſtens.*

3. IMP. TRAIANO AUG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. VI. P. P. S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI. *Figura ſtans.*

4. - - - - TRAIANO OPT. IMP. AUG. DAC. P. M. TR. P. COS. *Figura baſi inſiſtens.*

MATIDIÆ.

MATIDIA. AUG. DIVÆ. MARCIANÆ. F.

PIETAS AUGUST. *Mulier ſtans, ad pueros duos infra ſtantes extendens manus.*

Matidiæ pietatem erga filias Sabinam & Matidiam juniorem numus hic denotat. Socrus fuit Hadriani, qvi eam à Senatu inter Divas referri curavit.

HADRIANI.

1. HADRIANUS AUGUSTUS.

COS. III. *Lupa cùm Romulo & Remo.*

2. HADRIANUS AUGUSTUS.

COS. III, *Qvadrigæ, qvas sol dirigit.*

3. HADRIANUS - - - - AUGUSTUS.

CLEMENTIA AUG. COS. III. P. P. *Figura ſtans, dextrâ pateram, ſiniſtra haſtile tenens.*

Numus, qvo clementiæ Imperatoris litatur â P. R.

4. HADRIANUS AUGUSTUS.

FELICITER. AUG. COS. III. P. P. S. C. *Navis.*

JULIÆ SABINÆ HADRIANI.

SABINA AUGUSTA.

CONCORDIA. Aug. S. C. *Figura ſedens dextrâ pateram tenens.*

ANTONINI PII.

1. ANTONINUS AUGUSTUS P. P. TR. P. COS. III.

SALUS AUG. *Figura ſacrificans.*

2. ANTONINUS PIUS. AUG. P. P. TR. P. COS. III.

JOVI STATORI. *Jupiter ſeminudus ſtans, dextra fulmen ſiniſtrâ haſtam gerens.*

Jovem Statorem, cujus beneficio Imperium conſiſtere Romani crediderant, Antoninus devotè hìc ſollicitat.

3. ANTONINUS. AUG. PIUS. P. P.

TR. POT. COS. IIII. *Roma ſedens dextrâ victoriolam, ſiniſtra haſtam oſtentans.*

4. ANTONINUS AUG. PIUS. P. P. TR. P. XVII.

COS. IV. *Figura ſtolata ſtans, qvæ dextra globum tenet.*

5. ANTONINUS. AUG. PIUS. P. P. IMP. II.

TR. POT. XIX. COS. IIII. *Figura ſtolata ſtans, dextra globum geſtans.*

ANNIÆ FAUSTINÆ PII.

Pii eſſe dicebatur, qvòd Antonini Pii uxor extiterit.

1. FAVSTINA AVGVSTA. *Caput Fauſtinæ.*

FECVNDITATI AVGVSTÆ. *Mulier cum tribus Puerulis.*

2. DIVA FAVSTINA.

AVGVSTA. S. C. *Figura ſtans.*

3. DIVA FAVSTINA. *Figura ſtans.*

ÆTERNITAS. S. C. *Figura ſtans.*

L. SEPTIMII SEVERI.

IMP. SEVERVS.

VIRTVS AVGVSTA.

Imp. Severi numi ex auro alibi vix obvii ſunt.

M. AU-

M. AUREL. ANTONINI ELAGABALI.

IMP. ANTONINUS PIUS AUG.

INVICTUS SACERDOS AUG. *Figura ſacrificans.*

Ex Phœnicum lingvâ Antoninus hic Elagabalus dictus, à ſacerdotio ſolis qvem Syri Elagabalum vocant, teste Herodiano. Sacerdos ſolis erat, qvem titulum, novo hoc Deo Romam allato, ſemper ſervavit, cujus & *invictus Sacerdos* dictus eſt & cultor fuit conſtans. Vide *Lamprid. in Eliogabalo.*

P. LICINII VALERIANI.

DN. P. LIC. VALERIANUS. P. MAX.

VICTORIA AUGUSTA. *Figura ſedens cum cruce.*

Valeriani numi ex auro inter rariores cenſentur.

L. DOMITII AURELIANI.

IMP. C. AURELIANUS.

VIRTUS ILLYRICA. *Miles.*

FLAVII VALENTINIANI.

DN. VALENTINIANUS P. F. AUG.

RESTITUTOR REIPUBLICÆ * ANT Γ. *Imperator paludatus ſtans, dextrâ labarum ſiniſtra globum cum victoriâ geſtans.*

Numus, qvi Antiochiæ cuſus eſt anno tertio imperii Valentiniani, qvemadmodum literæ Ant. Γ. indicant.

FL. ARCADII.

DN. ARCADIUS P. F. AUG.

VICTORIA AUGG. CON. OB. *Imperator ſtans dextra labarum, ſiniſtrâ Victoriolam tenens, ſiniſtro pedem captivum conculcans.*

Numus eſt, Con. Ob. i. e. Conſtantinopoli obſignatus poſt Scythas Grotungos devictos.

FL. HONORII.

DN. HONORIUS. P. F. AUG.

VICTORIA AUGG. CON. OB. *Figura militaris, ut in numiſmate Arcadii.*

FL. THEODOSII JUNIORIS.

DN. THEODOSIUS P. F. AUG.

VOT. XXX. MULT. XXXX. CON. OB. *Mulier galeata ſedens dextra globum crucigerum, ſiniſtra Rhabdum tenens & ſiniſtrum pedem navis roſtro imponens.*

FL.

FL. MARCIANI.

MARCIANUS P. F. AUG.

- - - - TERRARUM TESOR. *Imp. alterâ manu crucem, altera signum militare tenens.*

FL. ZENONIS ISAURICI.

DN. ZENO. PERP. AUG.

VICTORIA. AUGGG. I. CON. OB. *Victoria alata, coronâ radiatâ, dextrâ crucem gerens.*

FL. ANASTASII DICORI.

DN. ANASTASIUS P. F. AUG.

VICTORIA. AUGGG. CON. OB. *Victoria stans dextra crucem tenens, ad latus stella conspicitur.*

NUMISMATA ROMANA ARGENTEA.

C. JULII CÆSARIS.

1. CÆSAR. *Caput Julii cum lituo, auguratûs signo.*

ÆGYPTO CAPTA. *Crocodilus, Ægypti typus.*

2. CÆSAR. *Caput Cæsaris laureatum cum lituo.*

Figura stans, caput inclinans, dextrâ victoriolam, sinistra hastam gerens.

3. JULII *Caput laureatum:* S. C.

SEMPRONIUS GRACCUS. *Aqvila cum signis militaribus.*

AUGUSTI.

1. CÆSAR AUGUSTUS.

DIVUS JULIUS. *Stella Crinita.*

Occiso Cæsare, 7 diebus continuis cometa fulsit, qvem Cæsari jam consecrato sacrum dixit populus Romanus, ex qvo Augustus statuam Cæsaris æream cum stellâ supra caput in Templo Veneris erexit.

2. *Augusti Caput sine inscriptione.*

IMP. CÆS. DIVI. F. *Clypeus in medio numo.*

3. IMP. CÆSAR DIVI JULI. F. *Caput Augusti.*

M. AGRIPPA COS. DESIG. *In medio numo.*

M. Agrippa an. V. C. 716. Consul anni seqventis designatus est. Numus hic argenteus inter rarissimos meritò refertur.

4. IMP. CÆSAR DIVI F. IIIVIR ITER. R. P. C. *Caput Aug.*

COS. ITER. ET TER. DESIG. *Templum cum inscript:* DIVO JUL. *Et Ara accensa, ad qvam figura stans, dextra lituum gestat.*

4. AUGU-

5. AUGUSTI *Caput ſine inſcriptione.*

IMP. CÆSAR· *Columna roſtrata, cui figura inſtat, dextra haſtam, ſiniſtra parazonium tenens. De columna hac, cui ſtatua Auguſti aurea impoſita fuit, Appianus videatur lib. 5.*

6. AUGUSTI *Caput.*

Arcus triumphalis, ſupra qvem Qvadrigæ cum auriga. infra: IMP. CÆSAR.

7. CÆSAR. IMP. VII.

ASIA RECEPTA. *Victoria ſtans ſuper aram duos ſerpentes ad latera habens, Aſiæ typos.*

8. AUGUSTI *Caput cum inſcriptione.*

OB CIVES SERVATOS.

Corona qverna cum lemniſcis.

S. P. Q. R. Poſt reſtitutam ab Auguſto urbem & cives ſervatos coronâ hâc civicâ gratiſſimum Auguſto animum teſtatus eſt.

9. CÆSAR AUGUSTUS. *Auguſti Caput. Duo rami lauri erecti.*

10. SALUS GENERIS HUMANI. *Figura dextrâ globum, ſiniſtrâ lauream gerens.*

Corona Civica S. P. Q. R.

Salutem generi humano partam ac ſtabilitam pietate & imperio Auguſti pars numi antica deſignat.

11. AUGVSTVS COS. XI.

M. AGRIP. COS. TER. COSSUS LENTULUS. *Caput Agrippæ turritum.*

12. CÆSAR AUGUSTUS. *Caput Aug.*

SIGNIS RECEPTIS. *Figura militaris dextra Aqvilam, ſiniſtra ſignum militare gerens.*

Numus eſt maximi typi, qvem raritati juncta elegantia commendat.

13. CÆSAR AUGUSTUS. *Caput Aug.*

SIGNIS RECEPTIS. S. P. Q. R. *Aqvila & ſignum militare, ſcutum rotundum in medio, in qvo:* C. L. V.

Cum Auguſtus A. U. C. 734. Aſiam adiiſſet, tantum Parthis terrorem incuſſit, ut *ſigna* & Cives L. Canidio Craſſo qvondam ereptos ultrò reſtituerint. Hinc fortè in ſcuto numi C. L. V. Cæſarem Libertatis Vindicem indicant.

14. AUGUSTUS DIVI F. *Caput Aug.*

IMP. X. SICIL. *Figura ſtans dextra haſtam, ſiniſtra arcum tenens, cum cane ad pedes.*

15. - - - - AUGUSTUS. *Caput Augusti.*

IMP. X. *Taurus cornu petens.*

16. DIVI F. *Caput Aug. laureatum.*

IMP. XI. *Figura stolata stans.*

17. AUGUSTI. *Caput sine inscriptione.*

AUGUSTUS. *Signum Capricorni cum globo, temone & cornucopiæ.*

Tantam Fati fiduciam Augustus habuit, ut thema suum vulgaverit, numumq; argenteum capricorni notâ percusserit, sub qvo signo cœlesti natus erat. *Sueton. in Aug.*

18. AUGUSTUS DIVI F. *Caput Aug. laureatum.*

IMP. XI. *Signum Capricorni cum globo.*

Iterum ob felices Augusti sub Capricorni signo natales.

19. CÆSAR AUGUSTUS DIVI F.

PONTIF. MAXIM. *Figura sedens dextrâ hastam puram, sinistrâ ramum tenens.*

20. CÆSAR AUGUSTVS DIVI F. PATER PATRIÆ. *Caput Aug. Laur.*

- - CÆSARES AUGUST. F. COS. DESIG. PRINC. JUVENT.

Duæ figuræ Caji, & Lucii togati, clypeis assistentes cum hastis puris & signis Pontificalibus & Auguralibus.

21. AUGUSTVS. *Caput Aug. Laur.*

MART. ULTO. *Templum Martis cum aqvila, & utrinq; signa militaria.*

Icon templi Martis Ultoris in Capitolio ab Augusto extructi. Caussa fuit restitutio signorum militarium â Parthis anno V. C. 734. *Dio. lib. 54.*

22. AUGUSTVS DIVI F.

C. CÆSAR. AVG. F. *Figura Caji eqvestris cum tribus signis militaribus.*

Numus Caji est, Agrippæ & Juliæ filii, qvi ab Augusto Avo adoptatus Cæsar & Augusti filius in facie numi posticâ dicitur A. V. C. 737.

23. AUGVSTI *Caput.*

Mausoléum Augusti.

24. DIVUS AUGUSTVS.

Figura eqvestris cum tribus signis militaribus.

Augustus Divus appellatur, postqvam consecratus esset, Flaminesq; ei designati.

TIBERII.

1. TI. CÆSAR DIV. AVG. F. AUGUSTUS.

IMP.

IMP. VII. TR. POT. XVII. *Qvadrigæ.*

2. TI. CLAUD. CÆSAR. AUG. GERM. P. M. TRI. POT. - - - -
S. P. Q. R. P. P. OB. C. S. *Corona qverna.*

3. TI. CÆSAR DIVI AUG. F. AUGUST.
PONTIF. MAXIM. *Figura sedens dextrâ hastam, sinistrâ ramum tenens.*

DRUSI, TIBERII EX AGRIPPINA F.

- - - DRUSUS. - - - - - *Caput Drusi.*
Simpulum, Lituus. Libationis in sacrificiis & auguratus signa.

GERMANICI.

GERMAN IMP.

CONCORD. P. R. *Figura sedens.*

Germanicus Drusi filius, â Tiberio adoptatus, victis cum Batone Dalmatis IMP. dicitur.

CAJI CALIGULÆ.

Numi Caligulæ ex argento inter rariores censentur.

1. C. CÆSAR. AUG. GERM. P. M. TR. POT. COS.
Caput Augusti cum coronâ radiatâ & duabus stellis.

Memoriam Proavi numo hoc Caligula inculcat, cùm templum ejus â Tiberio inchoatum dicasset. Augustum itaq; coronâ coruscantem ponit inter Divos relatum. Sidera avum Drusum & Germanicum patrem denotare nonnulli volunt, tanqvam stirpe divinâ ortos.

2 C. CÆS. AUG. GERM. P. M. TR. P. *Caput Caligulæ.*
GERMANICUS CÆS. P. C. CÆS. AUG. GERM. *Caput Germanici.*

Caligulæ qvoq; pietatem erga patrem numus hic, qvi eximiæ raritatis & elegantiæ est, commendat.

3. C. CÆSAR. AUG. PONT. M. TR. POT.
Corona Civica, in qva S. P. Q. R. P. P. OB. C. S.

Numo hoc S. P. Q. R. Caligulæ adulatur, cùm nullum bellum gesserit, qvo cives servasse dicitur, aut tanqvam pater patriæ curam paternam impendit.

JULIÆ AGRIPPINÆ GERMANICI.

AGRIPPINA MAT. C. CÆS. AUG. GERM. *Caput Agrippinæ.*

C. CÆS. AUG. PON. M. TR. POT. III. COS. III. *Caji facies.*

Caligula, collectis ex insulâ Pandataria Agrippinæ Matris cineribus & in urnam conditis, ludos ipsi Circenses instituit & in carpento imaginem ipsius inter divos relatæ à mulis trahi mandavit. Hinc & memoriam ejus per numum hunc restituit.

CLAUDII.

TI. CLAUDIUS CÆS. AUG. GERM. *Caput Claudij.*

AGRIPPINÆ AUGUSTÆ. *Caput Agrippinæ.*

Agrippina secunda Claudii uxor, Augustæ nomen impetravit. Sic enim â Claudio appellata est qvi iconem ejus primus inter Imperatores in numis aureis argenteisq; cælavit absq; S. C. Senatus qvippe juris sui admodum tenax fœminis principibus sub Domîtiano tantùm numos cudere incepit. *Vaillant Tom. 2. Numism. Rom. pag. 57 & 63.*

NERONIS.

1. NERO CÆSAR AUG.

VESTA. *Templum Vestæ rotundum.*

Numus hic Vestæ templum, qvod igne consumptum fuerat, iterum restauratum indicat.

2. SALUS. *Dea salus insidens subsellio, in dextra pateram habens, qvæ Numinis argumentum est.*

3. JUPITER CUSTOS. *Jupiter insidens subsellio cum fulmine in dextra.*

Nero â conjurationis Pisonianæ periculo liberatus Jovi Custodi numum hunc consecrare voluit, qvemadmodum in numo præcedente Deæ Saluti litavit.

4. NERO CLAUDIUS DIVI F. CÆS. AUG. GERM. IMP. TR. POT. COS. *Facies Neronis & Agrippinæ.*

AGRIPP. AUG. DIVI CLAUD. NERONIS CÆS. MATER. EX. S. C. *Qvadrigæ Elephantorum, qvibus Nero & Agrippina insident, signum militare tenentes.*

Numo huic lucem fœneratur *Suetonius in Neron. Matri,* inqvit, *summam omnium rerum publicarum privatarumq; permisit, & ejusdem sæpe lectica per publicum simul vectus est.*

5. IMP. NERO CLAUD. CÆS. AUG. GERM.
TR. P. III. P. P. D. CUR. *Figura eqvestris hominem supplantans.*

6. NERO CÆS. AUGUSTUS.

Duo signa militaria & Aqvila.

7. NERO CÆS. AUG. IMP.

PONTIF. MAX. TR. P. VIII. COS. IV. P. P. EX. S. C. *Figura muliebris hastam tenens & papaver.*

SER-

SERVII SULPICII GALBÆ.

1. IMP. SER. GALBA CÆSAR AUG. P. M.

DIVA AUGUSTA. *Figura ſtolata ſtans, dextrâ pateram, ſiniſtrâ haſtam tenens.*

In honorem Liviæ, qvæ & Julia Auguſta vocabatur, in Juliam familiam adoptatæ teſtamento Auguſti numus hic â Galba percusſus eſt. Stola, patera & haſta numinis Liviæ typum repræſentant, cujus ope ad aulam imperatoriam Galba pervenit, qvemadmodum de eo Svetonius refert.

2. IMP. GALBA AUG.

S. P. Q. R. OB. C. S. *In corona qvercea.*

M. SALVII OTHONIS.

Numi ejus ex argento haud pasſim obvii ſunt.

1. IMP. OTHO CÆSAR AUG. TR. P.

PONT. MAX. *Figura ſtans, ſiniſtrâ cornucopiæ tenens, dextrâ ſertum.*

2. SECURITAS. P. R. *Figura dextra ſertum, ſiniſtra haſtam tenens.*

3. PAX ORBIS TERRARUM. *Figura ſtans dextrâ ramum, ſiniſtra caduceum tenens.*

Sarmatis represſis, licet bellum civile contra Vitellianos inſtaret, numum ſignari voluit cum inſcriptione: *Pax orbis terrarum*, qvi munia imperii ut in multa pace, teſte *Tacito*, obibat.

AULI VITELLII.

1. A. VITELLIUS GERMAN. IMP. TR. P.

XV. VIR. SAC. FAC. *Tripus cum Delphino & corvo.*

Vitellium *Sacerdotiis amplisſimis auctum, præter Suetonium, numus hic indicat. Unus ex XV viris* fuit, qvi Apollini *ſacra faciebant*, Qvemadmodum et *Tripus, corvus* & *Delphinus* Numini huic conſecrati fuêre, in numo exſtantes.

2. CONCORDIA P. R. *Figura ſedens dextra pateram, ſiniſtra cornucopiæ tenens.*

Concordiam Populi Romani in deſignando Vitellio poſt mortem Othonis Senatus hoc numo deprædicat.

3. A. VITELLIUS IMP. GERMAN.

FIDES EXERCITUUM. *Duæ dextræ junctæ.*

Nexus manuum fidem fœdusq; denotat, utriusq; exercitus Germanici, qvem contra Othonem Vitellius duxit. Germanicus exinde dictus eſt Imperator, Auguſti nomine nondum asſumpto. *Sveton. in Vitell. c. 7. & 8.*

4. A. VITELLIUS GERM. IMP. TR. P.

Figura alata ſedens, dextra pateram, ſiniſtrâ haſtam gerens.

FL. VESPASIANI.

1. IMP. CÆS. VESP. AUG. P. M.

TR. POT. *Veſta ſedens, dextra tenens capeduncul am.*

Vestæ delubro â Vespasiano qvoq; instaurato, sacra huic Numini peracta fuisse, Vesta in numo hoc sedens cum capeduncula fortè indicat.

2. VICTORIA AUGUSTI. *Victoriola*.

Victoria est, qva, protritis ac debellatis Iudæis, Vespasianus potitus est.

3. TR. P. II. COS. III. *Figura stans dextra lancem, sinistra hastam gerens.*

4. TR. P. COSS. TER. *Figura sedens dextra ramum, sinistra Caduceum tenens.*

5. *Figura militaris trophæum gestans.*

6. IMP. CÆSAR. VESPASIANUS. AUG.

JUDÆA. *Judæa capta ad trophæum sedens.*

Numus est, qvi Judæam sub Nerone rebellem jam â Vespasiano captam fuisse indicat.

7. IMP. CÆS. VESP. AUG. P. M. COS. III.

Figura stans dextra rostrum navis, sinistra cornucopiæ apprehendens.

8. IMP. CÆS. VESP. AUG.

PACI ORBIS TERRARUM. *Caput cum corona*.

Caput coronatum Deæ Pacis effigiem esse, Antiqvarii censent, cujus templum a Claudio inchoatum Vespasianus absolvit. In delubro hoc recondita fuêre spolia templi Hierosolymitani, à Tito F. Romam allata, teste Hieronymo.

9. IMP. CÆS. VESP. AUG. P. M. COS. IV.

CONCORDIA AUG. *Figura sedens dextra pateram, sinistra cornucopiæ gestans.*

10. IMP. CÆS. VESP. AUG. P. M. COS IV. CENS.

SALUS AUG. *Figura sedens dextra pateram tenens.*

11. IMP. CÆS. VESP. AUG. P. M. COSS. IIII.

VICTORIA AUGUSTA. *Victoria stans, dextra signa militaria tenens.*

Numi diversi de victoriis & triumphis, qvos Vespasianus uterq; in Judæa obtinuit, percussi sunt.

12. IMP. CÆS. VESP. AUG. P. M. COS. IV.

AUGUR. TRI. POT *Lituus, Simpulum, Capeduncula, Aspergillum, qvæ signa sunt Pontificatûs & auguratûs.*

13. IMP. CÆSAR. VESPASIANUS AUGUSTUS.

PONT. MAX. TR. P. COS. V. *Caduceus alatus, Felicitatis & pacis insigne.*

14. IMP. CÆS. VESPASIAN. AUG.

PON. MAX. TR. P. COS. VI. *Figura sedens.*

15. IMP. CÆSAR. VESPASIANUS AUG.

COS. VII. *Aqvila insistens cippo, alas expansas habens.*

Aqvila,

Aqvila, Imperii Romani insigne in variis provinciarum urbibus hinc inde obvium.

16. COS. VIII. *Bos & vacca sub jugo.*

Boves jugati, coloniarum mancipiorumq; typi, fertilitatem terræ pacemq; Principis beneficiô partam innuere videntur.

17. CÆS. VESPASIANUS. AVG.

IMP. XIX. *Scrofa cum suculis.*

In contumeliam Judaicæ gentis Scrofa hæc cum suculis efficta est, â qva Judæi abhorrent. Effigiem ejus Hadrianus in portâ Hierosolymæ sculpi curavit.

18. IMP. CÆS. VESP. AVG. P. M.

TR. P. X. *Figura stans dextra temonem, sinistra cornucopiæ gestans.*

Temone navem regente & cornucopiæ abundante numus Principem designat, utilitati publicæ intentum populisq; imperantem.

19. DIVUS VESPASIANUS AUGVSTUS. *Duo Capricorni cum globo in medio.*

Aut ad consecrationem Vespasiani, aut ad dictum ejusdem paulò ante mortem referendum hunc numum esse antiqvarii censent: Ipse qvippe moriturus dixit *Ego DEVS efficiar.* Numum verò cum capricorno & globo paulò ante mortem ipsius cusum inspicere adhuc licet.

TITI.

1. IMP. TITUS. CÆS. VESPASIAN. AVG. P. M.

T. R. P. VIIII. IMP. XIV. COS. VII. P. P. *Qvadrigæ ducentes currum, in qvo flos qvidam conspicitur.*

Pro Tito in curru hic flosculus ponitur, qvem Dea Spes solita est gerere. Spem qvippe omnem Respublica in Titi victricibus armis hìc collocavit, ob victoriam de Judæis reportatam.

2. IMP. CÆS. VESP. AVG. CENS.

PONTIF. MAXIM. *Figura sedens dextra hastam, sinistrâ ramum tenens.*

Mortuo Vespasiano, Pontificatus Maximi dignitas Imperatoribus perpetua in Titum qvoq; transfertur.

3. IMP. TITUS CÆS. VESPASIAN. AVG. P. M.

TR. P.IX. IMP. XV. COS .VIII. P. P. *Tripus, supra qvem Delphin.*

4. JUDÆ - - - *Judæa sedens ad trophæum.*

Judæorum urbes F. Vespasianus expugnasse dicitur, exceptâ Hierosolymâ, qvam Titus hic cepit & incendit, qvi & Vespasianus dictus. *Sueton. C. 5.*

5. IMP. TITUS CÆSAR VESPASIANUS AVG. P. M.

TR. POT. IMP. XV. COS. VIII P. P. *Elephas.*

6. IMP.

6. IMP. TIT. CÆS. VESPASIANUS AUG. P. M.

TR. P. IX. I. M. P. XV. COS. VIII. P. P. *Sella curulis cum corona.*

7. IMP. TITUS. CÆS. VESPASIAN. AUG. P. M.

TR. P. IX IMP. XV. COS. VIII. P P. *Duæ sellæ curules, laurea ornatæ.*

8. IMP. TITUS. CÆS. VESP. AVG. *Ara supra qvam fulmen.*

Aræ fulmen, imperii symbolum, impositum esse in memoriam Fl. Vespasiani numus denotat. In signum enim reverentiæ summæ erga Divum Vespasianum in templo ara hæc ponebatur.

9. T. CÆSAR. IMP. VESPASIANUS.

MARS VICTOR S. C. *Miles gradiens, dextra victoriolam, sinistra tropbæum gerens.*

Ad victoriam de Germanis â Tito reportatam antiqvarii numum hunc referunt. Victoriæ hujus vestigia plura in Svetonio occurrunt.

10. T. CÆSAR VESPASIANUS.

ANNONA AUG. *Figura sedens dextra Victoriolam tenens.*

Curam Imperatoris hujus circa Annonam numus hic post victoriam partam laudibus extollit.

11. CÆSAR VESPASIANUS AUG.

CÆSAR AUG. F. COS. CÆSAR. AUG. F. P. R. *Duo capita.*

JULIÆ.

1. JULIA TITI IMP. FL.

Qvinqve figuræ.

Filia Titi Vespasiani qvam Martia genuit marito Sabino, â patruo Domitiano abducta, ut matrimonio ejus potiretur.

DOMITIANI.

1. CÆS. AUG. F. DOMIT. COS. II.

Figura Eqvestris habitu pacificatoris.

2. CÆS. AUG. F. DOMITIANVS. AUGUR. PONT.

COS. IIII. *Pegasus*

3. DOMITIANVS AVG. F.

Pegasus.

4. DOMITIANVS COS. VII. CÆSAR DIVI F.

PRINCIPI JUVENTUTIS. *Ara lemniscata cum spicis.*

Princeps Juventutis factus, spem imperii Domitianus nactus est. Principis qvippe Juventutis dignitas in eos, qvos Imperatores sibi successores destinabant, primùm ab Augusto translata est.

5. IMP.

5. IMP. CÆSAR DOMITIANUS AUG.

TR. P. CÆS. VII. *Templum.*

Ædes Jovi conservatori in Capitolio á Domitiano excitatæ. Vid. *Sueton. in Domitiano.*

6. IMP. CÆS DOMITIANUS AUG. P. M.

TR. P. COS, VII. DESIGN. VIII. *Anchora cum delphino.*

7. IMP. CÆSAR DOMITIANUS AUG. P. M.

Jupiter Conservator. *Aqvila insistens fulmini.*

Aqvila, Jovis ales, fulguri innixa Jovem designat, cui Domitianum Romani qvoq; comparabant.

8. IMP. CÆS. DOMITIAN. AUG. GERMANICUS.

P. M. TR. P. IV. IMP. VIII. COS. XI P. P. *Victoria sedens, dextrâ lauream, sinistrâ palmam tenens.*

Domitianus de Germanis triumphans cognomen Germanici hîc assumpsisse videtur, qvemadmodum & in numis seqventibns.

9. IMP. CÆS. DOMIT. AUG. GERM. P. M. TR. P. VII.

IMP. XIV. COS. XIIII. CENS. P. P. P. *Pallas armata stans, dextrâ fulmen gerens, sinistra pileum cum clypeo ad pedes.*

10. IMP. CÆSAR. DOMIT. AUG. GERM. P. M. TR. P. XII.

IMP. XXII. COS. XVI. CENS. P. P. P. *Pallas dextra elata cum jaculo, sinistra scutum gestans.*

11. IMP. CÆSAR. DOMIT. AUG. GERM. P. M. TR. P. XIIII.

IMP. XXII. COS. XVII. CENS. P P P. *Figura stans in prorâ navis, sinistrâ clypeum tenens, dextra elatâ cum jaculo.*

12. IMP. CÆS. DOMIT. AUG. GERM. P. M. TR. P. XIII.

IMP. XXII. COS. XVII. CENS. *P. P. P.*

NERVÆ.

1. IMP. NERVA CÆS. AUG. P. M. TR. P. COS. II. P. P.

Libertas Publica. *Figura stolata stans, dextra pileum, sinistra hastam tenens.*

Pileum Libertatis signum seu potius Libertatem ipsam in numo hoc apponi curavit S. P. Q. R. occiso Domitiano, in Libertatem sub optimo Principe Nerva vindicatus.

2. Concordia Exercituum. *Manus junctæ cum vexillo & prora navis.*

3. Fortuna Aug. *Figura stolata stans, dextra temonem, sinistra cornucopiæ gerens.*

4. IMP. NERVA CÆS. AUG. P. M. TR. POT.

COS. III. PATER PATRIÆ P. P. *Simpulum, Capeduncula, Lituus, Aspergillum.*

Victoriâ Pannonicâ reportatâ, Trajanus â Nervâ adoptatus, & Nerva Pater Patriæ dictus est.

5. IMP. NERVA CÆS. AUG. P. M. TR. P. COS. IIII.

Æqvitas August. *Justitia cum bilance & cornucopiæ.*

Concordia exercituum, fortuna & æqvitas, Romanorum felicitatem sub Imperatore hoc testantur.

TRAJANI.

1. IMP. CÆS. NERVA TRAJAN. AUG.GERM.

P. M. TR. P. COS. II. P. P. *Figura sedens, dextrâ pateram, sinistrâ cornucopiæ tenens.*

Ob bellum feliciter qvoq; in Germaniâ gestum Germanici nomen tulit primùmq; optimus Princeps appellatus est.

2. IMP. CÆS. NERVA TRAJAN. AUG. GERM.

PONT. MAX. TR. POT. COS. II. *Figura stans, sinistrâ cornucopiæ tenens & dextram elevans.*

3. IMP. CÆS. NERVA TRAJAN. AUG. GER.

PONT. MAX. TR. P. COS. II. *Figura sedens cum cornucopiæ in sinu, dextrâ pilum elevans.*

4. IMP. CÆS. NERVA TRAJAN. AUG. GERM.

P. M. TR. P. - - COS. IV. P. P. *Victoria gradiens, dextrâ lauream tenens.*

Decebalus, Dacorum Rex, victus â Trajano.

5. IMP. CÆS. NERVA TRAJAN. AUG. GERM.

P. M. TR. P. COS. IIII. P. P. *Figura nuda stans cum laciniâ supra sinistrum brachium. videtur figura Herculis.*

6. IMP. TRAJANO AUG. GER. DAC. P. M. TR. P.

COS. V. P. P. S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI. *Figura sedens, dextra victoriolam sinistra hastam tenens.*

Pace cum Decebali Legatis Romæ â Senatu firmatâ, Trajanus primùm de Dacis triumphans Dacicus dictus est. COS. IV.

7. IMP. TRAJANO AUG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. V. P. P.

S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI. *Figura stans dextrâ ramum, sinistrâ baculum tenens, ad pedes Struthio.*

8. IMP. TRAJANO AUG. GER. DAC. P. M. TR. P.

COS. V. P. P. S. P. Q. R. OPTIMO PRINC. *Trophæum de Dacis.*

In honorem ejus, qvem optimum Principem S. P. Q. R. judicavit, trophæa omnisq; generis signa in numis his exstant, bonorum omnium proventum indicantia.

9. IMP. TRAJANO AUG. GER. DAC. TR. P.

COS. V. P. P. S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI. *Figura seminuda, dextrâ lauream, Sinistrâ palmam tenens.*

10. *Victo-*

10. *Victoria gradiens, dextrâ lauream, ſiniſtrâ palmam gerens cum globo ad pedes.*

11. COS - - - P. P. S. P. Q. R. OPTIMO PRINC.
Victoria dextrâ lauream, ſiniſtrâ palmam gerens.

12. IMP. TRAJANO AUG. GER. DAC. P. M. TR. P.
COS. V. P. P. S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI. *Figura ſedens dextrâ bilancem, ſiniſtrâ cornucopiæ tenens.*

13. IMP. TRAJANO AUG. GER. DAC. P. M. TR. P.
COS. V. P. P. S. P. Q. R. OPTIMO PRINC. *Figura ſedens dextrâ bacillum, ſiniſtrâ cornucopiæ tenens.*

14. IMP. TRAJANO AUG. GER. DAC. TR. P.
COS. V. P. P. S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI. *Trophæum, ante qvod figura qvædam conſpicitur:*

15. IMP. TRAJANO AUG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. V. P. P.
S. P. Q. R. OPTIMO. PRINCIPI. *Figura ſtans dextrâ ſpicas, ſiniſtrâ cornucopiæ tenens.*

16. IMP. CÆS. NER. TRAJANO OPTIMO AUG. GERM. DAC.
P. M. TR. P. COS. VI. P. P. S. P. Q. R. FORT. RED. *Fortuna ſedens, dextrâ temonem, ſiniſtra cornucopiæ tenens:*

Cognomen Optimi â Senatu ſibi decretum anno præcedente V. C. 863. Trajanum admiſiſſe *Mediobarbus* tradit. *Patinus* verò & *Vaillant* poſt Armenios & Parthos devictos *A. V. C.* 868.

17. M. TR. P. COS. VI. P. P. S. P. Q. R. P.
Columna cochlidis Trajani.

Columnam ſuperbiſſimam numus hic repræſentat, qvæ Romæ adhuc extans ab Autore Trajana dicitur. Opus mirabile eſt & omnium totius antiqvitatis integerrimum. *Patinus. Imp. Rom. numiſm. p.* 169 ſingularem ſub omni cœlo ſtructuram & vel numinum conſenſu mirabilem appellat. Trajani hic ſepulta qvoqve oſſa narrantur.

18. IMP. TRAJANO AUG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. VI. P. P.
S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI. ALIM. ITAL. *Figura ſtans ſiniſtrâ cornucopiæ tenens, alia minor ad dextram.*

Alimenta V millibus pueris ingenuis in Italiâ aſſignata *Plinius* in Panegyrico laudibus extollit.

19. IMP. TRAJANO AUG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. VI. P. P.
S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI VIA TRAJANA. *Figura ſedens, dextrâ rotam tenens.*

Trajanus viam Appiam refecit, omnium maximam & celeberrimam & de ſuo nomine Trajanam appellavit, Reginam viarum aliàs dictam. Propter flexus & ambages, rotæ in numo fortè comparatur.

34. IMP. TRAJANUS AUG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. VI. P. P.

DIVUS PATER TRAJANUS. *Figura ſedens dextrâ ſertum tenens, ſiniſtrâ haſtam.*

Memor parentis eximii Trajanus inter Divos à S. C. illum collocari curavit.

35. IMP. CÆS. NER. TRAJAN. OPTIMO AUG. GER. DAC.

PARTICO P. M. TR. COS. P. VI. P. P. S. P. Q. R. PROVID. *Providentiæ typus.*

Armeniâ & Meſopotamiâ Provinciis factis, Parthicus Trajanus A. V. C. 868 dicitur, ut Mediobarbus computat.

36. IMP. CÆS. NER. TRAJAN. OPT. AUG. GER. DAC.

TR. P. COS. VII. P. P. PARTHICO. *Mars Gradivus dextrâ haſtam, ſiniſtrâ ſpolia gerens.*

37. IMP. CÆ. NER. TRAJANO PONT. M. AUG. GERM. DAC. *Figura ſedens dextra pateram, ſiniſtra cornucopiæ tenens.*

HADRIANI.

1. IMP. CÆS. TRAJAN. HADRIANO AUG. DIVI TRA.

PARTH. F. DIVI. NER. NEP. P. M. TR. POT. COS. FORT. RED. *Figura ſedens dextra pateram, ſiniſtra haſtam gerens.*

Numo hoc adoptivorum Patris & Avi nomina Hadrianus aſſumpſit, Filium Trajani & Nervæ nepotem ſe inſcribens. Numus itidem divinos honores indicat, qvos Hadrianus in Urbem veniens per S. C. patri conſtituit.

2. IMP. CÆSAR. TRAJAN HADRIANUS AUG.

P. M. TR. P. COS. II. FORT. RED. *Figura ſedens dextra temonem, ſiniſtra cornucopiæ tenens.*

Fortunæ Reduci numo hoc, qvemadmodum & præcedenti, litatur, ob felicem Hadriani in urbem adventum.

3. HADRIANUS AUG. COS. II. P. P.

Felicitas. *Figura ſedens.*

4. HADRIANUS AUGUSTUS. COS. III.

Figura ſtans ad aram, dextra pateram, ſiniſtra cornucopiæ tenens.

5. HADRIANUS AUGUSTUS P. P.

COS. III. *Inſtrumenta pro Sacrificiis.*

6. HADRIANUS AUGUSTUS. P. P.

COS. III.

7. IMP. CÆSAR. TRAJAN. HADRIANUS AUG.

P. M. TR. P. COS. III. *Figura ſtans dextrâ temonem, ſiniſtrâ haſtam tenens.*

8. HADRIANUS AUG. COS. III. P. P.

Ægyptus. *Figura ſedens, dextra ſiſtrum tenens, lævâ calatho floribus pleno innixâ, ad cujus pedes Ibis.*

Ægyptus ſiſtrum, qvo Iſis colebatur, tenet, innixa calatho, abundantiæ ſymbolo. Ibis ſacra ejus avis extitit, qvam ob ſerpentum adventum Ægyptii invocant. Numus ideò cuſus videtur, qvòd Hadrianus Ægyptum luſtraverit, ex Judæâ veniens.

9. HADRIANUS AUGUSTUS COS. III. P. P.

Hiſpania. *Figura ſedens dextrâ ramum olivæ tenens, ſiniſtrâ rupibus innixa.*

Memoriam peregrinationis Hiſpanicæ Hadriani numus inculcat. Nullus unqvam Imperator feliciùs peregrinatus eſt. Hi qvippe numi, provinciarum, qvas peragrabat, amoris in Principem tenerrimi indices exiſtunt.

10. HADRIANUS AUG. COS. III. P. P.

Reſtitutori Hiſpaniæ. *Figura in genua procumbens cum Cuniculo ab Imp. ſublevatur.*

Qvod de nullo antea Principe dictum eſt, de Hadriano in numo hoc aliisq; inciſum legitur. Singulas ferè Romani Imperii provincias, imò Orbem univerſum, reſtituiſſe in numis dicitur.

11. HADRIANUS AUG. COS. III. P. P.

Pietas Aug. *Figura ſtans ante aram expanſis manibus.*

Romam reverſus in Orientem proficiſcitur, Athenis Jovi Olympico ædem, ſibi verò aram dicans, manibus in numo hoc expanſis.

12. HADRIANUS AUG. COS.

Providentia Aug. S. C. *Figura ſtans, ſiniſtrum brachium ad columnam inclinans cum globo ad pedes.*

Prudentis Imperii Romani Patrisfamilias providentia à S. C. hìc colitur.

13. HADRIANUS AUG. COS. III. P. P.

Moneta Aug. *Figura ſtans, dextrâ bilancem, ſiniſtrâ cornucopiæ tenens.*

14. Salus Aug. *Figura ſtans ante aram, ſiniſtrâ ſceptrum tenens.*

15. Fortunæ Reduci. *Figura ſedens, dextra temonem, ſiniſtra cornucopiæ tenens.*

16. Vota Publica. *Genius ſtans ante aram, dextrâ pateram tenens.*

Pro Hadriano de R. P. bene merito à S. C. vota publica ſuſcipiuntur.

17. Tellus Stabil. *Figura ſtans dextrâ temonem tenens, ad pedes ſpicæ.*

Ad Lacum Fucinum ab Hadriano per antlias exſiccatum antiqvarii numum hunc referunt, & ſpicæ exſurgentes terræ fœcunditatem portendunt.

18. Victoria Aug. *Victoria stans dextrâ ramum tenens.*
Princeps pacificus fuit, qvi bellum haud movit, sed mota compescuit. Bello itaq; Judaico in Palæstinâ sedato, Victoriatus hic cusus videtur.

19. HADRIANUS AUGUSTUS COS. III. *Figura stans, dextra bacillum tenens, sinistra togam colligens. Videtur Hercules cum clave & exuviis.*

20. HADRIANUS AUGUSTUS.
COS. III. *Figura stans, dextrâ aliqvid tenens, sinistra vestem elevans.*

JULIÆ SABINÆ HADRIANI.

1. SABINA AUGUSTA.
Concordia Aug. *Figura stans, dextrâ pateram, sinistra cornucopiæ gerens,*

2. Veneri Genetrici. *Fœmina stans, sinistra globum tenens & dextram elevans.*
Ob fæcunditatem Sabinæ impetrandam Veneri Genetrici litatur. Fœmina qvippe morosa & sterilis extitit, qvam dimissurum se Hadrianus dixit, si privatus fuisset.

3. SABINA AUGUSTA HADRIANI AUGUSTI.
Concordia Aug. *Figura sedens.*

L. ÆLII.

L. Ceconius Commodus Verus appellatus, sed ab Hadriano adoptatus L. Ælius Verus, ex cujus genitura Hadrianus verè prædixit: Ostendent terris hunc tantùm fata, neq; ultra esse sinent. Artibus Mathematicis illum inclaruisse Scriptores referunt.

1. L. ÆLIUS CÆSAR.
TA. P. COS. II. PIETAS. *Pietatis typus dextram elevantis inter aram.*

TITI ÆLII HADRIANI ANTONINI PII.

Sic ab Hadriano adoptatus vocatur, antea T. Aurelius Fulvus.

1. ANTONINUS AUG. PIUS. *P. P.*
TRIB. POT. COS. *Figura sinistra cornucopiæ tenens.*
Augustus & Pius â Senatu appellatus est, qvòd initio Principatus neminem supplicio affecerit. A rebus qvippe talibus Principatus exordium fieri indecorum existimavit.

2. ANTONINUS AUG. PIUS. P. P. TR. P. COS. II. *Caput Antonini laureatum.*
AURELIUS CÆSAR AUG. PII. F. COS. *Caput Aurelii sine Laureâ.*

In

In Consulatu secundo Antonini pro Annio Aurelius vocari cœpit, qvo anno adoptatus ab Antonino Pio, jussu Hadriani, Cæsar pronunciatus est. Ideò in aversâ numi parte sine laureâ exhibetur.

3. ANTONINUS AUG. PIUS *P. P.* TR. *P.* COS. III.

ÆQVITAS AUG. *Figura stans dextrâ bilancem, sinistrâ hastam tenens.*

Numus, qvi Principis æqvitatem extollit. Suo qvippe contentus, re alienâ abstinens vixisse dicitur& unicuiq; jus publicè qvoq; reddere allaborasse.

4. AURELIUS CÆSAR AUG. PII F. COS. *Caput Aurelii.*

ANTONINUS AUG. PIUS P. P. TR. P. COS. III. *Caput Antonini Pii.*

5. ANTONINUS AUGUSTUS.

VIRT. AUG. *Figura militaris stans, sinistrâ hastam, dextrâ victoriolam tenens.*

Virtus bellica Antonini his numis laudatur, victoriâ Britannicâ per Lollium Urbicum Legatum partâ, teste Capitolino.

6. COS. III. *Qvadriga cum insidente Imperatore, dextrâ aqvilam consularem tenente. Ante Imperatorem duo pueruli stantes.*

Occoni qvadriga triumphalis est, aliis verò consularis rectiùs dicitur.

7. COS. IIII. *Manus junctæ cum caduceo & duabus spicis.*

8. ANTONINUS AUG. PIUS *P. P.*

COS. IIII. *Figura stans, sinistrâ cornucopiæ, dextrâ ligonem gerens.*

Antoninum, qvi diligens fuit agrorum cultor, numus hic designat.

9. ANTONINUS AUG. PIUS. *P. P.* TR *P.* XXII.

TEMPLUM DIVI AUG. REST. COS. IIII. *Templum octo columnarum cum binis idolis.*

De restitutione hâc non nisi per numos notitia affertur, qvi historiæ magnam hìc affundunt lucem. Restitutio autem templi illius esse censetur, qvod Augusto simul & Romæ dicatum erat, ob idola bina memorata, qvæ in numo signantur.

10. ANTONINUS AUG. PIUS *P. P.* TR. *P.* XXII.

COS. IIII. *Figura stans dextrâ capedunculam, sinistrâ securem tenens.*

11. DIVUS ANTONINUS.

DIVO PIO. *Ara.*

12. CONSECRATIO. *Mausoleum.*

Duo præcedentes Antonini Pii consecrationem denotant, qvi, teste *Capitolino*, cum jucunditate Divus est appellatus, cunctis certatim adnitentibus.

13. ANTONINUS. - - - - -

TR. PO. - - *Figura stans dextrâ vexillum, sinistra cornucopiæ tenens.*

AN-

ANNIÆ FAUSTINÆ MATRIS.

Uxor Antonini tertio ipſius imperii anno moritur. Mater dicitur, Fauſtinam qvoq; habens filiam, M. Antonini Philoſophi uxorem.

1. DIVA FAUSTINA.

Æternitas. *Figura ſtans dextrâ globum tenens, ſiniſtrâ velum ſuper caput expandens.*

Velum divinitatis indicium, Auguſtæ capiti, jam conſecratæ, appoſitum.

2. AUGUSTA. *Figura ſtans dextrâ haſtam, ſiniſtrâ ſpicas tenens.*

3. ÆTERNITAS. *Figura ſtans dextrâ globum, ſiniſtrâ temonem habens.*

Fauſtina, cum inter DEos relata eſſet, æterna habita eſt.

4. AUGUSTA. *Figura tenens haſtam geniculatam.*

5. *Figura dextrâ facem, ſiniſtrâ bacillum tenens.*

6. *Figura asſiſtens aræ ſacrificantis ritu.*

7. FAUSTINA AUGUSTA.

JUNONI SACER. *Pavo.*

Auguſtarum animas a Pavone, Junonis alite, in cælum translatas eſſe antiqvitas Romana credidit. Unde in numo hoc Pavo conſecrationem Auguſtæ deſignat.

8. DIVA FAUSTINA.

AUGUSTA. *Figura ſtans dextrâ ſpicas, ſiniſtrâ haſtam tenens.*

Fauſtina Cereris habitu hìc exprimitur. Ceres enim frugifera à S. C. in numis qvibusdam dicitur.

9. *Figura ſtans dextrâ haſtam, ſiniſtrâ ſpicas tenens.*

10. DIVA FAUSTINA PIA.

Conſecratio. *Templum, in qvo Fauſtina ſedens.*

Templum Fauſtinæ, ab Antonino Pio exſtructum, in regionis qvartæ viâ ſacrâ Romæ etiamnum viſitur.

M. AURELII VERI ANTONINI PHILOSOPHI.

1. AURELIUS CÆSAR PII. F. COS.

Pietas Aug. *Signa Pontificalia.*

Pietas Auguſti etiam in numis aliis à S. C. deprædicatur.

2. AURELIUS CÆSAR AUG.

COS. II. *Figura ſtans dextrâ ſpicas, ſiniſtrâ cornucopiæ tenens.*

Omnium rerum abundantiam & pacem exoptatam Aurelii COS II numi hieroglyphica indicant.

3. IMP. M. ANTONINUS AUG.

PROV.

PROV. DEOR. TR. P. XVII. COS. III. *Figura stans dextra globum, sinistrâ cornucopiæ tenens.*

Anno U. C 914, Christi 161, in Aurelii consulatu Antoninus Pius mortuus est. Hinc numus providentiâ Deorum Aurelio soli imperium delatum fuisse indicat. Numus talis Romæ etiam percussus invenitur, urbem Tiberi inundante, TR. P. XVI. COS. III.

4. CONCORD. AUG. TR. P. XVII. COS. III. *Figura sedens dextrâ pateram, sinistrâ sellæ incumbens, cum cornucopiæ.*

Adscito L Annio Vero ad imperii partem Augustorum & Augusti Concordia in hoc aliisqve numis à S. C. prædicatur.

5. ANTONINUS AUG. ARMENIACUS.

IMP. II. COS. III. ARMEN. *Armenia captiva sedens.*

Vologese Parthorum Rege per Cassium devicto M. Aurelius Armeniacus dicitur.

6. ANTONINUS AUG. ARMENIACUS.

IMP. II. COS. III. *Figura stolata stans, dextrâ caduceum, sinistrâ cornucopiæ tenens.*

7. M. ANTONINUS AUG. TR. P. XXIII.

FORT. RED. COS. III. *Figura sedens dextrâ temonem, sinistrâ cornucopiæ tenens.*

Senatus Fortunæ Reduci votum suscipere solebat, Imperatore proficiscente ac in Urbem redeunte. Et qvemadmodum hic ob Aurelii cum L. Vero in Germaniam abitum, sic & ob Hadriani in Urbem adventum Fortunæ Reduci votum susceptum & numi sculpti reperiuntur.

8. DIVUS ANTONINUS PIUS.

Consecratio. *Aqvila.*

Imperatorum animas ab Aqvilâ, Jovis alite, in cœlum delatas esse Romani olim credidêre.

ANNIÆ FAUSTINÆ JUNIORIS.

Antonini Pii ex Faustina filia fuit, Aurelii Antonini Philosophi uxor.

1. FAUSTINA AUGUSTA.

Sæculi Felicit. *Duo infantes in pulvinari.*

2. FECUND AUGUSTÆ. *Mulier cum qvatuor liberis.*

Duo numi priores fæcunditatem Augustæ indicant, à qva Sæculi qvoq; felicitatem effici, prior declarat. Qvot enim pueros enixa est Faustina, tôt victorias Romanis futuras crediderant.

3. FAUSTINA AUG. PII. AUG. FIL.

Concordia. *Figura sedens.*

Ob concordiam cum M. Aurelio ſervatam.

4. DIVA. FAUSTINA.

Juno. *Figura ſtans dextrâ pateram, ſiniſtrâ haſtam tenens.*

Fauſtina in averſâ numi parte Junoni comparatur, Jovis ſorori & conjugi.

5. FAUSTINA AUGUSTA.

Veneri Auguſtæ. *Figura ſedens dextrâ victoriolam, ſiniſtrâ haſtam tenens.*

Fauſtinæ hic numus adulatur, qvæ ſub Veneris victricis effigie hìc ſignata eſt, dextrâ victoriolam tenens, qvaſi ſub ejus auſpiciis M. Aurelius & L. Verus victoriam reportasſent.

L. AURELII VERI.

1. L. VERUS AUG. ARMENIACUS.

TR. P. IIII. IMP. II. COS. II. *Figura ſtans dextrâ haſtam tenens, ſiniſtrâ ſcutum ad pedes.*

Armeniâ captâ per Priſcum Legatum & Rege Armenis dato L. Verus Armeniacus dicitur. Conjecturam autores tradunt, Regem iſtum Soæmum fuiſſe, qvi â Vologeſo Parthorum Rege expulſus demum poſt Veri victoriam Armeniæ Rex denuntiatus eſt.

2. L. VERUS AUG.

TR. P. V. *Figura ſtans dextram extendens, ſiniſtra cornucopiæ tenens.*

3. L. VERUS AUG. ARM. PART. MAX.

TR. P. VII. IMP. IIII. COS. III. *Figura ſtans dextrâ bilancem, ſiniſtrâ cornucopiæ tenens.*

Meſopotamiâ & Asſyriâ à Casſio ſubactis L. Verus PARTH. MAX. qvoq; cognominatur.

LUCILLÆ L. VERI.

LUCILLA AUGUSTA.

Pudicitia. *Figura ſedens dextrâ pectori admotâ.*

Ad caſtitatem Lucillæ indicandam numus hic percusſus eſt, Deâ Puducitiâ ſignatus.

L. ÆLII AURELII COMMODI.

1. COMM. ANT. FIL. AUG. GERM. *Figura ſtans.*

\- - - - - - -

2. COMMODUS ANTONINUS AUG.

\- - TR. P. VII. IMP. IV. COS. III. P. P. *Figura ſtans dextrâ teſſeram frumentariam, ſiniſtrâ cornucopiæ tenens.*

3. M. COMMODUS.

COS.

- - - COS. IIII. P. P. *Victoria gradiens dextrâ lauream, sinistrâ palmam tenens.*

4. M. COMM. ANT. P. FEL. AUG. BRIT.

P. M. TR. P. XI. IMP. VII. COS. V. P. P. *Figura sedens dextrâ hastam, sinistrâ pateram tenens.*

5. M. COMM. AN. FEL. AUG. BRIT.

P. M. TR. P. XI. IMP. VII. COS. V. P. P.

Victoria alata stans dextram imponens clypeo, qvi trunco innititur.

Britannis rebellibus per Legatos victis, Commodus hic Imp. VII & Brit. inscribitur.

6. L. ÆL. AUREL. COMMODUS.

MARTI ULTORI AUG. *Mars.*

Mars à Romanis maximè cultus est. Parens enim Romuli ab illis existimatus, instar ultoris hîc depingitur.

P. HELVII PERTINACIS.

IMP. CÆS. P. HELV. PERTINAX.

VOT. DECEN. TR. P. COS. II. *Figura velata stans ante aram habitu sacrificantis.*

Vota decennalia inde ab Augusto manarunt, qvi primò imperium decennale in se susceperat. Hinc sub Imperatoribus seqventibus mos hic observatus est & vota decennalia pro salute Principis nuncupata, qvemadmodum hîc primis Pertinacis Imperii temporibus.

M. DIDII SEVERI JULIANI.

M. DID. JULIANUS AUG. IMP. CÆS.

CONCORD. MILIT. *Figura stans inter duo signa militaria, qvæ manibus tenet.*

Numus hic Concordiam militum meritò deprædicat. Julianus enim, qvamprimùm Pertinacis cœdem intellexit, ad exercitum properè pervenit, petens à militibus Rom. Imperium, & promissis factis Imperator designatus est. Venale tunc imperium erat.

C. PESCENNII NIGRI.

CÆS. C. PESC. NIGER. *Aug.*

VICTORIÆ AUG. *Victoria gradiens dextrâ lauream, sinistrâ palmam gestans.*

Numus inter Romanos rarissimus, qvo S. C. Pescennio, rerum qvidem bellicarum gnaro, sed infelici, adulatur.

L. SEPTIMI SEVERI.

1. L. SEPT. SEV. PERT. AUG. IMP.

FORTUNA REDUX. *Figura ſedens dextrâ temonem, ſiniſtrâ cornucopiæ tenens.*

2. P. M. TR. P. III. COS. *Figura gradiens ſiniſtrâ haſtam, dextrâ ignotum qvid tenens.*

3. L. SEPT. SEV. AUG. IMP. III. PART. MAX.

- - COS. II. P. P. *Victoria alata gradiens, dextrâ lauream, ſiniſtrâ palmam tenens.*

Babyloniâ, Parthiâ &c: captis, prædisq; militi conceſſis á S. C. Severus Aug. Part. Max. cognominatus eſt.

4. VICT. PARTH. MAX. *Victoria gradiens, dextrâ ſertum tenens, ſiniſtrâ palmam.*

Eandem Victoriam Parthicam numus hic extollit.

5. SEVERUS PIUS AUG.

Reſtitutor Urbis. *Roma ſedens dextrâ victoriolam, ſiniſtrâ haſtam tenens.*

Nova enim ædificia exſtruxit, vetera reſtituit, inqvit *Xiphilinus*, inter qvæ Septizonium & thermæ Severianæ fuerunt.

6. L. SEPT. SEV. PERT. - - - - - - - -

Securitas Publica. *Figura ſedens dextrâ globum tenens.*

Securitas formâ matronæ ſedentis depingitur, globum dextrâ tenens, qvaſi totus orbis Romanus, extinctis Parthorum armis, jam ſecurus exiſtat.

7. L. SEPT. SEV. PERT. AUG: IMP. - - *P. P.*

P. M. TR. P. - - COS. II. *P. P. Figura ſtans ad aram, dextrâ pateram tenens, ſiniſtra palmam.*

8. Pacis Fundator. *Figura ſtans, dextrâ ramum palmæ tenens.*

Severus triumphum Parthicum, à S. C. ei decretum, recuſans, Fundator pacis ſalutatur.

9. Vota Suſcepta XX. *Figura ſtans ante aram.*

Decennali Auguſti imperio peracto vota iterum decennalia ei decreta ſunt. Sic & pro Severo, imperii decennio exacto, vicennalia vota ſuſcepta ſunt.

10. Indulgentia Augg. in Carth. *Cybele leone vecta, dextra fulmen, ſiniſtra haſtam gerens.*

Multa in Carthaginenſes Severum contuliſſe beneficia teſtis eſt *Spartianus.* Indulgentia hæc remiſſio tributorum ex annonis erat.

11. - PARTH. MAX.

P. M. TR. P. XIIII. - - *Trophæum cum duobus captivis.*

12. P. M.

12. P. M. TR. P. XVII. COS. III. *Figura sedens, quæ dextram extendit, sinistrâ sellam amplectitur.*

13. DIVO SEVERO PIO.

Consecratio. *Aqvila stans super globum.*

Severus, Eboraci in Britanniâ mortuus, Romæ â filiis consecratur, cadavere ipsius huc ab illis perlato, ut *Spartianus* ait.

JULIÆ SEVERI.

1. JULIA AUGUSTA.

Pietas Augg. *Figura muliebris stans ante aram.*

Pietatem & cultum divinum Juliæ Augustæ numus hic exprimit: Pia enim Augusta dicebatur.

2. Seculi Felicitas. *Figura stans cum puerulo in brachio.*

Ob ejus fæcunditatem Seculi, felicitas Julia hîc inscribitur, aliis in numis pia & felix.

3. Juno. *Figura stans dextrâ pateram, sinistrâ hastam tenens.*

4. JULIA DOMINA AUG.

Veneri Victr. *Venus seminuda stans, sinistrâ innixa columnæ.*

Veneri Victrici hoc numo litatur, Juliæ nempe Augustæ, qvæ non minùs Severo, qvam Berenice Pompeio M. in numis Titi Venus victrix a vincendo dicta est. Fœminam qvippe formæ venustas commendavit.

5. Pudicitia. *Mulier velata sedens, sinistrâ hastam tenens.*

Juliæ Augustæ, aliàs adulteriis famosæ, numus hic adulatur. Pudicitia enim velata ad eximiam Juliæ castitatem exprimendam hîc depingitur.

M. AURELI ANTONINI CARACALLÆ.

1. MAUR. ANTONINUS DIVI AUG.

Principi Juvent. *Figura stans cum trophæo ad sinistram.*

Albino in Galliis victo â Severo, Caracalla Princeps Juventutis salutatur & Ludis Trojæ præficitur.

2. ANTONINUS PIUS AUG.

PARTH. MAX. PONT. TR. P. V. COS. *Trophæum cum duobus captivis ad pedes.*

Post victoriam maximam de Parthis reportatam Antoninus Caracalla ex Oriente cum Patre rediens, ovans Romam ingreditur, & PARTH. MAX. cognominatur.

3. IMP. CÆS. ANTONINUS AUG.

INDULGENTIA AUG. IN. PARTH. *Figura eqvestris decurrens.*

Indulgentiam hanc in Carthaginenses numus Severi, qvi nobis deci-

decimus est, explicabit. Caracalla hic gloriæ paternæ particeps factus est, qvi alias marmori antiqvo inscribitur Princeps indulgentissimus.

4. ANTONINUS PIUS FEL. AUG.

CONCORDIA MILIT. *Duo signa militaria & Aqvilæ duæ.*

5. ANTONINUS PIUS AUG.

PONTIF. M. TR. P. X. - - - *Figura militaris gradiens cum tribus figuris ad pedes.*

Aut numos hos fictitios esse aut incisoris incuriam subesse *Mediobarbus* animadvertit: Annis qvippe his Caracalla PONTIF. M. non exstitit, Patre saltem adhuc vivo, penes qvem sacra omnia erant & Pontificatus Maximus.

6. ANTONINUS PIUS AUG.

PONTIF. MAX. TR. P. XI. COS. III. PROF. - - - *Figura Eqvestris cum hastâ in manu.*

7. IMP. CÆS. ANTONINUS AUG.

FIDEI EXERCITUS. *Figura sedens inter duo signa militaria.*

Romam cum Patris cineribus Caracallâ redeunte & pace cum Barbaris factâ, numus *Fidem Exercitus* celebrat, qvod Caracallam Imperatorem solum, Getâ haud excluso, non declaraverit.

8. ANTONINUS PIUS AUG. GERM.

P. M. TR. P. XVIII. COS. IIII. P. P. *Jupiter stans dextrâ fulmen, sinistrâ hastam tenens.*

PLAUTILLÆ.

1. PLAUTILLA AUGUSTA.

Pietas Augg. *Figura dextrâ hastam, sinistrâ infantem tenens.*

Romani hic Plautillam, Caracallæ uxorem, DEam *Pietatem* venerantur, qvæ suum sic fovens infantem depingitur.

Venus Victrix. *Figura sedens dextrâ pomum, sinistrâ palmam tenens, orbis & victoriæ indicia, cum Cupidine & scuto ad pedes utrinqve assistentibus.*

Scutum ad pedes Veneris positum, in qvo Leo sculptus est, Caracallam, qvi Leonis symbolum in clypeo gessit, amore victum demonstrat. Hinc *Venus Victrix* Plautilla celebratur.

P. SEPTIMII GETÆ.

1. P. SEPT. GETA CÆS. PON.

Nobilitas. *Figura stans dextrâ hastam tenens, sinistrâ imaginem alatam.*

Nobilitatem numus hic exhibet. Referunt Antiqvarii, eos tum demum nobiles Romæ extitisse & jus imaginis ponendæ monstrasse, qvi Magistratum Curulem gesserant. Imaginem hanc Nobilitas in numo tenere videtur.

2. GE-

2. GETA CÆS. PONT. COS.

Vota Publica. *Figura ſacrificans ante aram.*

Geta tanqvam *Pontifex* ſacra facit, ſuſceptis pro Patre vicennalibus votis. In numo qvippe Cæſar inſcribitur.

3. P. SEPTIMIUS GETA CÆS.

Pontif. cos. II. *Figura ſtans.*

Pontifex hîc dicitur Geta, qvaſi imperii candidatus. Cæſares enim in collegia Pontificum adſcripti fuêre.

4. P. SEPTIMIUS GETA CÆS.

Tempor. Felicitas. *Figura ſtans ſiniſtrâ cornucopiæ, dextrâ papaver tenens.*

Inſcriptio hæc in numis Auguſtorum ſatis freqvens, qvâ Imperatores populum, ut felicitate ſuorum temporum gloriaretur, ſtimulare ſoliti.

M. OPEL. AURLLII SEV MACRINI.

IMP. C. M. OPEL. SEV. MACRINUS AUG.

Securitas Temporum. *Figura ſedens dextrâ haſtam tenens, ſiniſtra innixa ſellæ.*

Securitas Temporum matronæ ſedentis formâ hîc exprimitur, ſiniſtrâ caput ſuſtentans, ab omnibus curis liberata. Qvâſi Orbis Romanus nullis jam amplius curis vexaretur.

DIADUMENIANI.

1. M. OPEL. ANT. DIADUMENIA. CÆS.

Spes Publica. *Figura muliebris ſtans, dextrâ florem, lævâ veſtem ſublevans.*

Diadumeniano Cæſare, numus hic cuſus eſt. Spes enim, tanqvam juvenum DEA, in numis Cæſarum cœlabatur cum epigraphe, qvæ *ſpem publicam* in iis florere indicat. Eam ob cauſſam, Spes dextrâ florem, ſeu primum germen ſeminis jacti gerit, fructus futuri indicem.

2. Princ. Juventutis. *Figura ſtans cum ſignis militaribus.*

Princeps Juventutis dictus, qvemadmodum cœteri Auguſtorum pueri, cùm ludis Trojæ præeſſe poſſent. Cæſaribus qvippe ætate provectis titulus hic vix conveniens extitit. Numus uterqve ex argento rarus.

M. AUREL ANTONINI ELAGABALI.

1. IMP. CÆSAR ANTONINUS. AUG.

Mars Victor. *Mars gradiens, dextrâ haſtam ſiniſtra ſpolia tenens.*

Sicut Jovi Victori feſtum Romani in Syriâ celebrarunt, Elagabalo Imperatore electo, ita & *Marti Victori* hic litatur ob Victoriam à Macrino reportatam.

2. IMP.

2. IMP. ANTONINUS AUG.

SACERDOS DEI SOLIS ELAGAB. *Sacerdos ſtans ante aram cum ſtella.*

Titulus Imperatoris in parte numi averſa ex argento freqvens eſt. Stella procul dubio ſolem repræſentat, Elagabali numen præcipuum, cui è Syria ſecum adducto templum Romæ conſtituit, ſeq; *Sacerdotem* ejus fieri ex S. C. juſſit, teſte *Xiphil. lib. 24.*

3. IMP. ANTONINUS PIUS AUG.

Libertas Aug. *Figura ſtans dextrâ pileum, ſupra qvem ſtella, ſiniſtrâ cornucopiæ tenens.*

Libertas in numo Elagabali denotat, exſtincto Macrino, Libertatem Populo reſtitutam eſſe.

4. M. AR. ANTON. - - CÆS.

PONT. M. *Inſtrumenta ad Sacrificium.*

Pontificis Maximi dignitatem Imperatores inde ab Auguſto in ſe perpetuam tranſtulerunt, qvæ permanſit ita ad Gratianum usq;, qvi titulum hunc tandem ultrò omiſit, teſte *Zoſimo lib. 4. hiſt.*

JULIÆ AQVILIÆ.

JULIA AQVILIA SEVERA AUG.

Concordia. *Figura ſtans dextrâ pateram, ſiniſtrâ cornucopiæ tenens cum ſtellâ ad latus.*

Virgo fuit Veſtalis, qvam Elagabalus legibus invitis duxit, ſe ex ipſa liberos divinos procreaturum eſſe aſſerens. Sub habitu *Deæ Concordiæ* fæcunditas parturientis in parte numi averſa exhibetur.

JULIÆ MÆSÆ.

JULIA MÆSA. AUG.

Pietas Aug. *Figura ſtolata ſtans ad aram expanſis utrinq; manibus.*

Numus, qvi *Pietatem* Juliæ Mæſæ, aviæ Elagabali, celebrat.

JULIÆ SOÆMIADIS.

JULIA SOÆMIAS AUGUSTA.

Juno Regina. *Figura ſtolata ſtans dextrâ victoriolam, ſiniſtrâ haſtam tenens.*

Julia Soæmias *Juno Regina* meritò hìc inſcribitur in parte averſa. Curiam enim cum filiò Elagabalo ingreſſa, Conſulum ſubſellia occupavit totumq; ferê imperium geſſit.

M. AURELI ALEXANDRI SEVERI.

1. IMP. C. M. AUR. SEV. ALEXANDER.

Virtus Aug. *Figura militaris dextrâ haſtam, ſiniſtrâ clypeum tenens.*

2. ANNO-

Primam ferè imperii curam *Annonæ* Alexander impendit ut imperium ſtabiliret. *Frumenti* enim ab *Elagabalo everſi vicem de propria pecunia repoſuit*, referente Lampridio.

3. VICTORIA AUG. *Victoria gradiens dextrâ lauream, ſiniſtrâ palmam gerens.*

4. IMP. C. M. ALEXAND. AUG.

Fortun. Reduc.

5. IMP. ALEXANDER PIUS AUG.

Providentia Aug. *Figura ſtolata ſtans dextrâ tenens ſpicas cum panario repleto ſpicis, ſiniſtrâ cornucopiæ.*

6. IMP. ALEXANDER PIUS AUG.

Spes Publica. *Spei typus.*

7. IMP. C. M. AUR. SEV. ALEXAND. AUG.

P. M. TR. P. VI. COS. II. P. P. *Figura ſtolata gradiens, dextrâ ramum, ſiniſtrâ haſtam geſtans.*

8. IMP. C. M. AUR. SEV. ALEXANDER AUG.

P. M. TR. P. V. COS. II. P. P. *Figura militaris gradiens, dextrâ pileum cum trophæo ſuper humeros gerens.*

9. IMP. C. M. AUR. SEV. ALEXAND. AUG.

Perpetuitati Aug. *Figura ſtans dextrâ globum tenens, ſiniſtrô brachiô columnæ innixa cum haſta.*

Inſcriptio numi averſa Alexandro eſt peculiaris. Acclamatio ſenatus huic inſculpta videtur, qvam Lampridius enarrat: *Dii te perpetuent.*

10. IMP. SEV. ALEXANDER AUG.

Jovi Conſervatori S. C. *Jupiter ſtans dextrâ fulmen tenens cum puero ad pedes.*

Poſt occiſum Elagabalum *Jovi Conſervatori* ſalutem ſe debere Alexander hoc numo teſtatus eſt.

11. IMP. ALEXANDER PIUS AUG.

P. M. TR. P. XII. COS. III. *Figura gradiens cum coronâ radiatâ dextram protendens. Vel Jupiter radiatus nudus.*

JULIÆ MAMMÆÆ.

1. JULIA MAMMÆA AUG.

Felicitas Publica. *Figura ſtans dextrâ caduceum tenens, ſiniſtra columnæ innixa.*

Fœmina pia & modeſta, qvæ *Felicitas Publica* â Romanis exiſtimabatur.

2. JUNO CONSERVATRIX. *Juno ſtans dextrâ pateram, ſiniſtrâ haſtam tenens cum Pavone.*

Sub *Junonis Conſervatricis* figura depingitur, qvæ filium Alexandrum Severum ab inſidiis Elagabali liberavit.

C. JULIUS VERUS MAXIMINUS.

1. IMP. MAXIMINUS PIUS AUG.

Fides Militum. *Figura inter duo ſigna militaria.*

2. IMP. MAXIMINUS PIUS AUG.

Victoria Aug. *Victoria gradiens, dextrâ lauream tenens.*

Germaniâ 400 milliarium ſpatio vaſtatâ, *Germanicus* dicitur. Quòd Barbaros vicerit, Victoria & pax Auguſti numis inſcriptæ ſunt cum pacis Victoriæq; typis.

3. MAXIMINUS PIUS AUG.

Pax Auguſti. *Fœmina dextrâ ramum, ſiniſtrâ haſtam tenens.*

C. JUL. VERI MAXIMI.

Maximi numiſmata ex argento rara admodùm ſunt & vix pretio ullo comparanda.

1. JUL. VERUS MAXIMUS CÆS.

Pietas Aug. *Signa Pontificalia.*

2. MAXIMUS CÆS. GERM.

Princ. Juventutis. *Figura nuda ſtans, ſiniſtrâ haſtam tenens & dextram protendens, ad latus duo ſigna militaria.*

M. ANTON. GORDIANI AFR. SENIORIS.

IMP. M. ANT. GORDIANUS AFR. AUG.

P. M. TR. P. COS. P. P. *Figura dextrâ ramum oleæ attollens, ſiniſtrâ baculum tenens.*

M. ANTON. GORDIAN AFR. JUNIORIS.

IMP. M. ANT. GORDIANUS AFR. AUG.

Virtus Augg. *Figura militaris ſtans dextrâ clypeum, ſiniſtrâ haſtam tenens.*

Auguſtorum Gordiani ſenioris & junioris *virtutem* numo hoc celebrari, literæ AUGG in numi averſa parte indicant. Gordiani tamen junioris typus peculiaris eſſe cenſetur. Virtus enim bellica in juvene hoc magis emicuit.

D. CÆLII BALBINI.

IMP. C. D. CÆ, L. BALBINUS AUG.

Providentia Deorum. *Providentiæ typus.*

Providentiâ Deorum Balbinum imperio admotum fuiſſe, S. P. Q. R numo hoc confeſſus eſt.

M. CLODII PUPIENI MAXIMI.

1. IMP.

1. IMP. CÆS. M. CLOD. PUPIENUS AUG.

Amor Mutuus Augg. *Duæ dextræ junctæ.*

2. PAX. PUBLICA. *Figura sedens dextra ramum oleæ, sinistra hastam tenens.*

M. ANT. GORDIANI PII.

1. IMP. GORDIANUS PIUS FEL. AUG.

Jovi Statori. *Jupiter stans dextrâ fulmen, sinistra hastam tenens.*

Jovi statori numo hoc litatur, qvod beneficio ejus Resp. Romana feliciter vigeat, Balbino & Pupieno deletis.

2. DIANA LUCIFERA. *Figura stolata stans.*

Numus est, qvi in gratiam conjugii Gordiani cum Tranqvillinâ sculptus est. *Diana Lucifera* hæc vocabatur, Augustarum superiorum exemplo.

3. VIRTUTI AUGUSTI. *Hercules cum exuviis leonis, sinistra clavæ innixus.*

Virtuti bellicæ Augusti numus hic signatus est, qvæ Herculea ex aversa numi parte censetur.

4. CONCORDIA MILIT. *Figura sedens dextrâ pateram, sinistra cornucopiæ tenens.*

Concordiam militum numus hic celebrat, qvi exstinctis Pupieno & Balbino eorumq; relictis in viâ cadaveribus, tollentes in altum manibus Gordianum Cæsarem Imperatorem salutarunt, teste *Herodiano.*

5. IMP. CÆS. ANT. GORDIANUS AUG.

Concordia Aug. *Figura sedens dextrâ pateram, sinistra duplex cornucopiæ tenens.*

Concordiam Augusti numus deprædicat, bellum Persicum, in qvo occubuit, suscepturi.

6. VIRTUS AUG. *Figura stans dextrâ ramum sinistra hastam tenens.*

7. IMP. GORDIANUS C. AUG.

Spes Publica. *Spei typus.*

8. IMP. CÆS. M. ANT. GORDIANUS AUG.

Romæ Æternæ. *Roma sedens dextrâ victoriolam tenens.*

Roma pro DEa culta fuit, cui templum ab Hadriano exstructum est. Victoriolam hic gerit, qvasi victrix totius terrarum orbis, & *æterna* in dominationis perpetuæ omen dicitur.

9. IMP. GORDIANUS PIUS FEL. AUG.

P. M. TR. P. V. COS. II. P. P. *Figura sedens dextrâ ramum tenens, sinistro brachio sellæ imposito.*

M. JULII PHILIPPI PATRIS.

1. IMP. PHILIPPUS AUG.

FIDES EXERCITUS. *Qvatuor signa militaria.*

Occiso Gordiano, Philippus Augustus salutatur ab exercitu Persico, cujus fides hîc inprimis extollitur.

2. IMP. M. JUL. PHILIPPUS AUG.

ADVENTUS AUGG. *Figura Eqvestris habitu pacificatoris.*

Numus Philippi *Adventum* in Urbem denotat. Nam arte Philippi, Gordiano à militibus in Mesopotamia deleto, Romam venit & Senatum oratione benignâ sibi conciliavit, ut *Zosimus* refert.

3. IMP. M. JUL. PHILIPPUS AUG.

LIBERALITAS AUGG. II. *Figura dextrâ tesseram frumentariam sinistrâ cornucopiæ tenens.*

Liberalitate Imperatores suum qvoqve auspicati sunt imperium. Sic Philippus Romam ex bello Persico rediens Imperator factus primum congiarium populo distribuit. Secundum verò hîc A. U. C. 1000 cum ludis secularibus.

4. ANNONA AUGG. *Figura dextrâ tenens duas spicas, sinistrâ cornucopiæ.*

Sub auspicio Imperii curam annonæ gerere Imperatores solebant, qvam Philippus hic protinùs procurasse videtur.

5. ÆQVITAS AUGG. *Figura stans dextrâ bilancem, sinistrâ cornucopiæ tenens,*

Æqvitatem Augusti in monetis cudendis numi celebrant: Mulier stateram tenet ad materiam metalli pendendam, ut justam unicuiqve illam rependat.

6. IMP. PHILIPPUS AUG.

Seculum Novum. *Templum, in cujus medio statua Iovis.*

Numus hic *Seculum novum* urbis conditæ exhibet, ludis sæcularibus à Philippo celebratis, qvibus animalia varia dicata sunt & mactata, qvæ *Capitolinus in Gordiano jun.* fusè enumerat. Ludi qvippe sunt, qvi plerumqve singulis 100 annis exactis, vel semel hominis ætate Romæ instituebantur, assignato singulæ diei ferarum peculiari genere. Ludos hos paulatim Romæ abolitos Augustus primùm restituit, qvos Constantinus Magnus piè demum abrogavit. *Kipping. Antiq. Rom. lib. 2. Cap. 6.*

7. IMP. PHILIPPUS AUG.

Sæculares Augg. *Cippus in qvo* COS. III.

8. SÆCULARES AUG. *Cervus.*

9. IMP. PHILIPPUS AUG.

Sæculares Augg. I. *Cum Leone.*

10. ÆTERNITAS AUGG. P. *Elephas cum sessore.*

Solenne

Solenne *æternitatis* ſymbolum numus hic per elephantem in parte adverſâ exprimit, longævitatem Imperatoris exoptans.

M. JULII PHILIPPI JUNIORIS SEV F.

1. M. JUL. PHILIPPUS CÆSAR.

Principi Juvent. *Statua militaris dextrâ globum, ſiniſtrâ pilum tenens; ad pedes captivus.*

2. PRINC. JUVENT. *Figura militaris dextra haſtam, ſiniſtrâ globum tenens.*

3. IMP. PHILIPPUS AUG.

Liberalitas Augg. III. *Duæ figuræ ſedentes, alterâ manu porrigentes pateram, alterâ bacillum tenentes.*

Liberalitas Aug. III Populo præſtita hìc elucescit, ludis ſæcularibus IX à S. C. celebratis.

CN. MESSII QVINTI TRAJANI DECII.

1. IMP. TRAJANUS DECIUS AUG.

Adventus Aug. *Figura Eqveſtris.*

Marinus, cujus ope Carpi à Philippo ſeniore repreſſi ſunt, ab exercitu Pannoniarum contra Philippum Imperator eligitur. Trajano inde, qvi Marinum delevit, licet invito imperium defertur, contra qvem Philippus bella movens apud Veronam in prælio interfectus eſt. Trajanus inde Romam cum omnium applauſu ovans ingreditur, cujus *adventum* numus illuſtrat.

2. IMP. C. M. Q. TRAJANUS DECIUS AUG.

Pannoniæ. *Duæ ſtatuæ ſtolatæ cum ſigno militari.*

Pannoniarum mentio in numis Trajani facta eſt, qvòd ab exercitu Pannoniæ tam ſuperioris qvàm inferioris Imperator electus fuerit.

Q. HERENNII ETRUSC MESSII DECII.

1. HER. ETR. MES. DECIUS NOB. C.

Spes Publica. *Spei Simulacrum.*

2. HER. ETR. MES. DECIUS NOB. C.

Pietas Auguſtorum. *Vaſa Pontificalia.*

Vaſa hæc ſacerdotium, ſecundum nempe faſtigii ſymbolum, Herennio Imperii hæredi à patre Trajano Decio collatum indigitant. Unde *Pietas Auguſtorum* ergâ DEUM in ſacris faciendis, in Numo hoc aliisq; paſſim denotatur.

3. PRINCIPI JUVENTUTIS. *Figura ſedens ſiniſtrâ ſellæ innixa, dextrâ ramum tenens.*

C. VAL. HOSTILIANUS.

1. C. VALENS HOSTILIANUS MES Q. AUG.

Marti Propugnatori. *Mars gradiens dextrâ haſtam, ſiniſtrâ peltam tenens.*

2. PRINCIPI JUVENTUTIS. *Figura ſtans dextrâ ſignum militare tenens, ſiniſtrâ haſtam.*

C. VIBII TREBONIANI GALLI.

1. IMP. CÆS. C. VIB. TREB. GALLUS. AUG.

Libertas Augg. *Figura ſtans dextrâ pileum, ſiniſtrâ haſtam tenens.*

2. APOLL. SALUTARI. *Figura ſtans dextrâ pileum, ſiniſtra haſtam tenens.*

Numum *Triſtanus* refert ad fervens Treboniani in peſtilentiâ reſtingvendâ ſtudium. Et velut *Apollo* malis mederi credebatur, ſic peſtilentia ſub Treboniano ſæviente Imperator hîc ſub effigie *Apollinis ſalutaris* depictus eſt.

VOLUSIANI.

1. IMP. C. VIB. VOLUSIANO AUG.

Concordia Augg. *Figura ſedens dextrâ pateram tenens, ſiniſtra cornucopiæ.*

2. FELICITAS PUBLICA. *Figura ſtans ſiniſtrâ cornucopiæ, dextrâ caduceum tenens.*

ETRUSCILLÆ.

1. HER. ETRUSCILLA AUG.

Fæcunditas Aug. *Mulier ſtans ſiniſtrâ cornucopiæ tenens cum puerulo ad pedes.*

2. PUDICITIA AVG. *Mulier ſedens ſiniſtra haſtam tenens.*

De Etruſcillæ moribus auctores ſilent. *Pudicam* autem & *fæcundam* fuiſſe, numus uterq; indicat.

C. JULIUS ÆMILIANUS.

1. IMP. ÆMILIANUS PIUS FEL. AVG.

Spes Publica. *Spei typus.*

2. HERCULI VICTORI. *Hercules, clavæ dextrâ manu innixus, ſiniſtra arcum tenens, dependentibus leonis exuviis.*

Treboniano & filio Voluſiano propè Interamnam victis, Ælianus, jam Imperator ab exercitu Mœſiaco electus, ob egregia facinora Herculi comparatur, ſub cujus effigie cum elogio Victoris hîc exhibetur.

MARI-

MARINIANÆ VALERIANI UXORIS.

DIVA MARINIANA.

Consecratio. *Pavo.*

Existimat *Patinus*, Marianam hanc Marini fuisse filiam, qvi Philipporum temporibus imperio brevi potitus erat.

P. LICINII GALLIENI.

1. GALLIENUS P. F. AUG,

Germanicus Maxu. *Trophæum cum duobus captivis.*

Duplicem de Germanis victoriam Gallienum reportasse, numi indicant, tam ante Captivitatem Valeriani nomine Augg. qvâm post eandem cusi, in qvibus Gallienus solus Aug. *Germanicus* verò *Maximus* nominatur.

2. GALLIENUS AUG.

Æqvitas Aug. N. *Mulier stans dextrâ bilancem, sinistrâ cornucopiæ tenens.*

3. GALLIENUS AUG.

LEG. III. ITAL. VI. P. VI. F. *Avis rostro acuto & oblongo, seu Ibis.*

Legio III Jtalica â M. Aurelio ex *Dione* constituta legitur. VI Imperii anno numum hunc cusum esse notæ VI P. VIF. denotant, cum legiones Sacramentum qvotannis renovarent, Sic qvælibet *sextùm pia* & *sextùm fidelis* dicitur, velut in numis aliis VII pia & fidelis legio, qvod numi ejus anno septimo signati sint. Ibis seu Ciconia militum pietatem erga Imperatorem seu fundatorem suum ob collata beneficia exprimit.

4. - GALLIENUS AUG.

SALUS - - M. B. *Æsculapius stans.*

Ob sacrificium *Jovi salutari* Romæ factum, pestilentia per totum Imperium Romanum sæviens extincta est. Gallienus igitur in numo hoc tàm *Salutaris* qvàm *Æsculapius* dici voluit.

CORNELIÆ SALONINÆ GALLIENI UXORIS.

1. SALONINA AUG.

Juno Regina. *Figura stans dextrâ pateram, sinistrâ hastam tenens.*

Mulier Græca fuit, formâ egregiâ, moribus sanctis. Jure itaq; *Juno Regina* hic inscribitur.

2 VENUS GENETRIX VI. *Figura stans dextrâ puerulum, sinistrâ hastam tenens.*

Arguitur ex numo hoc, filium Saloninam habuisse, qvem in parte numi aversa gestat, *Veneriq;* *Genetrici* gratias egisse, qvod hunc enixa fuerit.

C. LICI-

C. LICINII CORNELII SALONINI VALERIANI.

1. C. P. L. - - VALERIANUS.

Principi Juvent. *Figura militaris stans dextrâ globum, sinistra signum militare tenens.*

Successores Imperii designati, si pueritiam tantùm adepti essent, Principes Juventutis dicebantur. Ætate qvippe provectiores titulum hunc ignorarunt.

2. PIETAS AUGG. *Signa Pontificalia.*

Vasa pontificalia, Saloninum, jam Cæsarem, Pontificum collegio associatum demonstrant.

3. VALERIANUS CÆS.

Jovi Crescenti. *Figura insidens capræ Amaltheæ.*

Jovi in Jnsula Cretâ â caprâ, ut fingitur, educato numus hic alludit, qvi capræ Amaltheæ, cui insidet, cornu dirigit.

4. DIVO CÆS. VALERIANO.

Consecratio. *Aqvila, cui insidet Imperator.*

5. DIVO CÆSARI VALERIANO.

Consecratio. *Templum.*

Saloninus in Gallias sub Postumo militiæ caussâ â patre missus, artibus Postumi occiditur, qvem mærens pater ex S. C. in Divos retulit. In rei hujus memoriam numi plures percussi exstant.

P. A. LICINII VALERII VALERIANI.

IMP. VALERIANUS AUG.

Oriens Augg. *Figura nuda gradiens, dextram attollens, sinistra flagrum tenens.*

Oriens Imperator in numis hîc dicitur, qvasi sol novus imperii exoriretur, cùm particeps ejus â fratre Gallieno factus esset. Orientis qvoqve domitor creditus est, cùm Odenathus captos Persarum duces ad eum fratremq; misisset, de qvibus Romæ triumphus agebatur.

POSTUMI.

1. IMP. C. POSTUMUS P. F. AUG.

Herc. Pacifero. *Hercules dextrâ ramum oleæ, sinistra clavam gestans.*

Postumi fortitudinem numus hic explicat, qvâ Pacem Imperio Romano acqvisivit. Inde *Hercules Pacificator* dictus est, qvemadmodum in numis aliis pacator Orbis.

2. Lætitia Aug. *Navis Prætoria in mediis fluctibus.*

3. IMP. C. POSTUMUS P. F. AUG.

Moneta Aug. *Figura stolata sinistrâ bilancem, dextrâ cornucopiæ tenens.*

4. Neptuno

5. Neptuno Reduci. *Figura ſtans dextrâ delphinum, ſiniſtrâ tridentem tenens.*

Poſtumus, Transrhenani limitis Dux & Galliæ Præſes â Valeriano conſtitutus, Francos ſibi adſcivit, qvi ad eum conſederant locum, qvo Fluvius Rhenus in mare exoneratur & imperio apud eosdem per decennium potitus eſt. *Neptuno* itaq; *Reduci*, cùm Poſtumus ex locis his maritimis rediret, numus dicatur.

6. Pax. Aug. *Figura ſtans dextrâ ramum, ſiniſtrâ haſtam tenens.*

7. Salus Provinciarum. *Rheni bicornis ſimulacrum humi ſedens.*

Salus demum *Provinciarum* Poſtumus meritò inſcribitur qvem Valerianus in Epiſtola ſua ad Gallos *virum eſſe ſeveritate Gallorum dignisſimum ſcripſit, qvo præſente non miles in Caſtris, non jura in foro, non in tribunalibus lites, non in curia dignitas pereat, qvi unicuiq; proprium & ſuum ſervet.*

8. Victoria Aug. *Victoria gradiens, dextrâ ſertum, ſiniſtrâ palmam tenens, ad pedes captivus.*

9. IMP. C. POSTUMUS. P. F. AUG.

P. M. TR. P. COS. II. P. P. *Figura militaris ſtans, dextrâ globum, ſiniſtra haſtam tenens.*

M. AURELII VICTORINI.

IMP. C. VICTORINUS P. F. AUG.

Pietas Aug. *Figura ſtans.*

P. PIVESI TETRICI.

- - - - TETRICUS. *Figura ſtans, dextrâ haſtam tenens.*

NUMISMATA ROMANA ÆREA.

C. JULII CÆSARIS.

1. CÆSAR DICT. PERPETUO. *Caput Cæſaris.*

L. BUCA. *Globus, Securis, dextræ junctæ, Caduceum, faſces.*

Dictaturam, qvæ Romæ qvondam poteſtas ſemeſtris & abſoluta erat, Julius Cæſar qvater geſſit, eandemqve hîc in conſulatu qvinto perpetuam. *Dictatori* itaq; *perpetuo* Ælius ille Lucius Buca IIII hîc gratulatur & delatum Cæſari imperium ſignificans, per ſecurim religionis cultum, per manus nexas concordiam, per caduceum pacem, per fasces juſtitiam imperio exoptat.

2. DIVI. JULI CÆSAR. DIVI F. *Imp. Caput Julii & Auguſti.*

DIVUS JULIVS. *In coronâ laurea.*

AUGUSTI.

1. IMP. CÆSAR DIVI JULII. *Duo Capita aversa.*
Prora navis. - - -

2. M. AGRIPPA L. F. COS. III. *Caput Agrippæ.* S. C.
Neptunus Delphinum dextrâ, tridentem sinistrâ tenens.

Agrippa ille est, qvi bello Actiaco strenuus Classis Præfectus ob victoriam navalem de Siculis & Sexto Pompejo reportatam rostratâ eâq; aureâ donatus est coronâ & vexillô cæruleô. Numus *Neptuno* signatus ad victoriam hanc meritò referendus est.

3. DIVUS AUGUSTUS PATER. *Caput Augusti.*
Provident. *Templum* S. C.

4. DIVUS AUGUSTVS. S. C. *Caput Augusti.*
Diva Augusta. *Figura sedens dextrâ frumenti spicas tenens, sinistrâ facem ardentem.*

5. DIVUS AUGUSTUS PATER. *Caput Augusti.*
Fulmen S. C.

6. DIVUS AUGUSTUS PATER. *Caput Augusti.*
Victoria alata cum globo, cui inscriptum. S. P. Q. R. S. C.

7. GENIUS. *P. R.*
Int. Urbs. S. C. *In Corona Civica.*

8. DIVUS AUGUSTUS PATER. *Caput Augusti.*
Aqvila globo insistens. S. C.

Jovis ales orbi toti, qvasi prædæ, incubat, qvâ animas heroum in cœlum rapi, Romani existimarunt.

9. DIVUS AUGUSTUS IMP. S. C. *Caput Augusti.*
Consensu Senat. & Eq. Ordin. S. P. Q. R. *Statua consularis togata subsellio insidens, dextrâ ramum oleæ tenens, orbem sinistrâ, qvasi Orbis pacatori à S. C. signum hoc positum fuerit.*

Honorum & Divinitatis monumenta Augusto post excessum ex *consensu Senatus & Eqvest. Ordin. P. Q. R.* decreta numis præcedentibus illustrantur. Qvæ omnia providentiâ Augustorum in numis Titi, Domitiani Nervæq; piè restituta inveniuntur, ne memoria horum exstingveretur.

TIBERII.

1. TIB. CÆSAR. DIVI AUG. FIL. AUGUST. IMP. VIII. *Caput Cæsaris.*
PONTIF. MAX. TRIBUN. POTEST. XXIV. S. C.

2. TI. CÆSAR DIVI. AUG. F. AUGUST. P. M TR. POT. XXXIIII. S. C.
P. Q. R. Juliæ August. *Carpentum cum duobus mulis.*

Sic in pompâ Circensi Deorum & Semi-Deorum, i. e. qvorum animæ in Divos relatæ, Imagines, a mulis trahebantur. Julia hæc Livia uxor Augusti fuit, qvæ simul cum Tiberio regnare voluit, cujus qvoq; memoriam S. P. Q. R. numo hoc restituere allaboravit. PON-

PONTIF. MAXIM TIRBUN. POTEST. XXIV. S. C.

3. TI. CÆSAR DIVI AUG. F. AUGUST. P. M. TR. POT. XXXIIX. S. C. *Qvadrigæ Triumphales.*

4. DIVO AUGUSTO S. P. Q. R. *Qvadrigæ Elephantorum.*

Elephantes ſolennia æternitatis ſymbola. Hinc Divo Auguſto qvadrigæ elephantorum à S. C. dicantur.

DRUSI TIBERII EX AGRIPPINA F.

1. DRUSUS CÆSAR TI. AUG. F. DIVI AVG. N.

S. C. Pontif. Tribun. Poteſt. Iter.

2. DRUSUS CÆSAR T. AUGUSTI F. TR. POT. ITER. S. C.

Pietas.

Pietatis ſimulachrum in numis impii Druſi omnes admirantur, ſed qvantam adulationem ejus ævi luxuria non peperit?

3. DRUSUS CÆSAR TI. AUG. F. DIVI AVG. N.

Pont. Trib. Pot. II. S. C. *Capita Tyberii & Druſi, Caduceum in medio.*

GERMANICI.

1. GERMANICUS CÆSAR. *Triumphans in Qvadrigis.*

Signis Receptis, Devictis Germanis S. C.

Germanicus hic Tiberii filius eſt, qvi triumphans in Varriana Clade *ſigna* amiſſa mox iterum *recepta* oſtentat, Germanis divictis.

ANTONIÆ.

ANTONIA AUGUSTA.

TI. CLAUDIUS CÆSAR AUG. P. M. TR. P. IMP. P. P. S. C. *Claudius togatus operto Capite, dextrâ ſimpulum tenens.*

AGRIPPINÆ.

1. AGRIPPINA M. F. MAT. G. CÆSARIS AUGUSTI. *Caput Agrippinæ.*

S. P. Q. R. MEMORIÆ AGRIPPINÆ. *Carpentum cum duobus mulis.*

2. AGRIPPINA M. F. GERMANICI CÆSARIS.

TI. CLAUDIUS CÆSAR AUG GERM P. M. TR. P. IMP. P. P. S. C.

CAJI CALIGULÆ.

1. C. CÆSAR DIVI AUG. PRON. AUG. P. M. TR. P. III. P. P. *Caput Caligulæ.*

Adlocut. Coh. *Imperator ſtans qvi milites alloqvitur.*

2. C. CÆSAR DIVI AUG. PRON. AUG. P. M. TR. P. III.

Pietas. *Figura sedens, pateram dextrâ tenens.*

3. C. CÆSAR AUG. GERMANICUS PONT. M. TR. POT. - -

Agrippina, Drusilla, Julia. S. C. *Tres Caij sorores.*

CLAUDII.

1. TI. CLAUDIUS CÆSAR AUG. P. M. TR. P. IMP. *P. P.*

Nero Claudius Drusus German. Imp. *Figura eqvestris inter duo trophæa supra arcum.*

Numus est, qvi ante mortem Claudii cusus esse videtur, cùm in eo Nero absq; ullâ consecrationis paternæ notâ necdum Augustus appelletur.

2. TI. CLAUDIUS CÆSAR AUG. P. M. TR. P. IMP.

Ex S. C. Ob Cives Servatos. *In Coronâ qvernâ.*

3. TI. CLAUDIUS CÆSAR AUG. P. M. TR. P. IMP. *P. P.*

Spes Augusta. S. C. *Spei typus.*

4. TI. CLAUDIUS CÆSAR AUG. P. M. TR. P. IMP. *P. P.* S. C.

Nero Claudius Drusus Germanicus Imp. *Figura insidens subsellio, dextrâ tenens ramum oleæ aut lauri.*

5. TI. CLAUDIUS CÆSAR AUG. GERM. P. M. TR. P. IMP. *P. P.* S. C.

Germanicus Cæsar Ti. Aug. F. Divi Aug. N. *Caput Germanici.*

NERONIS.

1. NERO CLAUD. CÆSAR. AUG. GER. P. M. TR. P. IMP. *P. P.*

Augusti Port. Ost. *Portus Ostiensis cum septem navigiis & fluvio ac scapha.*

Portui Ostiensi à Tiberio Claudio incæpto Neronem lapidem ultimum apposuisse, numus hic indicat.

2. Annona Augusti Ceres. *Mulier stans sinistrâ cornucopiæ tenens, Ceres Dea sedens cum anchorâ & temone.*

3. - - NERO CÆSAR AUG. P. MAX. TR. *P. P. P. Caput Neronis, Victoria alata cum globo* S. P. Q. R.

4. NERO CLAUD. CÆSAR AUG. GER. P. M. TR. P. IMP. P. P. *Caput Neronis.*

Victoria Augusti. S. C. *Victoria stans dextrâ sertum tenens, sinistrâ palmam.*

5. NERO CLAUD. CÆSAR AUG. GER. P. M. TR. P, IMP. P. P.

Pace. P. R. Terrâ Mariqve Partâ, Janum Clusit. S. C. *Templum Jani.*

Janus occlusus est, Vologese Parthorum Rege victo & Armeniâ

tandem

tandem ſubactâ a Corbulone. Jani Templum Romanos ad bellum ituros aperuisſe, & pace ubiq; partâ iterum clauſisſe conſtat.

6. NERO CLAUD. CÆSAR. AUG. GERM. P. M. TR. P. IMP. P. P. *Arcus triumphalis.*

SERVII SULPICII GALBÆ.

1. IMP. SER. SULP. GALBA CÆS AUG. TR. POT.

Adlocutio S. C.

Sunt, qvi *allocutionem* hanc ad Piſonis adoptionem referant, in qvâ Galba concione imperatoriâ adoptari à ſe Piſonem dixit, more Divi Auguſti & exemplo militari, qvo vir virum legeret.

2. IMP. SER. GALBA CÆS. AUG. TR. P.

Concord. Aug. S. C. *Figura ſedens, dextrâ ramum oleæ, ſiniſtrâ haſtam tenens.*

3. SERV. GALBA IMP. CÆSAR. AUGUSTUS.

Roma S. C. *Roma inſidens ſpoliis.*

Roma victoriis potita ſpoliis inſidet, Republicâ à Tyrannide Neronis liberatâ.

M. SALVII OTHONIS.

1. IMP. OTHO. CÆSAR AUG. TRI. POT.

Securitas P. R. S. C. *Imperator dextram porrigens militi ſuper aram, & alii milites cum ſignis militiæ.*

2. IMP. OTHO CÆSAR AUG. TR. P.

S. C. *Figura ſedens victoriolam dextrâ gerens.*

Exiſtimant doctiorum plurimi nullos omninò ſuperesſe, imò ne cuſos qvidem unqvam fuisſe *numos æreos* Otthonis, niſi falſos fictosq;. Ambigui verò *Carolum Patinum* & antiqvarios ſagacisſimos ab eo laudatos adeant *pag. 130. 131 & 132 Numiſm. Imp. Rom.* & concedent ultrò, Othoni Principum honores omnes â Senatu decretos numosq; æneos à S. C. cuſos fuisſe.

AULI VITELII.

1. A. VITELLIUS GERMAN. IMP. AUG. P. M. TR. P.

S. C. *Figura armata cum ſpoliis & haſtâ.*

2. A. VITELLIUS GERMANICUS IMP. AUG. P. M. TR. P.

Honos & virtus S. C. *Signa honoris & virtutis.*

Numus eſt adulatorius â S. C. percusſus. Ergò per antiphraſin potius *honos virtusq;* Vitellii hîc celebrantur, in qvo torpor tantus, ut ſi Principem eum esſe cœteri non meminisſent, ipſe, *Tacito* referente, oblitus fuisſet.

3. A. VITELLIUS GERMAN. IMP. AUG. P. M. TR. P.

Mars Victor S. C. *Figura galeata stans, dextrâ victoriolam tenens, sinistrâ spolia.*

Sub *Martis Victoris* effigie Vitellium exhiberi liqvet, ob Victoriam qvâ ad Bebriacum per legatos potitus est, teste *Suetonio* in Othone *Cap. 9.*

FL. VESPASIANI.

1. IMP. CÆS. VESPAS. AUG. COS II. TR. P. P. P.

IMP. AUG. F. COS. DESI. TER. CÆS. AUG. F. DES. S. C. *Titus & Domitianus stantes cum hastis.*

In numo averso Flaviæ, qvæ gentis gloria dicitur, Titus & Domitianus Principes provectiores ætatis exhibentur, velut consules designati, scipionem vel hastam tenentes, qvasi imperio maturi.

2. IMP. CÆS. VESPASIAN. AUG. P. M. TR. P. II. COS. III.

Pax Augusti S. C. *Mulier stans dextrâ pateram, sinistrâ cornucopiæ gestans.*

3. IMP. CÆS. VESPASIAN. AUG. P. M. TR. P. P. P. COS. III.

Libertas Publica S. C. *Libertatis typus.*

4. Judæa Capta S. C. *Figura captiva sub palmâ.*

Judæa sub *Palma* hîc devicta jacet, feracissima palmarum regio. Numus in amplissimum Vespasiani & Titi triumphum, de Judæâ devictâ, signatus existimatur.

5. Roma Resurgens S. C. *Imperator stans dextram porrigens figuræ procumbenti in genua, cui assistit figura militaris.*

Libertate publicâ restitutâ & triumpho de Judæis acto, Fl. Vespasianus, qvi nutantem ferè Rempublicam stabilivit, *Romam resurgere* jubet, adjuvante Tito sub figura militari.

TITI.

1. IMP. T. CÆS. VESP. AUG. P. M. TR. P. P. P. COS. VIII.

Judæa Capta S. C. *Figura alia stans, alia sedens ad palmam.*

Urbibus Judæorum â Fl. Vespasiano expugnatis, Hierosolyma exceptâ, Titus in Judæâ relictus Provinciam totam vastavit & Hierosolymam cepit. In Vespasiani utriusq; gloriam numi typo simili cusi reperiuntur, ubi Titus qvoqve Imperator salutatus est.

2. PROVIDENTIA AUGUSTI. S. C. *Duæ figuræ stantes globum manibus tenentes.*

DOMITIANI.

1. CÆS. AUG. VESP. F. DOMITIANUS COS. II. *Pax dextrâ ramum, sinistrâ cornucopiæ gerens.*

2. IMP. CÆS. DOMIT. AUG. GERM. COS. XI. CENS. PER. P. P.

Figura eqvestris militem, qvi clypeum gerit, conculcans.

3. IMP. CÆS. DOMITIAN. AUG. GERM. COS. XI.

Figura

Figura stans habitu Sacerdotali, sacrificans ad aram appositam, cui adjunctum est Templum, in qvo figura Numinis peculiaris S. C. Hæc figura, qvæ sacris operatur, est Domitianus habitu sacrificantis.

Acto De Parthis Dacisqve post prælia varia triumpho, Domitianus hîc sacrificari ab Occone dicitur super *Galeatæ Minervæ* aram.

4. IMP. CÆS. DOMIT. AUG. GERM. COS. XII. CENS. PER. P. P.

Fortunæ Augustæ. *Figura stans dextrâ temonem, sinistrâ cornucopiæ tenens.*

5. IMP. CÆS. DOMIT. AVG. TERM. COS. XIV. CENS. PER. P. P.

PONT. MAX. TR. P. VIII. LUD. SÆC. S. P. Q. R. SV. P. D. S. C. *Figura sedens in curuli, manum porrigens stanti togato.*

De temporum intervallis circa *ludos seculares* fides scriptorum ambigua est. *Politianus* in *Val Max.* lib 25 § 5. seculares hos dictos autumat, non *qvòd post centum annos, sed qvòd plerumq; semel hominis ætate fierent, ut multa alia, qvæ rara sunt, post seculum evenire loqventium consvetudo usurpat.* Eadem sententia C. *Patino* qvoqve placet. Domitianum verò ludos hos instituisse, computatâ ratione temporum ab anno, qvo eosdem olim Augustus ediderat, *Suetonius in Domitiano* refert.

6. IMP. CÆS. DOMITIAN. AUG. GER. COS. XV. CENS. PER. *P. P.*

Virtuti August. S. C. *Signum virtutis.*

Domitianus sub *Jovis custodis* habitu exhibetur post victoriam de Dacis Germanisqve iterum partam. Cultor Jovis assiduus fuit, cui inter publica alia Romæ opera novam illum excitasse ædem in Capitolio, *Suetonius* refert.

7. IMP. CÆS. DOMIT. AUG. GERM. COS. XVI. CENS. PER. *P. P.*

Jovi Custodi. S. C. *Figura sedens dextrâ victoriolam, sinistra hastam gerens.*

NERVÆ.

1. IMP. NERVA CÆS. AUG. P. M. TR. P. COS. II. *P. P.*

Fisci Judaici Calumniâ Sublatâ S. C. *Palma cum fructu.*

Ex S. C. in parte numi adversâ legimus *Fisci Judaici calumniam sublatam. Ne qvis Majestatis aut Judaicæ sectæ qvemqvam accusaret, edicto Nerva cavit*, ut, præter Dionem, annales Romani memorant.

2 IMP. NERVA CÆS. AVG. P. M. TR. P. COS. II. P. P.

Vehiculatione Italiæ Remissâ S. C. *Duæ mulæ pascentes.*

Numus hic singulare qvoqve indulgentiæ Nervianæ monumentum est, *Italia vehiculationis* servitute pressâ. Ea clementiæ & liberalitatis indicia Nerva protulit, ut initia imperii illius *beatissimi seculi exortum Tacitus* appellaverit.

3. IMP. NERVA CÆS. AUG. P. M. TR. P. COS. III. DESIGN. III. *P. P.*

Concordia Exercituum. S. C. *Duæ dextræ junctæ, tenentes signum militare, infra prora navis.*

4. IMP.

4. IMP. NERVA CÆS. AUG. P. M. - - COS. III. P. P.

Libertas Publica. *Libertatis typus cum pileo S. C.*

S. P. Q. R. in *libertatem* post mortem Domitiani sub bono Principe Nervâ vindicatum, numus hic exhibet.

5. IMP. NERVA CÆS. AUG. M. TR. P. COS. III. P. P.

Fortuna Augusti. S. C. *Figura stans, dextra ramum, sinistra cornucopiæ gerens.*

TRAJANI.

1. IMP. CÆS. NERVA TRAJAN. AUG. GER. P. M.

TR. POT. COS. II. P. P S. C. *Mulier sedens, dextra pateram sinistra cornucopiæ tenens.*

2. IMP. CÆS. NERVÆ TRAJANO AUG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. V. *P. P.*

S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI. S. C. *Templum, in qvo figura Palladis in columna stantis.*

Numus hic Templum sumptuosissimum repræsentat, sed qvodnam inter tot à Trajano ædificata fuerit vix liqvet. Templum Palladis esse à nonnullis existimatur.

3. IMP. CÆS NERVÆ TRAJANO AUG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. V. P.P.

S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI S. C. *Pons supra fluvium, ponti adjecta fabrica ædis cujusdam.*

Monumentum inter magnificentissima Trajani opera numus hic exprimit. *Occo* pontem hunc Danubio impositum interpretatur. Antiqvarii verò pleriqve ad pontem Anconæ civitatis primariæ hoc revocandum esse, ex fabricâ adjectâ colligunt, conjecturam ab arcu Traiani adhuc in portu Anconæ integro firmari asserentes.

4. *Mulier stans dextra bilancem tenens, sinistra cornucopiæ. Monetæ vel æqvitatis typus.*

S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI.

5. S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI S. C. *Victoria alata stans cum duobus captivis.*

Hic aliive numi, innumera victoriarum monumenta post *Dacos* devictos ubiq; exstructa exhibent, præsertim in honorem Trajani, qvem S. P. Q. R. optimum semper judicavit.

6. S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI S. C. *Tria signa militaria.*

7. S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI. *Arcus cum fluvio.* Aqva Trajana.

Aqva Trajana, qvam numus repræsentat, ea esse videtur, qvam *P. Victor in topograph. Romæ* inter viginti Urbis aqvas enumerat: *Aqvæ Martiæ partem Trajanus in Aventinum* deduxit, *unde Trajana dicta est.*

8. S. P.

8. S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI S. C. *Victoriæ ſimulachrum cum ſcuto in qvo:* Vic. Dac.

9. *Figura ſedens dextrâ temonem, ſiniſtrâ cornucopiæ tenens, ſub qva:* Fort. Red. *&* *circùm* Senatus Populusqve Romanus.

10. ARMENIA ET MESOPOTAMIA IN POTESTATEM Redactæ. *Figura armata uno pede conculcans aliam figuram & ab utraq; parte duo fluvii.*

Armeniam & Meſopotamiam Provincias factas esſe numus hic indicat. Hinc Trajanus Parthicus dictus eſt.

11. *Hilaritatis ſimulachrum. Mulier ſtans ſiniſtrâ cornucopiæ tenens, dextrâ ramum oleæ, qvam puerulus manibus tenet:* S. C. Limit.

Limites Romani Imperii numus hic fortè deſignat. Nunqvam latiùs qvàm temporibus his Romæ imperatum eſt. Limites qvippe in oriente tigris conſtituebat, in occidente Danubius.

12. IMP. CÆS. NERVÆ TRAJANO OPTIMO AUG. GER. DAC. PARTHICO P. M.

Figura armata uno pede conculcans aliam figuram, & ab utraq; parte duorum fulminum ſimulachra, cum hac inſcriptione: Armenia & Meſopotamia in poteſtatem P. R. Redactæ S. C.

HADRIANI.

1. IMP. CÆS. TRAJANUS HADRIANUS AUG.

PONT. MAX. TR. POT. COS - FORT. RED. S. C. *Fortuna ſedens dextrâ temonem, ſiniſtrâ cornucopiæ geſtans.*

2. IMP. CÆSAR TRAJANUS HADRIANUS AUG.

PONT. MAX. TR. POT. COS. S. C.

Adventus Aug. S. C. *Figura armata ſpoliis qvibusdam inſidens, & alia ſtans ſedenti manum porrigens.*

Hadriano Syriæ præfecto Imperium Senatus confirmavit, Romamqve poſt mortem Trajani, qvæ Selinunte contigerat, è Syria per Illyricum venienti numos hos ob *adventum* proſperum cudi voluit.

3. HADRIANUS AUGUSTUS.

COS. III. *Hadrianus eqvo inſidens:* Intr. Aug.

4. IMP. CÆSAR TRAJANUS HADRIANUS AUG. P. M. TR. P. COS. III.

Reſtitutori Orbis Terrarum. *Figura genibus inſidens cum coronâ, ſiniſtrâ globum tenens, dextramq; ſtanti porrigens.*

Magnum illum Romæ Provinciarumqve, tanqvam *orbis terrarum, Reſtitutorem* Senatus hic veneratur.

5. HADRIANUS AUGUSTUS.

COS III. S. C. NEP. RED. *Neptunus cum tridente in dextrâ, ſiniſtrâ delphinum tenens, pedem roſtro navis imponens.*

6. HADRIANUS AUGUSTUS.

Felicitati Aug. *Triremis.*

7. HADRIANUS AUG. COS. III. *P. P.*

Felicitas Augusti S. C. *Duæ figuræ stantes, qvarum una sinistrâ manu caduceum tenet, dextramq; alteri porrigit.*

Felicitas Hadriani in hoc aliisve numis sæpius à Senatu extollitur, ævumq;, qvo principatum Imperator hic tenuit, seculum aureum à S. C. deprædicatur.

8. IMP. CÆSAR TRAJANUS HADRIANUS P.M. TR. P. COS.

Providentia Deorum S. C. *Figura stans sinistrâ tenens bacillum, dextramq; porrigens aviculæ, insidenti ramo arboris.*

Providentiâ Deorum tantum felicitatis Imperio Romano sub Hadriano contigisse numus profitetur.

9. HADRIANUS AUG. COS. III. *P. P.*

Salus Aug. S. C. *Figura muliebris stans, sinistrâ pateram tenens dextramq; porrigens serpenti, ex ara se proripienti.*

10. Fortunæ Aug. S. C. *Mulier stans dextrâ temonem tenens, sinistrâ cornucopiæ.*

11. Libertas Restituta S. C. *Figura sedens loco eminentiori, ante eam alia qvædam figura stans, ad cujus latus parva qvædam icuncula cum literis.*

JULIÆ SABINÆ HADRIANI.

1. SABINA AUGUSTA HADRIANI AUG. *P. P.*

Concordia Aug. *Concordia stans, dextrâ pateram, sinistrâ cornucopiæ tenens S. C.*

2. Pietas S. C. *Figura sedens dextrâ pateram tenens, sinistrâ sellæ incumbens cum hasta.*

3. Vesta S. C. *Vesta sedens cum palladio dextrâ manu.*

Freqventes sunt numi Sabinæ, *Pudicitiam, pietatem* & *Concordiam* ejus cum marito adorantes, qvamvis fœmina fuerit virtutum laudibus destituta.

4. Veneri Genetrici S. C. *Venus stans cum pomo.*

TITI ÆLII HADRIANI ANTONINI PII.

1. ANTONINUS IMP. T. ÆLIUS CÆSAR.

TRIB. POT. COS. S. C. *Figura stans ad aram sacrificans cum literis:* Pietas.

Piè adeò sanctèq; rempublicam gubernavit, ut Pius & P. P. merito nominatus sit. Numus primitias *pietatis* ejus exprimit, qvi à *Pausaniâ* omnium Religionum studiosissimus dicitur.

2. ANTONINUS AUGUSTUS P. P.

TR. POT. COS. II. S. C. ITALIA. *Figura coronata sedens in globo stellato, dextrâ cornucopiæ, sinistrâ hastam tenens.*

3. ANTONINUS AUGUSTUS PIUS P. *P.* TR.P. COS. III.

AURE-

AURELIUS CÆSAR AUG. PII. F. COS. S. C. M. *Aurelji caput.*

In Memoriam utriusq; , Antonini nempe & Aurelii, qvi consulatum unà gesserunt, numus signatus est.

4. ANTONINUS AUG. PIUS P. P. TR. P. VII.

Temporum Felicitas. S. C. COS. IIII. *Cornucopiæ cum capitibus liberorum Antonini.*

Temporum felicitas ex progenie Augustæ domûs aversâ numi parte impressa existimatur.

5. ANTONINUS AUG. PIUS. *P. P.*

Victoria Aug. COS. IIII. *Qvadrigæ Triumphales.*

6. Apollini Augusto. S. C. *Figura muliebris stans dextrâ pateram tenens, sinistrâ lyram.*

Apollo cum Lyrâ Actiacum illum seu Palatinum designat, cui Augustus templum in monte Palatino Romæ dicasse fertur, idemq; hic restituisse Antoninus Pius videtur.

7. ANTONINUS AUGUSTUS PIUS *P. P.* IMP. II.

Indulgentia Aug. COS. IV. S. C. *Figura sedens dextram porrigens, sinistrâ hastam puram tenens.*

8. ANTONINUS AUG. PIUS *P. P.* TR. P. XIII.

Pietati Aug. S. C. *Faustina cum duobus liberis.*

Sunt, qvi Faustinam hanc Marci Aurelii esse asserunt: Mortua qvippe Faustina in tertio Antonini Pii consulatu à Scriptoribus memoratur.

9. ANTONINUS AUG. PIUS *P. P.*

Templum Div. Aug. Rest. S. C. COS. IIII. *Templum in cujus superficie & medio figuræ duæ sedentes.*

Templum Divi Augusti ab Antonino Pio *restitutum* fuisse, præter numos, Historiæ haud indicant.

10. DIVUS ANTONINUS.

Consecratio. S. C. *Aqvila globo insistens.*

11. DIVUS ANTONINUS.

Divo Pio S. C. *Columna Antonini.*

Ad viam Flaminiam in foro Antonini columnam hanc Antonino Pio post mortem ejus Senatus erexit. De hâc ita *P. Victor*: *Templum, inqvit, D. Antonini est cum cochlide columna, qvæ alta pedes CLXXV. Habet intus gradus CCVI. & fenestellas LVI.* Qvam vetustate exesam Papa Sixtus restitui curavit, positâ in summo D. Pauli statuâ ex ære inauratâ, qvæ Romæ etiamnum exstat.

ANNIÆ FAUSTINÆ PII.

1. DIVA FAUSTINA PIA.

S. C. *Figura stolata stans dextrâ spicas, sinistrâ facem tenens.*

2. DIVA FAUSTINA.

Æternitas S. C. *Bigæ Elephantorum, in qvorum dorsis bini pueri, & in curru figura qvædam.*

Æternitas, qvæ in numis hic occurrit, Faustinam per consecrationem æternitate donatam esse indicat. Bigis qvoqve adjuncti sunt elephanti, æternitatis apud antiqvos symbola.

3. DIVA FAUSTINA.

Æternitas. S. C. *Cybele curru duobus leonibus tracta cum tympano in manu.*

Verisimile est, Faustinam pro Alterâ *Cybele*, Deorum matre, à Romanis habitam fuisse, jam inter Divos relatam. Currui ipsius juncti sunt leones, victricem Augustæ matris pietatem & amorem indicantes.

4. DIVA FAUSTINA PIA.

Sideribus Recepta. S. C. *Figura stolata stans, lunam habens circa humeros, utrâq; manu gestans facem, fortè* Diana.

Singulare est honoris monumentum, Faustinæ post excessum delati. Sidera enim æterna existere cum Ægyptiis Romani credebant. *Sideribus* ergò *recepta* Diva Faustina celebratur & sub Dianæ seu lunæ luciferæ figurâ ob fæcunditatem exhibetur.

5. DIVA FAUSTINA PIA.

Consecratio S. C. *Figura Pavoni insidens.*

Augustam numus repræsentat a *Pavone* Junonis alite in cœlos delatam.

6. FAUSTINA AUGUSTA.

Junoni Reginæ S. C. *Mulier stolata stans, dextrâ pateram tenens, sinistrâ hastam, ad pedes Pavo.*

Faustina post excessum pro nova *Junone* existimabatur, imò vivens pro eâ habita fuit, pavone, junonis alite, pedibus ejus apposito.

7. DIVA FAUSTINA AUG. S. C. *Templum qvoddam.*

Ita Numum hunc Capitolinus illustrat: *Tertio anno imperii sui Faustinam uxorem perdidit Antoninus Pius, qvæ à Senatu consecrata est, delatis Circensibus atq; templo*, nempe in viâ sacrâ regionis qvartæ.

M. AURELII VERI ANTONINI PHILOSOPHI.

1. AURELIUS CÆSAR AUG. PII. F. COS.

Juventus S. C. *Virgo stans & odorem spargens paterâ super aram.*

2. M. AUREL. CÆSAR. AUG. F. PII. F.

TR. P. COS. II. *Qvadrigæ cum curru, aurigante Cæsare.*

Nullum Aurelio adhuc Cæsare peractum triumphum annales Romani memorant. Qvadrigæ ergò consulares existimantur, ob consulatum secundò susceptum.

3. IMP. CÆS M. AUREL. ANTONINUS AUG. P. M.

CONCORD. AUGUSTOR. TR. P. XVI. COS. III. S. C. *Duæ figuræ jungentes dextras, nimirum M. Aurelii & L. Veri.*

L. Verus ad imperii partem ab Aurelio adſcitus, Vologeſe Parthorum Rege Syriam Armeniamq; vaſtante, ad bellum Parthicum proficiſcitur. Manuum nexus *Concordiam* Auguſtorum in numo exprimit.

4. M. AUREL. ANTONINUS AUG. ARMENIACUS. P. M.

TR. POT. XIX. COS. III. S. C. *Figura ſtans inter ſigna militaria—.*

Vologeſe à Caſſio victo, M. Aurelius *Armeniacus* dicitur.

5. M. AUREL. ANTONINVS AUG. ARM. PARTH. MAX.

TR. POT. XX. IMP. V. COS. III. S. C. *Victoria alata, dextrâ tenens palmam, ſiniſtram imponens trophæo cum ſcuto, cui inſcriptum:* Vic. Par.

L. Verus ad Euphratem iterum profectus contra Barbaros res proſperè gerit, unde *Victoria* hæc *Parthica* ſcuto inciſa eſt in perpetuam rei memoriam, Aureliusqve Parthicus Maximus in numo hoc dictus eſt.

6. M. ANTONINUS AUG. TR XXIV.

SALUTI. AUG. COS. III. S. C. *Figura ſtans ante aram, è qvâ ſerpens erumpit*

Saluti Deæ litabant antiqvi pro ſalute Auguſtorum, qvod freqventer in numis Aurelii deprehenditur, qvi toto ferè Principatûs tempore cum valetudine adverſâ conflictatus eſt.

7. M. ANTONINUS AUG. GERM. SARM. TR. XXV.

VOTA SUSC. DECENN. COS. III. S. C. *Figura ſtolata ſtans cum paterâ ad aram & ſacrificans.*

8. M. ANTONINUS AUG. *Corona civica, cui inſcriptum eſt* Primi Decennales cos. III. S. C. *in laureâ.*

Vota decennalia prima ſoluta eſſe, ex numo hoc liqvet. Finitum jam erat primum Imperii Aureliani decennium, propter qvod Sacra fiebant & ludi peragebantur, qvos numus *primos decennales* vocat. Vicennalia deinde à. S. P. Q. R. nuncupata eſſe, patet ex numo ſeqventi, cui inſcribitur: *Vota ſusc. Decenn.* in aliis *Decenn. II.*

9. M. ANTONINUS AUG. TR. P. XXVII.

IMP. VI. COS. III. RELIG. AUG. *Elegans Templum cum qvatuor columnis, in cujus medio figura qvædam ſtans, in ſuperiori parte animalia nonnulla—.*

Numus Religionem Auguſti celebrat, qvi ſanctitate vitæ omnibus ſuperior Principibus memoratur.

10. M. ANTONINUS AUG. TR. P. XXVII.

GERMANICO AUG. IMP. VI. COS. III. S. C. *Trophæum cum ſpoliis hoſtium, cui aſſidet figura cum captiva—.*

Monumentum est *Victoriæ* de Germanis reportatæ. Contra Germanos qvippe res feliciter gessit Aurelius, Teste Capitolino, *bellumq; imprimis Marcomannicum feliciter absolvit.* Germanicus inde in numo salutatur.

11. M. ANTONINUS AUG. TR. P. XXVI.

RESTITUTORI ITALIÆ IMP. VI. COS. III. S. C. *Figura stans sinistrâ hastam tenens, dextramq; porrigens figuræ seu provinciæ, qvæ genubus innititur & sinistrâ manu Orbem tenet.*

Subacta Germania & provinciis reliqvis restitutis, *Jtaliæ* Romaniqve Imperii *Restitutori* Aurelio numus hic cusus videtur.

12. M. ANTONINUS AUG. SARM. TR. P. XXXI.

IMP. VIII. COS. III. P. P. S. C. *Acervus Spoliorum* De Sarmatis.

M. Aurelius cum Commodo in imperium adscito Romam venit, ubi de Germanis & Sarmatis triumphat, cui trophæum hoc de Sarmatis erectum est. Plurimas Barbarorum in Europâ & in his *Sarmatarum gentem armis domuit*, inqvit Pausanias *in Arcad lib. 8.*

13. M. ANTONINUS AUG. GERM. SARM. TR. P. XXXII.

VOTA PUBLICA IMP. VIIII. COS. III. P. P. S. C. *Figura laureata stans & sacrificans.*

Victoriâ Germanicâ de Qvadis & Hermanduris reportatâ, vota publica suscepta sunt.

14. DIVUS M. ANTONINUS PIUS.

Consecratio. S. C. *Rogus funereus cum qvadrigis in summo.*

Rogum lignorum struem esse ad eorum cremanda cadavera qvi consecrabantur, & ita qvidem dictum qvod in eo Dii Manes rogarentur, *Joh. Vaillant* existimat *tom. 2. pag. 182. Numism. Imp. Rom.* Mortuus Sirmii in Pannoniâ Aurelius fertur.

15. DIVUS M. ANTONINS PIVS.

Consecratio. S. C. *Aqvila cum fulmine.*

ANNIÆ FAUSTINÆ ANTONINI.

1. FAUSTINA AUGUSTA.

Matri Magnæ. S. C. *Cybele leoninæ insidens sellæ, Sphæram inter manus atq; genu tenens, terrarum orbem designat.*

Qvod Divam Faustinam in æstivis secum habuerit M. Aurelius, qvam *Matrem Castrorum* appellavit, Capitolinus narrat & *Matrem Magnam* sub Cybeles effigie Romanos veneratos esse, numus indicat: Dea enim magna Cybele â *Strabone* qvoqve vocabatur.

2. Fecund. Augustæ. S. C. *Mulier stans cum qvatuor puerulis.*

3. Diana Lucifera. S. C. *Mulier stans, fortè Diana, utrâq; manu tædam ardentem gestans.*

Fausti-

Faustina hic *Diana Lucifera* inscribitur ob prolis masculæ fæcunditatem: Diana enim lucifera pariendo invocabatur, ut præter alios *Cicero l. 2. de nat. Deor.* refert.

4. Juno S. C. *Juno stans dextra pateram, sinistra hastam tenens, ad cujus pedes Pavo.*

5 Saluti Augustæ. *Figura sedens ante qvam serpens.*

L. AURELI VERI.

1. IMP. CÆS. L. VERUS AUREL. AUG.

TR. P. COS. II. PROV. DEOR. S. C. *Figura stans, dextra globum, sinistra cornucopiæ tenens.*

2. L. VERUS AUG. ARM. PARTH. MAX.

TR. P. VI. IMP. IV. COS. II. S. C. *Victoria stans ad truncum arboris, cui impositus est clypeus cum inscriptione:* Vic. Par.

3. L. VERUS AUG. ARM. PARTH. MAX.

TR. P. VIIII. IMP. V. COS. III. S. C. *Figura sedens dextrâ bilancem, sinistra cornucopiæ tenens.*

Qvamvis Lucius Verus bellum Parthicum per legatos inprimis confecerit, devicto tamen Vologese Parthorum Rege, *Armeniaci, Parthici Maximi* cognomen meruit, cui & Victoria eadem simul cum M. Aurelio attributa est.

4. L. VERUS AUG. ARM. PARTH. MAX.

TR. POT. VI. IMP. COS. II. S. C. *Armenia sive figura sedens habitu Armeniaco ad trophæum.*

5. DIVUS VERUS

Consecratio S. C. *Aqvila globo insistens.*

Cum Patre M. Aurelio contra Germanos profecturus in vehiculo, cum fratre Marco sedens, apoplexiâ correptus interiit *Divusq;* appellatus est.

LUCILLÆ L. VERI.

1. LUCILLÆ AUG. ANTONINI AUG. F.

Venus S. C. *Figura stans dextrâ pomum seu globum tenens, sinistra hastam.*

2. Fœcunditas S. C. *Fœmina sedens cum puerulis.*

3. Pietas S. C. *Figura stans, ad aram sacrificans.*

4. Junoni Lucinæ S. C. *Figura stolata stans, dextram porrigens.*

Aut *Junoni Lucinæ* Lucilla comparatur aut Junoni hic litatur, ob fæcunditatem Lucillæ. Lucina Juno vocabatur, qvod partum adjuvaret & in lucis aspectum feliciter educeret: Ei sacrificabant puerperæ partum feliciter enixæ.

5. LUCILLA AUGUSTA.

Ceres S. C. *Figura sedens dextrâ spicas sinistra hastam tenens.*

6. Juno

6. Juno Regina S. C. *Figura ſtans dextrâ pateram, ſiniſtrâ haſtam tenens cum pavone ad pedes.*

L. ÆLII AURELII COMMODI.

1. IMP. L. AUREL. COMMODUS AUG. GERM. SARM.

S. C. *Spolia & trophæum:* De Sarmat.

M. Aurelius contra Germanos Sarmatasq; bellum gerens, filium Commodum caſtra ſeqvi voluit, togâ virili jam indutum, qvi ad partem imperii adſcitus Victoriarum Patris particeps factus eſt. Trophæa de populis illis in Commodi numis ſignata qvoqve extiterunt.

2. M. COMMODUS ANTONINUS AUG.

TR. P. VII. IMP. IV. COS. III. *P. P.* S. C.

Jupiter Conſervator. *Figura ſtans dextrâ fulmen, ſiniſtrâ haſtam tenens cum puerulo ad pedes.*

Commodus numum hunc, cui *Jupiter Conſervator* inſcribitur, ideò cudi juſſit, qvòd Conjuratio Perenniana Romæ detecta fuerit, cùm Jovi Capitolino Ludi peragerentur, & Commodus è periculo tanto ſoſpes evaſerit.

3. - - COMMODVS ANTONINI FIL. AUG. *Figura ſtans dextra bacillum tenens, ſiniſtra haſtam* S. C.

Perenni occiſo Commodus *felix* dicitur.

4. COMMODUS ANTONINVS BRIT. S. C.

Figura ſtans ante aram.

Britannis rebellibus per legatos victis, Commodus Imp. VII & *Britannicus* ſalutatur.

5. M. COMMODUS ANT. P. FELIX. AUG. BRIT.

P. M. TR. P. XI. IMP. VII. COS. P. P. FORT. RED. *Figura ſedens dextrâ temonem ſiniſtrâ cornucopiæ tenens.* S. C.

Qvamvis *Fortunæ manenti* votum Romæ hoc anno ſuſceptum fuerit, qvòd Commodus forſan ab expeditione à ſenatu retentus fuerit, *Fortunæ tamen Reduci* litatum qvoqve fuiſſe hîc deprehendimus, ob profectionem Imperatoris contra Mauros ſive Pannones & reditum felicem.

6. M. COMMODUS ANT. P. FELIX. AUG. GERM.

Jovi Juveni S. C. *Figura ſtans dextrâ fulmen, ſiniſtra haſtam tenens cum aqvilâ ad pedes.*

Inter alia nomina, qvæ ſuperbus ille Imperator expetiit, *Jovem Juvenem* ſe appellavit, qvemadmodum numus indicat, qvaſi Jupiter juveneſcens jam exiſteret.

7. - - COMMOD. ANTONIN. S. C.

Figura ſtans, dextra lyram tenens ſupra columnam.

Apollinem Palatinum, cuſtodem domûs Auguſtæ, numus refert. A Palatio Palatinus dictus fuit, qvod templum ejus in Palatio poſt pugnam Actiacam Auguſtus ſtruxerit, memorante Suetonio.

8. L. ÆL.

8. L. ÆL. AUREL. COMM. AUG. P. FEL.

Herculi Romano Aug cos. VI. S. C. *Figura Commodi nudi ſtantis, ſiniſtrâ clavam & pellem leoninam geſtantis, dextra trophæum adornantis.*

Commodus qvoqve *Hercules Romanus* appellari voluit, qvòd feras Lanuvii in amphitheatro occidiſſet, teſte Lampridio, & tanqvam victorias ſuas longè extendiſſet trophæum hìc coronare dicitur.

9. L. ÆL. AUREL. COMM. AUG. P. FEL.

Providentiæ Aug. s. c. *Duæ figuræ ſtantes, qvarum una alteri porrigit caduceum, altera nuda dextro pede innititur proræ navis.*

Ad claſſem Africanam numus ab antiqvariis refertur, qvam Commodianam & Herculeam Commodus qvoq; appellavit. *Providentia* enim Imperatoris inſtituta fuit, *ut eſſet ſubſidiosi fortè Alexandrina frumenta ceſſaſſent*, inqvit *Lampridius in Commodo.*

10. M. COMMOD. ANT. P. FEL. AUG. BRIT. P. P.

Liberal. Aug. VIII. P. M. TR. P. XVI COS. VI. S. C. *Figura ſtans, dextra congiarium, ſiniſtra cornucopiæ tenens.*

Liberalitates ſub Commodo freqventes fuiſſe, teſtis eſt *Xiphilinus*, qvemadmodum & numus hic Liberalitatem Auguſti VIII enumerat.

CRISPINÆ COMMODI.

1. CRISPINA AUGUSTA.

Lætitia S. C. *Figura ſtans dextra pateram, ſiniſtra temonem cum globo geſtans.*

2. *Figura ſedens dextra pateram ſiniſtra cornucopiæ tenens* S. C.

3. *Figura ſedens, ſiniſtram ſupra ſellam inclinans, dextra pateram porrigens ſerpenti, ex ara erumpenti.*

4. CRISPINA AUGVST.

Hilaritas S. C. *Figura ſtans dextrâ ſpicam, ſiniſtrâ cornucopiæ gerens.*

P. HELVII PERTINACIS.

DIVUS PERT. PIVS PATER.

Conſecratio S. C. *Aqvila globo inſiſtens.*

M. DIDII SEVERI JULIANI.

IMP. CÆS. M. DID. SEV. JVLIAN AUG.

P. M. TR. P. COS. S. C. *Fortuna dextrâ temonem, ſiniſtrâ cornucopiæ tenens.*

DECIMI CLODII SEPTIMI ALBINI.

1. D. CLOD. SEPA. ALBIN. CÆS.

Miner Pacif. COS. II. S. C. *Minerva ſtans dextrâ ramum oleæ tenens, ſiniſtrâ haſtam cum ſcuto.*

Albino, cui Senatus Rom. plus qvàm Severo favit, numus hic adulatur, poſtqvam Cæſar à Severo factus esſet, & eam qvidem ob cauſam, nè Romam cum exercitu Britannico veniret, cùm Severus copias contra Peſennnium duceret.

2. Fort. Reduci. COS. II. *Figura ſedens dextrâ temonem, ſiniſtrâ cornucopiæ cum rota ſub ſella geſtans.*

Votum eſt ad Albinum pertinens, *Fortunæ* nuncupatum, ſi ſoſpes Romam ex Galliis perveniret, ſed ad Lugdunum poſtea per Severum cæſus.

L. SEPTIMII SEVERI.

1. IMP. CÆS. L. SEPT. SEV. PERT. AUG.

Vict. Aug. Tr. P. COS. S. C. *Victoria dextrâ lauream, ſiniſtrâ palmam ſuper humerum geſtans.*

Victoria hæc à S. C. illi attributa eſt ob Julianum occiſum & Prætorianos, qvi Pertinacem occiderant, Urbe ejectos.

2. L. SEPTIMIVS SEVERUS PERTINAX AUG. IMP. VII.

DIVI. M. PII F. P. M. TR. P. IIII. COS. II. P. P. *Mars ſtans cum haſta, ſcuto & thorace.*

3. *Imperator ſtans dextrâ victoriolam tenens, cui victoria lauream imponit.*

Pertinacis nomen usq; ad VIII Tr. poteſtatem Severus retinuit, qvod qverimoniâ amicorum tunc abolevit, teſte *Capitolino.*

JULIÆ PIÆ SEPT. UXORIS.

1. JULIA PIA FELIX AUG

Juno S. C. *Figura ſtans dextrâ pateram, ſiniſtrâ haſtam tenens cum pavone ad pedes.*

2. Julia Auguſta S. C. *Figura ſtans ante aram, ſiniſtrâ haſtile, dextrâ ignotum qvid tenens.*

3. JULIA DOMINA AUG.

Veneri Victr. S. C. *Figura dextrâ pomum tenens, ſiniſtro brachio columnæ innixo* S. C.

4. JULIA PIA FELIX AUG.

Sæculi Felicitas S. C. *Figura ſtans, ſiniſtrâ caduceum, dextrâ pateram coram arâ geſtans.*

Juliæ huic omnia deberi adulatores Romani exiſtimarunt. Ideò piam nominarunt eiq; honores omnes, qvos Matri, detulerunt. Ergò præter expresſa in numis præcedentibus encomia *Mater* qvoq; *Caſtrorum* ſalutabatur.

M. AU-

M. AURELII ANTONINI CARACALLÆ.

1. M. AURELIUS ANTONINUS PIUS AUG.

Libertas Augusti S. C. *Figura dextrâ pileum, sinistrâ hastam tenens.*

2. M. AUREL. ANTONINUS AUG. BRIT.

Securitati Perpetuæ S. C. *Figura sedens, dextro brachio sellæ innixo, sinistrâ hastam tenens.*

Securitas perpetua Deâ sellæ innixâ repræsentatur, cum Barbaris facta. Securitas Romani Imperii perpetua meritò hic instar Deæ colitur.

L. SEPTIMII GETÆ.

1. IMP. CÆS. P. SEPT. GETA PIUS AUG.

Concordia Augg. S. C. *Qvatuor figuræ ad aram stantes. Geta sc: & Caracalla. Huic Hercules, illi figura muliebris lauream imponit.*

Concordiam Caracallæ & Getæ, imperium simul administrantium, numus indicat, qvibus Hercules & figura muliebris ob parta de Britannus trophæa lauream imponunt.

2. - - - P. SEPT. GETA.

Duæ figuræ stantes, qvarum altera Hercules videtur.

DIADUMENIANI.

M. OPEL. ANT. DIADUMENIAN. CÆS.

Princ. Juventutis S. C. *Figura stans juxta tria signa militaria.*

M. AUREL. ANTONINI ELAGABALI.

1. AUR. ANTONINUS CÆS.

Spei Perpetuæ S. C. *Figura stans, dextrâ victoriolam tenens.*

2. M. AUR. ANTONINUS CÆS. S. C.

Figura stans & trophæum.

JULIÆ MÆSÆ AVIÆ.

JULIA MÆSA AUG.

Seculi Felicitas S. C. *Figura stolata assistens aræ, dextrâ pateram, sinistrâ caduceum tenens cum stella.*

JULIÆ MAMÆÆ MATRIS.

1. JULIA MAMÆA AUGUSTA.

Felicitas Publica S. C. *Figura stans dextrâ caduceum tenens, sinistrum brachium columnæ inclinans.*

Julia Mamæa, mater Alexandri *felicitas publica*, à Romanis æstimata est, filio fortitudine & matre consilio maturo imperium feliciter dirigentibus.

2. Fecund. Augustæ S. C. *Figura stans cum puerulo, cui dextram videtur porrigere, siniſtrâ cornucopiæ.*

3. Veste S. C. *Figura velata stans, dextrâ Palladium, siniſtrâ haſtam puram tenens.*

Pudicitiam Mamææ numus celebrat, qvi Auguſtam ſub effigie *Veſtæ* repræſentat, qvæ ſymbolum pudicitiæ Romanis erat.

M. AURELII SEVERI ALEXANDRI.

Nomen *Alexandri* adeptus eſt, qvod die eadem editus ſit, qvâ obiit Alexander magnus, ſcilicet XXVIII Junii.

1. IMP. CÆS. M. AUR: SEV. ALEXANDER AUG.

Securitas Perpetua S. C. *Figura ſedens dextrâ baculum tenens, ſiniſtrâ caput tangens, brachio ſellæ impoſito.*

2. Pax Auguſti. S. C. *Figura ſtans, dextrâ ramum oleæ protendens.*

Occiſo Elagabalo, & Alexandro ad Imperium adſcito, Senatus ſibi *ſecuritatem pacemq; perpetuam* promittit.

3. Æqvitas Auguſti S. C. *Figura ſtans dextrâ bilancem, ſiniſtrâ cornucopiæ geſtans.*

Numus hic ad *æqvitatem* rei numariæ refertur. *Reſtitutor* enim *monetæ* multis in numis Alexander inſcribitur, ejusq; rei teſtis qvoqve eſt Lampridius.

4. IMP. ALEXANDER PIUS AUG.

Mars Ultor S. C. *Mars gradivus.*

Gradivus Mars apud Romanos appellabatur, dum bella ſuſcepturi ſacra ipſi fecerunt.

5. Providentia Aug. S. C. *Figura ſtolata ſtans dextra ſpicas tenens ſuper panarium ſpicis repletum, ſiniſtra cornucopiæ.*

Cum frumentum Elagabalus evertiſſet, vicem de pecuniâ propriâ repoſuit Alexander, cujus *providentia* hîc inprimis celebratur.

6. Spes Publica S. C. *Figura ſtans florem manu tenens.*

Spes publica Alexander meritò vocabatur, publica veterum Principum inſtauravit opera, & nova plurima addidit & inſtituit.

7. IMP. SEV. ALEXANDER AUG.

Victoria Auguſti S. C. *Victoria alata ſtans.*

Poſt res in Illyrico bene geſtas â Vario Macrino, numus hic *Victoriam Auguſti* laudat.

8. Virtus Auguſti S. C. *Figura ſtans, dextrâ globum, ſiniſtrâ haſtam gerens dextro pede globo impoſito.*

Prin-

Princeps certè virtutum ingentium Alexander fuit, à teneris ungviculis tantæ assiduitatis, ut nullum diem absqve exercitio aliqvo transire passus sit.

9. Annona Augusti S.C. *Figura stans, dextrâ spicas, sinistrâ hastam tenens.*

10. IMP. ALEXANDER PIUS AUG.

P. M. TR.P. XIII. COS. III. P. P. S. C. *Figura nuda radiata dextram in altum protendens, sinistra flagrum tenens.*

Solis cursum suum peragentis typus esse videtur. Sic Alexander in numis exhibetur ad bellum Germanicum continuandum perficiendumq; profectus.

C. JULII VERI MAXIMINI.

1. MAXIMINUS PIUS AUG. GERM.

Victoria Germanica S. C. *Victoria dextrâ manu sertum, sinistrâ palmam tenens cum Provincia capta humi sedente.*

Numus hic monumentum *Victoriæ* existit, qvæ *Germanica* denominatur. Maximinus qvippe in Germaniâ Imperator, Alexandro â militibus occiso, electus, ad bellum contra Germanos animum protinus applicuit, de qvibus partâ gloriosè victoriâ triumphavit.

2. Fides Militum S. C. *Figura stans utrâq; manu tenens signa militaria.*

Augustis imperium auspicantibus, *militum* sacramenta præstantium *fides* sic in numis expressa fuit.

3. Salus Augusti S. C. *Dea salus sedens, dextrâ tenens pateram cum serpente.*

Salus seu *Hygia*, salutis Dea, tanqvam conservatrix Imperatoris in numo Maximini hîc repræsentatur.

4. Virtus Militum S. C. *Figura stans, dextrâ aliqvid ignotum tenens, sinistra cornucopiæ.*

C. JUL. VERI MAXIMI.

1. MAXIMUS CÆS. GERM.

Principi Juventutis S. C. *Figura stans, dextrâ bacillum deorsum tenet, sinistra pilum, à tergo duo signa militaria.*

D. CÆLII BALBINI.

1. IMP. CÆS. D. CÆL. BALBINVS AUG.

Liberalitas Augustorum S. C. *Figura stans dextrâ tesseram frumentariam, sinistra cornucopiæ tenet.*

Licet Historiæ *liberalitatem* Balbini taceant, numus tamen Congiarium Populo Romano ab Imperatore hoc distributum fuisse arguit.

M. ANT. GORDIAN. III.

1. IMP. CÆS. M. ANT. GORDIANVS AUG.

Jovi Conservatori S. C. *Jupiter stans dextrâ fulmen, sinistrâ hastam tenens.*

Acclamationem publicam potiùs qvàm peculiarem eventum numo hoc contineri Capitolinus suadet, qvi in Balbini & Pupieni electione acclamatum esse ait: *Dii vos conservent.*

2. Æternitati Aug. S. C. *Figura dextram elevans, sinistrâ globum tenens.*

3. Providentia Aug S. C. *Figura stans dextrâ globum, sinistrâ hastam tenens.*

4. Salus Aug. S. C. *Dea salus sedens.*

5. IMP. GORDIANUS PIUS FEL. AUG.

Jovis Stator S. C. *Jupiter stans dextrâ hastam, sinistrâ fulmen tenens.*

Occisis Balbino & Pupieno, solus Imperii Romani habenas Gordianus moderatus, *Jovis Stator* hìc inscribitur, qvasi beneficio ejus imperium consisteret.

6. Lætitiæ Aug. S. C. *Figura stans dextra lauream, sinistra scipionem tenens.*

7. Romæ Æternæ S. C. *Roma globo insidens, dextra victoriolam, sinistra hastam tenens.*

8. Felicitas Aug. S. C. *Figura stans dextrâ caduceum, sinistra cornucopiæ tenens.*

9. Martem Propugnatorem S. C. *Mars gradiens, sinistra parmam tenens, dextra hastam.*

10. IMP. CÆS. GORDIANUS PIVS FEL. AUG.

Liberalitas Aug. II. S. C. *Figura stans dextrâ tenens tesseram frumentariam, sinistrâ duplex cornucopiæ.*

Liberalitas hæc, qvæ II. numeratur, oppresso rebelli Sabiniano Populo eluxit.

11. Romæ Æternæ S. C. *Roma cum victoriola & pilo.*

Roma pro Dea culta est, cui delubra erexerunt.

12. Victoria Aug. S. C. *Victoria gradiens dextra lauream, sinistrâ palmam tenens.*

Victoria hæc Gordiani contra Sabinianum Carthagine Imperatorem dictum, per Mauritaniæ præfectum parta creditur.

13. *Tem-*

13. *Templum seu arcus cum figura sedente, cujus inscriptio obliterata est.*

14. IMP. CÆS. M. ANT. GORDIANUS AUG.

P. M. S. COL. VIM. AN. II. *Figura muliebris stans expansis brachiis, monstrans duo animalia pedibus adstantia, taurum videlicet & leonem.*

Literæ *P. M. S. Col. Vim.* in aversâ numi parte *Provinciæ Mysiæ Superioris coloniam Viminacium,* qvæ in Dacia sita est, indigitant. Obscuri characteres in imâ numi parte *An. II.* ad Annonam secundam *Tristanus* refert. *Taurus* itidem & *Leo* coloniæ fortitudinisq; symbola censentur.

M. JULII PHILIPPI PATRIS.

1. IMP. M. JUL. PHILIPPUS AUG.

Fides Militum S. C. *Figura utrâq; manu gestans signum militare.*

2. Votis Decennalibus S. C. *In coronâ qvernâ.*

Nova Imperii auspicia à *decennalibus* votis petita sunt, qvæ pro salute Imperatoris post decennium soluta. Alia deinde pro altero decennio suscipiebantur.

3. Pax æterna, S. C. *Figura stans dextra ferens ramum oleæ, sinistra hastam.*

4. Fides Exercitus. S. C. *Qvatuor signa militaria.*

5. Læt. Fundata S. C. *Figura stans dextra pateram vel sertum, sinistra temonem tenens.*

6. Salus Aug. S. C. *Figura stans dextram extendens, sinistra cornucopiæ tenens.*

7. P. M. TR. P. - - COS. II. P. P. S. C. *Figura stans, dextra caduceum, sinistra cornucopiæ tenens.*

8. Liberalitas Augg. III. S. C. *Duo Imperatores sedentes in subselliis.*

9. Sæculares Augg. S. C. *Columna cum inscriptione* COS. III.

10. Sæculares Augg. S. C. *Lupa cum Romulo & Remo.*

11. Sæculares Augg. S. C. *Cum Ibice.*

12. Sæculares Augg. S. C. *Cervus.*

Ludos hos *seculares* pluribus diebus perdurasse, assignato singulis ferarum peculiari genere, numi præcedentes docent.

13. Æternitas Aug. S. C. *Puer insidens Elephanto cum baculo in manu.*

11. IMP. M. JUL. PHILIPPVS AUG.

12. Æqvitas Aug. S. C. *Figura stans dextrâ bilancem gestans, sinistrâ cornucopiæ.*

13. Annona Augg. S. C. *Figura stans tenens fasciculum spicarum, sinistra cornucopiæ.*

MARCIÆ OTACILLÆ SEVERÆ. UXORIS PHILIPPI.

1. MARCIA OTACILLA SEVERA AUG.

Pudicitia Aug. S. C. *Figura sedens.*

Pudicitiam in numis Augustarum toties cælatam esse antiqvarii existimant, qvòd nihil Augustis eâ carius fuerit, unde pro Deâ à fœminis Romæ culta fuit.

2. Concordia Augg. S. C. *Dea concordia sedens dextrâ pateram, sinistrâ duplex cornucopiæ gerens.*

3. Pietas Augustæ S. C. *Figura stolata stans dextram elevans.*

4. Sæculares Augg. S. C. *Hippopotamus.*

M. JULII PHILIPPI. FILII.

1. IMP. M. JUL. PHILIPPVS AUG.

Principi Juvent S. C. *Figura militaris stans, sinistrâ globum, dextrâ pileum tenens.*

2. Liberalitas Aug. III S. C. *Pater & Filius sedentes.*

3. Sæculares Augg S. C. *Capra.*

CN. MESSII QVINTI TRAJANI. DECII.

1. IMP. CÆS. C. MESS. Q. DECIO. TRAI. AUG.

Victoria Aug. S. C. *Victoria gradiens dextrâ sertum, sinistrâ palmam gestans.*

In memoriam *Victoriæ* cusus est numus, de Scythis reportatæ.

2. IMP. C. M. Q. TRAJANVS DECIVS AUG.

Pannoniæ S. C. *Duæ statuæ stolatæ cum signis militaribus.*

Pannoniarum exercitum numus hic exprimit, à qvo Trajanus Decius electus imperioqve admotus fuit.

HERENNIÆ ETRSUCILLÆ.

1. HERENNNIA ETRUSCILLA AUG.

Fecunditas Aug. S. C. *Figura stolata stans dextrâ pateram tenens, sinistrâ cornucopiæ cum puerulo ad pedes stante.*

2. Pudici-

2. Pudicitia Augg. S. C. *Figura sedens dextram admovens capillitio, sinistrâ hastam tenens.*

Q. HERENNII ETRUSCI MESS. DECII.

Q. HER. ETR. MES. DECIUS NOB. CÆS.

Principi Juventutis S. C. *Figura stans, dextrâ militaria signa tenens, sinistrâ pilum.*

C. VIBII TREBONIANI GALLI.

1 IMP. CÆS. C. VIB. TREBONIANUS GALLUS AUG.

Junoni Martiali S. C. *Juno sedens in templo rotundo ante cujus pedes pavo conspicitur, & Tauri decumbentis signum.*

Flaminium in bello adversus Ligures occupatum Junoni templum struxisse *Livius lib. 9.* refert. Sic Gallus factâ cum Barbaris pace Junoni Martiali hoc numo litari voluit.

2 ROMÆ ÆTERNÆ S. C. *Figura insidens globo galeata, dextrâ victoriolam tenens, sinistrâ hastam.*

C. VIBII VOLUSIANI.

1 IMP. C. C. VIB. VOLUSIANUS AUG.

Felicitas Publica S. C. *Figura columnæ innixa, dextrâ caduceum, sinistrâ hastam tenens.*

2 IMP. CÆS. C. VIB. VOLUSIANO AUG.

Pax Augg. S. C. *Dea stolata, dextrâ ramum oleæ tenens, sinistrâ hastam.*

Numus hic ad pacem cum Barbaris à Patre factam referendus est.

P. LICIN. VALERIANI.

IMP. C. P. LIC. VALERIANUS P. F. AUG.

Liberalitas Aug. S. C. *Figura stans dextra congiarium tenens, sinistra cornucopiæ.*

Ad Congiarium à Valeriano & Gallieno divisum, cùm Augusti titulo à Patre Gallienus ornaretur, referri potest.

P. LICINII GALLIENI.

1 IMP. C. P. LIC. GALLIENUS AUG.

Virtus Augg. S. C. *Figura militaris stans, dextra clypeum, sinistra hastam tenens.*

2 IMP. GALIENUS AUG.

Dianæ Cons. Aug. S C. *Cerva.*

Numen fuit, qvod pro Conservatore suo Galienus, more Valeriani pa-

ni patris præcipuè invocavit. Hinc Templum, qvod Numini huic in regione VI Urbis exstrui curavit, *Diana Valeriana* dictum est.

M. CASSII LATIENI POSTUMI PATRIS

1 IMP. C. M. CÆS. LAT. POSTUMUS P. F. AUG.

Lætitia Aug. S. C. *Navis Prætoria.*

2 *Mars Gradivus captivum conculcans.*

POSTUMI FILII

1 IMP. C. POSTUMUS P. F. AUG.

Victoria Aug. S. C. *Victoria alata dextrâ sertum, sinistrâ palmam tenens, captivum proterens.*

L. DOMITII AURELIANI

IMP. AURELIANUS AUG.

Concordia Aug. Δ. *Duæ figuræ dextras jungentes.*

C. VALER. DIOCLETIANI.

1 IMP. C. DIOCLETIANUS P. F. AUG. Γ.

Genio Populi Romani. B. Γ. T. K: *DEus Genius stans dextrâ pateram, sinistrâ cornucopiæ gestans.*

Romani civitatibus singulis Genios tanqvam Præfectos constituerunt, adeoqve Diocletianum velut Genium venerati sunt.

2 DIOCLETIANUS AUG.

Moneta Augg. *Tres figuræ stantes cum bilancibus.*

Trium-viros Monetales pars numi aversa exhibet, qvi trium Metallorum, Æris nempe, Argenti & Auri, curam habuêre.

3 IMP. DIOCLETIANUS P. F. AUG.

Sacra Monet. Augg. & Cæss. Nostr. A. Q. P. *Dea moneta stans cum bilance dextrâ manu, sinistra cornucopiæ gerens.*

Sacra Monetaria res meritò dicitur, tanqvam Regale qvoddam & res oppidò sacra, qvemadmodum stante Rep. Tribuni Plebis sacri & sacrosancti dicebantur, & Moneta pro Dea hîc colebatur.

M. AURELII VALERII MAXIMIANI.

D. N. MAXIMIANO BEATISSIMO SEN. AUG.

Providentia DEorum Qvies Augg. P. L. C. *Duæ figuræ stantes, qvarum una sinistrâ hastam, dextrâ spicas tenet.*

Maximiano Mediolani Purpuram deponenti, sicut Diocletianus Nicomediæ eodem die fasces deposuit, numus hic gratulatur, unde

Beatis-

Beatissimus qvoqve inscribitur. Providentia enim DEorum vitam qvietam spondet. SicDiocletianus qvoq; in numis *Quietator* salutatur.

FL: VALER: CONSTANTII

CONSTANTIUS NOB. CÆS.

Genio Populi Romani * P. T. *DEus Genius stans.*

C.GALER. VALER. MAXIMIANI.

1 MAXIMIANUS NOBIL. C.

Genio Populi Romani: *DEus Genius stans, dextra pateram, sinistra cornucopiæ gerens.*

2 IMP. C. GAL. VAL. MAXIMIANUS P. F. AUG.

Genio Imperatoris H. T. E. *DEus Genius.*

C. GALER. VALER. MAXIMINI.

MAXIMINUS NOB. CÆS.

Virtus Augg. & Cæss. N.N. P.T. *Miles gradiens, dextrâ hastam, sinistrâ spolia humeris imposita gestans.*

FL. VALER. CONSTANTINI M.

IMP. C. CONSTANTINUS. P. F. AUG.

Genio Pop. Rom. *DEus Genius, stans cum literis* P.L.C.

FL. CLAUDII CONSTANTINI JUN.

FL. CL. CONSTANTINUS JUN. N. C.

Principi juventutis F. T. R. T. Q. *Figura paludata stans, dextra hastam, sinistra globum tenens.*

JULIANI.

DN. FL. CL. JULIANUS P. F. AUG.

Securitas Reipub. Const. r. *Taurus cum duabus stellis.*

VIRO
Excellentissimo,
MUSEI REGII MYSTAGOGO
SAGACISSIMO,
Doct. OLIGERO
JACOBÆO,
S. R. M. IN SUMMO TRIBUNALI ET CONSISTORIO
ASSESSORI, MEDICINÆ ET PHILOSOPHIÆ
PROFESSORI REGIO.

Cùm per Te celsas AUGUSTI lætior ORBIS
Intrat MUSEI, MAGNE OLIGERE, fores,
Lumina circumfert, & Majestate coruscâ
Cuncta stupens tantas pronus adorat opes,
Suspiciensqve alio fœtus jam sole calentes
Jamqve suo, rari qvicqvid & ipse fovet;
PARVUS hic ORBIS, ait, MAGNO à JOVE conditus, HERME
Propatulus, gemino NUMINE MAGNUS erit.

JOH: LAUERENTII.

In
Museum Regium
Seqventia annectit
Operis hujus Autor.

Augustam mirare domum. Jovis omnia plena
Monstrat, & arcanas Urbis & Orbis opes
Mutua naturæ pugna increbrescit & Artis
Materiamq; sibi cedere forma cupit.
Qvæ dispersa priùs, qvæ dissita sedibus olim,
Augusto hìc junctim sunt cumulata loco.
Hìc ramis avulsa suis miratur Idume
Balsama, & assiduo sole perustus Arabs
Hìc Crocodilorum tellus Memphitica turmas
Totq; in Niliaco monstra stupenda lacu
Et pretio ingenti siccata cadavera Regum
Et myrrhæ lacrimis roscida membra videt,
Hìc Scytha villosum Boramez, hìc Turca pharetras
Scutaq;, qveîs notus Bassa Ibrahimus erat,
Qvæq; illi pugnax Adelerius abstulit arma,
Hellespontiaci qvà fluit unda freti.

India misit ebur, gemmas, animalia, plantas
Et Porcellanam China opulenta suam,
Persa nec invidit qvæsitas æqvore conchas,
Nec grana ex fulvis torridus Afer aqvis,
Transtulit hùc Gallus, Teuto, Romanus, Iberus,
Pannonius, Russus, Belga, Britannus opes.
Hìc sculptum aspiceret Pyrrhus redivivus Achatem
Et gemmæ incisos Roma videret avos,
Ac serie ingenti veteris numismata secli.
Æraq; Cæsaribus prisca notata suis.
Qvid memorem in muto strepitantia bella metallo,
Exeqvias, thalamos, fœdera, castra, Duces,
Et solido qvondam gravidas dodrante bilances
Et qvos admordet fibula curva sinus.
Se pictum Æneas post tot jam secla videret
Et pater Anchises, Ascaniusq; puer,
Peniculumq; ævi nostri laudaret Apelles
Ac victà Zeuxis Parrhasiusq; manu.
Argenti hìc vilescit honos, dum singula gemmis
Obsita, & Eoô plena adamante micant,
Hìc Arabum transtris vectus spectatur Achates
Et viridi passim luce smaragdus adest,
Illic Chrysolithus nativo interlitus auro
Fulgurat, hìc Onyches Sardonichesq; simul,
Jaspis, Beryllus, genio ignescente Pyropus,
Atq; oculis vernans lux, Amethyste, tua,
Hìc

Hìc qvoq; ſtelliferum deſignat machina cœlum,
Ingenii & dextræ nobilioris opus,
Demonſtrat, ſolem qvoties Eclipſis obumbrat
Atq; obſcuratis Luna laborat eqvis,
Demonſtrat ſeptena vagos ducentia gyros
Lumina, & in cœlo qvaliter aſtra meant,
Qvid memorem innumeris implexos orbibus orbes
Et tot Brachmanûm Cecropidumq; rotas?
Qvid ſpecula effectu validas ſuperantia flammas,
In qvorum mediis fuſa metalla focis,
Atq; Mathematici tot inſtrumenta laboris
Qvot Belo qvondam vel celebrata Pharo.
Pars ſubjecta ædis docti monumenta laboris
Exhibet, & qvicqvid Bibliotheca fovet,
Hìc Vaticani ſpectas miracula collis,
Et Philadelphéi ſcripta vetuſta Ducis,
Hìc Cyrrham & Tenedon cinctumq; Helicona Camœnis
Et qvicqvid latices Bellerophontis habent.
Infima pars Martis mortisq; hìc arma recondit,
Et ſociat telis tela minisq́; minas,
Et clypeis clypeos & acutos enſibus enſes,
Loricas, galeas, pila, veruta, globos.
Hìc catapultarum ſtreperum genus undiq́; cernis,
Maxima qvod nitri pondera ventre capit,

Et

Et Phlegetontéos diductà fauce lebetes
Fulmineo qvorum è gutture flamma volat,
Hìc Brontes Steropesq; habitant, hâc sede Pyracmon,
Hìc nitrum & sulphur Mulciber ore vomit.
Sic Martem haud refugit Musis stipata Minerva
Et chartis enses jungit Apollo suis.
Frustra igitur tentas terras calcare repostas,
Ut se naturæ pandat & artis opus.
Frustra Alpes rigidas atq; acroceraunia scandis,
Et ratis Indorum fluctuat inter aqvas.
Hìc junctam Natura sibi complectitur Artem,
Hìc patet, immenso qvicqvid in Orbe patet.

Fig. I.

Fig. II.

Benedict Grothschiling P[illegible]

Johann E[illegible] sculp. [illegible]


FIG. VI.

FIG. I.

FIG. III.


FIG. II.

FIG. IV.


FIG. V.

TAB. III.
FIG. I.
FIG. II.
FIG. IV.
FIG. VI.
FIG. V.
FIG. VIII.
FIG. VII.
FIG. III.

TAB. IV.
FIG. II.
FIG. I.
FIG. III.
FIG. IV.

Tab. V.

Fig. I.

Fig. II.

Fig. V.



Fig. IV.



Fig. III.

Fig. VIII.



Fig. VII.



Fig. VI.



TAB. VI.

FIG. I.

FIG. II.



FIG. III.



FIG. IV.



TAB. VII.

FIG. I.



FIG. II.



FIG. III.



FIG. IV.



FIG. V.



Fig. I.

Fig. II.



Fig. III.



Fig. IV.

Fig. V.



Fig. VI.

Fig. I.

Fig. II.



Fig. III.



Fig. IV.



Fig. V.



Tab. X

Fig. II

Fig. I

TAB. XI.

FIG. I.

FIG. II.



TAB. XII.
Ihiob
Cabelou
gunnele
Sig Jo

ORNAMENTA
ABSOLONIS HUIDE.
FIG. I.
FIG. II.
FIG. III.
FIG. IV.
FIG. V.
FIG. V.
FIG. VI.
FIG. VII.
FIG. VIII.
FIG. X.
FIG. XI.
FIG. XII

TAB. XIIII.

FIG. I.

FIG. II.



FIG. III.



FIG. VI.



FIG. VII.



FIG. IV.

FIG. V.

FIG. VIII.



FIG. IX.

FIG. X.

FIG. XI.

FIG. XII.

FIG. XIII.


TAB.XV.
Cornu Aureum
Danicum.

Cornu Oldenburgicum.



Machinarum genuinæ formæ. TAB. XVII.

machinæ planetarum facies anterior.



Mach: planet:

Machinæ eclipsium.



facies posterior.

facies posterior.

facies anterior.

N.º 1.

N.º 2

N.º 3.

N.º 4.



N.º 5.

N.º 6.

N.º 7.

N.º 8.



N.º 9.



N.º 10.



N.º 11.



N.º 12.

N.1.

N.2.



N.3

N.4

N.5

N.3

N.6

N.7

N.8



N.9



N.10.

N.11.





N°12

N°13

N°14



N°15

N°16

N°17



N°18

N°19

N°20

N°21

N°22

N°23

N°24

N°26

N°25

N°27

N° 1.

CHRISTIANVS·IIII·D·G·PRI·ET·ELECT·REX·DAN·NO·Z·

REGNA·FIR MAT·PIETAS 1592

N° 2.

CHRISTIA·IIII·D·G·DANI·NOR·GOTO·WAN·REX·ELEC

SCHR NACH VGAL PORT

DVX·SLE·HOL·STO·E·DIT·CO·OL·E·DE·

N° 3.

CHRISTIANVS·IIII·D·G·DAN·NO·VA·G·REX·

REGNA·FIR MAT·PIETAS

DVX·SCL·HOL·ST·DIT·COM·IN·OL·ET·Z

N° 4.

CHRISTIANVS·IIII·DANIÆ·NOR·VAN·GOT·REX·

NA·DXX·ANO·NIC·S·C·E·

REGNA·FIR MAT·PIETAS

CHRISTIANI 4·DANIÆ·NORV·REGIS·C· A·NAT·1577·ELEC·84·COR·96· CONIVG·97·MEN·NO·Z7·

VIVAT·ET·VALEAT· SL·R·M·NIC·S·F· 1596

N° 5.

NIL·SALVBRIVS·PALLADE·PIETATE·INSTRVCTA

DVM DORMIAT LICET

REGNA FIRMAT PIETAS

N° 6.

CHRISTIANVS·IV·D·G·

VIII. SOLIDI 1603.

REX·DANI·NORVEG·VANDA·GOTHO·

N° 7.

CHRISTIANVS·IIII·D·G·DAN·V·G·REX·VIVAT·ET·VALEAT

16 08

REGIS·DANIÆ·MONETA·NO

N° 8.

CHRISTIANVS·IIII·D·G·DA·

VI DAL. 1604.

N° 9.

CHRISTIANVS·IIII·D·G·DA·

IIII DAL 1604

N° 10.

CHRISTIANVS·IIII·DANIÆ·NOR·VAN·GOT·REX

ANNO M·DC·VI· REGNA FIRMAT PIETAS

N° 11.

CHRISTIANVS·IIII·D·G·DA·NO·VA·G·Q·REX·

16 08

IN·O·ET·D·M·DVX·S·CH·HOLSTO·E·T·DITM·CO·

N° 12.

CHRISTIANVS·IIII·D·G·DANIÆ·NORVE·

ANNA·CATRINNA·D·G·R·EGINA

N° 13.

N° 14.

N° 15.

N° 16.

N° 17.



N° 18.

N° 19

N° 20.

N° 21.

N° 22.

N°. 24.

N°. 26.

N°. 24.

N°. 25.

FRUSTRATE
OPPONIS, FRÆNANDE
CABALLE, LEONI,
ALBUS ERAS, RUBEUS
SIMODO PERGIS, ERIS.

N°. 23.

N°. 27.

N°. 27.

N°. 28.

N°. 29.

N°. 30.

N°. 31.

N°. 32.

N°. 33.

N°. 34.

N°. 35.

N°. 36.

N°. 37.



N°. 38.

N°. 39.

N°. 40.

N°. 41.



N°. 42.



TAB. XXV.

N° 1.

FRIDERICVS D·G·ARK·E·BREM·E·V·CH·A·H·N·D·S·H·S·E·D·C·O·E·D

FRIDERICVS III·D·G·DAN·NORW·GOT·VAND·REX·DVX·SL·HOLS·DIT·COM·IN·OLD· & DELM·

16 48

N° 2.

SEHT WIE DER FRIED IEZ ZIERT DIE WELT DA FRIDERICH KROHN VND SCEPTER HELT

N° 3.

FRIDERICVS·3·D·GRA·DANIÆ·

1648.

NOR·VAN·GOT·REX·

TANDEM

N° 4.

FRIDER·III·D·G·DAN·NOR·VAN·GOT·REX·

OLD & DELM· DVX SLES· HOL·STOR· DITM· COM·

N° 5.

Fridericus III D G Daniæ Norw Vandalorum Gothorumq Rex.

BLVM.

N° 6.

FRIDERICVS III·D·G·DAN·NOR·VAN·GOT·REX·

DOMINVS PROVIDEBIT 1653

N° 7.

Hafnia Daniæ.

Croneburg

N° 8.

FRIDERICVS·III·D·G·DANIÆ·NORWEGIÆ·

VANDALOR·GOT·HOR·Q·REX

tan dem

1658

N° 10.

MAGNANIMIS,
PRETIO QUOS VIS
VEL SUSCITAT ASTUS,
IAM DEBELLATIS,
UNDIQUE TUTUS
ERO.
XIV NOVEMB:
MDCLIX.

N° 9.

SOLI DEO GLORIA

11. Feb.

DOMINVS PROVIDEBIT 1659 EBEN EZER·

N° 11.

DOMINVS PROVIDEBIT

SPES MEA IN DEO

No. 12.

No. 13.

No. 14.

No. 15.



No. 16.

Nº 17.

Nº 18.

Nº 19.

Nº 20.

Nº 21.

Nº 22.

Nº 23.



Nº 24.

Nº 25.

Nº 26.

Nº 27.

Nº 28.

Nº 31.

29.

30.

Nº 32.





Nº 33.



TAB. XXVIII.

No. 1.



No. 4.

No. 2.

No. 2.

No. 3.

No. 3.

No. 5.

No. 5.

No. 6.



N°. 8.

N°. 7.

N°. 9.

N°. 10.

N°. 11.

N°. 13.

N°. 12.

N°. 14.

N°. 15.

N°. 16.

N°. 17.

NUMINIS AUSPICIIS
FELICI SUB REGIMINE
SERENISSIMI & POTENTISSIMI PRINCI
AC DOMINI DOMINI
Dies Salutis
Dicent posteris
REGIS DANIÆ NORVEGIÆ VANDALORVM GOTH. DUCIS
SCHLES. HOLSAT. STORM. & DITMAR. COMITIS IN OLDEN-
BORG & DELMENHORST TER HOSTILI CLASSE I. SUB ÖLAN-
DIA II. PROPE LANGELANDIAM III. IN SINU IUXTA COAGI-
UM PROFLIGATA & UNDECIM PRIMI ORDINIS NAVI-
BUS BELLICIS CUM OMNI APPARATU INTERCEPTIS
CORONA HÆC
COMPARATA
EST.

N° 19.

CHRISTIANUS V. REX. DANIÆ NORVEGIÆ.

N° 20.

SIC CODANI TURBAS CONCILIASSE IUVAT.
I IIII.II ANNO 1677.

CS

N° 20.

No. 21.

No. 22.

No. 23.





No. 24.

No. 25.



No. 26.



No. 27.

ERTHOLMIA
ante piscatorum famula
nunc arbitra Codani maris
ante in hospita scopulis abrupta cautibus
nunc
Anno MDCLXXXIV ausu plus quam Herculeo
CHRISTIANI QVINTI
August. Daniae Norwegiaeq. Monarchae
tutela. Balthis, asylum negotiantium
regnorum gloria
ex castello saxeo arcet hostilia
amicos placide receptat
posthac
CHRISTIANSÖE.

N.o 28.

N.o 29.

N.o 30.

N.o 31.

N.o 32.

N.o 33.



N.o 34.

N.o 35.

N.o 36.

N.o 37.

N.o 38.

N.o 39.

N.o 40.



N.o 41.

N.o 42.

N.o 43.



N°. 45.

N°. 46.

N°. 47.



N°. 48.



N°. 49.



N°. 50.

N°. 51.

N°. 52.

N°. 53.

CHRISTIANVS.V.D.G.REX. DAN.NOR.VAN.GOT.
BART. MEIER.

1692 SIC STANT CONSPICUÆ REGALI IN SE DE CARINÆ
ET BENE MUNITI CASTELLI NATANTIA REGNI
HISDVCIBVS.
EXOD.XIV.
NEC.IRRITANTES.
NEC.IRRITANDÆ.

CHRIST.V.D.G. DAN.NO.V.G.REX
A.MEIBVS.F.

DE NOSTRIS DET DEVS ANNOS
XV APRILIS
1693

PIETATE ET IVSTITIA
MDCXCII

CHRISTIANVS.V.D.G.DAN.NOR.VAN.GOT.REX
ANT.MEIBVS.F.

PIETATE ET IVSTITIA

CHRISTIANVS.D.G.REX.DAN.NOR.VAN.GOT.
B.MEIER.

PAX QVÆRITVR ARMIS
ANN.MDCLXXXXIII
MIVL.

CHRIST.V.D.G.DAN. NOR.VAN.GOT.REX
ANT.MEIBVS.F.

QUAE SVSPECTA DIIS MERITO SIVA DEJICIT ARMA
PAX.RAZEBVRG
1693.

PROVIDENTIÆ.CHR.V.P.F.A.P.P.OBSECURIT.CIRC.INF.SAX.RESTIT.
D.N.XV.APR.MDCXCIV.

PIETATE COMMOTUS
IVSTITIA ADACTVS

TAB.XXXV.

No. 62



No. 63



No. 64

No. 65

No. 67

No. 66

No. 1.



CHRISTIANUS V. DEI GRATIA.
REX DANIÆ
ET NORVEGIÆ
VANDALORUM
GOTHORUM
DUX SCHLES
VIC HOLSA
TIÆ. STOR
MARIÆ DIT
MARSIÆ. CO
MES IN OLDEN
BURG ET DEL
MENHORST.

N° 2.



MAGNVM. SIGILLVM. NOBILISS. ORDINIS. ELEPHANTINI
MAGNANIMI PRETIVM

N° 3.



RESTITUTOR · ORDINIS · DANEBROGICI ·
FIDELIUM TESSERA

N° 4.

CHRISTIANVS. V.D.G. REX. DANIÆ. NORV. V.G. D.SL.H.S.T.D.C.OLD. & DEL.

AUCTARIUM RARIORUM,

QVÆ

MUSEO REGIO PER TRIENNIUM

HAUNIÆ ACCESSERUNT, UBERIORIBUS ILLUSTRATA COMMENTARIIS, PRÆCIPUE NUMISMATA ET ALIÆ ANTIQVITATES PARTI SECUNDÆ AUT INSERTÆ AUT INSERENDÆ.

Anno MDCXCIX.

Jacob v. Saller.
Bernt v. Arnim.
Baltzar v. Tussel.

Columnæ lævæ incisa sunt eodem modo nomina, in primâ serie:

Steen Brahe.
Peter Muncke.
Brede Rantzow.
Gert Rantzow.
Preben Gyldenstern.

In secundâ.

Wulmar Parsberg.
Achsel Brahe.
Oluf Rosenspar.
Stheen Maltzen.
Henrich Lucken.

In tertiâ.

Frantz Rantzow.
Knut Brahe.
Hennig Göie.
Eske Brock.
Friderich Rosenkrantz.

In qvartâ.

Erich Lucken.
Detlev Holck.
Claus Podebusch.
Preben Bilde.
Tagge Krabbe.

In qvintâ.

Otto Christoffer Rosencrantz.
Christian Barnekaw.
Niles Schram.
Ulrich Santberg.
Christof Parsberg.

In sextâ

Jacob Lucken.
Ove Lunge.
Christian Muncke.
Matz Santbergh.
Peter Base.

In septimâ.

Lavrentz Brockenhuus.
Knut Rudt.
Ebbe Munck.
Steen Matzen.
Andreas Sencklar.

In Octavâ.

Essche Bilde.
Hennig *Walckendrup.*
Birge Trolle.
Jacob Beck.
Georg Krab.

In nonâ.

Georg Uhrn.
Erich Uhrn.
Magnus Göie.
Marten W*ensterman.*
Hannibal *Gyldenstern.*

In decimâ.

Christian Hardenbeck.
Jacob Rosencrantz.
Otto Lindenow.
Knut Guldenstern.
Albert Schele.

In undecimâ.

Peter Brahe.
Knut Grube.

Ipse enim Rex biduo eodem tam certo ictu & promicante intra oculi flexum solertiâ pendentem è chordâ annulum excepit, ut nunqvam falleret; Eundem qvippe obstupescentibus singulis, bis centies & sexies, continuâ verò serie decies & septies, summâ cum laude lanceâ exceptum reportavit, decursionibus trecentis & qvadraginta ab eo peractis. Qvemadmodum in descripto coronationis actu dignum hoc, Majestate invictâ, spectaculum *Augustus Erich* prolixiùs enarrat, Hauniæ anno 1597. impresso. Memoratur, devotum esse subjectionis honorarium urbis Hamburgi in Stormariâ sitæ, cujus legati coronationi huic interfuère, Stormariæ Principi ac Domino suo submissè posteà oblatum. Similes decursiones post Homagium à Se

à Senatu populoq; Hamburgi anno 1603. d. 30 Octobris Regi eidem præstitum, in foris urbis ejusdem, vulgò Pferde-Marckt & Hopfen-Marckt dictis, diebus scilicet 31 Octobris 1. 2 & 3 Novembris, institutas nobis *Martinus Bindeman* rythmis Germanicis describit, in qvibus fortissimus Princeps appensum ad chordam annulum una die nonagies & qvinqvies hastâ correptum laudabiliter abduxit. Fusiùs harum meminit qvoq; *Johannes* Heusnerus in narratione suâ historicâ homagii ejusdem.

— ad pag. 44.

PHIALA ex CORNU RHINOCEROTIS. Docet inscriptio, phialam hanc Imperatoris RUDOLPHI II. fuisse ejusdemq; manu exqvisitissimâ efformatam. Circa operculi qvippe limbos aureos hæc leguntur: *Poculum deleteriorum προφυλακτικόν Divi Rudolphi II. Rom. Imperat.* In orâ basis POLYDÆDALA MANUS INVICT. IMPERAT. TOREUMA HOC FINXIT. Felicissimus fuit Imperatorum, qvi intra 300 annos ante ejus imperium regni Romani habenas moderabatur. *Invictus* qvippe contra Mahumetem per annos 14. bellum gessit & ubiq; eum tam fortiter repressit, ut ne pedem qvidem in Germaniam inferre valuerit. Literis interim artibusq; variis adeò effloruit aula ejus, ut velut theatrum extiterit, in qvo Sapientiæ Bellonæq; officinæ felici consortio jungebantur. Fovit præterea *Tychonem Brahæum* Eqvitem Danum & Astronomum summum, ut literatos alios & artifices silentio involvam.

TABULA ex Orichalco qvæ Electricis Saxoniæ *Annæ Sophiæ* introitum Dresdensem exhibet. Introitus hic anno 1666. d. 31 Decembris inter applausum omnium & gratulationes Dresdæ celebratus est, cùm Princeps hæc, filia natu maxima Potentissimi Danorum Monarchæ, Divi *Friderici III.*, thalamo *Johannis Georgii* Celsissimi Electoratus Saxonici Principis jungeretur. Tabula, fermè qvadrata & valvis munita, est artificii insignis, qvo sculptor pompam hanc solennem cælo suo punctatim expressit.

TABULA EBURNEA, duorum est pedum longitudine, unius verò & dimidii latitudine, actum primum sepulturæ Christi repræsentans. Dædalum hoc opus solertiâ artificis summi, *Bettelii*, natione Bavari, affabrè adeò effictum est, ut musculi, venæ partesq; aliæ in personis, qvæ longitudinis plusqvam sesqvipedalis hìc repræsentantur, elegantissimè expressæ.

— ad pag. 45.

TABULA LIGNEA longitudinis ferè sesqvipedalis, colore rubro obducta, qvæ Christum crucifixum tunicamq; ejus inter milites aleâ divisam, artificio vix imitando, exhibet.

PECTEN ISLANDICUS OSSEUS, cui figuræ variæ insculptæ. Tylensium sive Islandorum industria nec silentio hìc obliteranda, qvi in artes mechanicas adeò sunt proclives, ut qvilibet in arte qvavis suum absolvere pensum sciat. Hanc sculpendi artem aliasq; mechanicas, qvas Islandi promiscuè callent, sub conceptu communi *Smid* appellant, de qvibus fusiùs *Histor. rerum Orcadensium Torffæi lib. I. cap. XXI.* Præter pectines elegantissimos, nostrates crinali spico etiam olim usi fuêre, qvo pilorum perplexionem discreverunt, utpote capitis cultui maximè intenti, qvemadmodum de Daniæ Rege Haddingo *Saxo Grammaticus* narrat *hist. Dan. lib. I. fol. m. 11.* & ex Jomsburgensium sive Julinensinm hist. M. S., qvæ *Jomsvikinga Saga* nobis dicitur, luculentiùs constat. Simplicissima verò majorum cura alendi comos fuit ex fonte lavare

are & ſole ſiccare capillos, qvod vocabant *at ſittia at hadbleike* i. e. ſedere ad ſolem pro capillis colorandis & ad nitorem ſummum perducendis

OLLA ex LAPIDE TALCOSO Norvagiæ, craſſa & ponderoſa, coloris cinerei, qvatuor ferè librarum capax eſt, anſam habens ferream. In ollis talibus cibos Novagi coqvunt. Ignis qvippe violentiam lapis hic ſuſtinet, & cum mollis ſit, facilè excavatur variasq; pro lubitu artificis figuras recipit. Qvemadmodum ex laminis ejusdem lapidis invicem compactis Norvagi fornaces exſtruunt. Talis ex lapide eodem, magnitudinis inſignis, in arce Roſenburgi, Hauniæ conſpicitur.

MENSA ex MARMORE Norvagico, propè Chriſtianiam eruto, qvod ſtudio ſummo ita eſt perpolitum, ut præſtantiâ ſuâ Italico vix cedat. Menſæ lamina ſive tabula eſt longitudine quattuor fermè pedum, duorum verò latitudine, nomine Regis *Chriſtiani V.* in qvolibet angulo inſignita.

— *ad pag.* 46.

CALCEUS ingens piſcatoris cujusdam Belgæ, *van Leckerkercken* dicti. Pedis eſt unius & trium pollicum longitudine. Ante annos aliqvot piſcator hic ſpectandum ſe Hauniæ præbuit, ſeptem pedes & dimidiam ſtaturâ ſuperans. Conterraneum olim habuit, *Nicolaum Kithenium Spernerwoudâ* pede integro adhuc majorem. *Martinum Wierwskium* pedum octo longitudine non ita pridem qvoq; Polonia nobis obtulit, ex giganteo ferè genere oriundum. Nec minoris ſtaturæ Norvagiæ Rex *Haraldus Haardraade*, qvi adultæ ætatis decem pedes Norvagicos longitudine ſuâ æqvavit, anno 1016 natus. In annalibus Norvagiæ anno ætatis decimo qvinto caſtra intrepidè idem ſeqvutus eſt, qvemadmodum *Snorrius Sturleſonius* refert. Ex hoc genere Septentrionalium originem duxerat jam ante multa ſecula *Maximinus* Imperator, cujus caliga qvoq; in memoriam tam vaſti corporis diu ſervata fuit. De ejus origine & ſtaturâ procerâ *hiſtoria Auguſta* ejusq; commentatores plura adferunt.

— *ad pag.* 47.

EFFIGIES Parochi cujusdam perqvam eleganter picta, cui à tergo inſcriptum exſtat: FRIDERICUS Tertius **hat diß Contrafaj gemachet / als er Ertz-Biſchopff geweſen im Stifft Bremen / dieſer Paſtor iſt Prediger geweſt zum Jorck im Stifft.** i. e. Rex Daniæ Fridericus III. hanc dilineavit effigiem, cùm Archiepiſcopus eſſet Bremenſis, Paſtor autem hic eccleſiæ Jorkenſi præfuit in Bremenſi Diœceſi.

CAPSA, à cœco qvodam Capſario *Johanne Bielfeldt* Oldenburgenſi Hauniæ anno 1673 efformata. Opus eſt affabrè vermiculatum, teſſellis varii coloris hinc inde inſertis, adeò ut de coloribus hìc qvoq; cœcum judicaſſe ſentias. Cœcus fuit hic Capſarius ab anno ætatis ſuæ decimo, qvi abhinc annos quatuor Hamburgi ſuam didicit artem mechanicam, qvemadmodum inſcriptio capſæ huic affixa evincit.

STATUA ICONICA Magni Daniæ Regis *Chriſtiani Qvarti* ex marmore pretioſiſſimo exſculpta, ſpectatæ admodum magnitudinis, more Romano baſi marmoris punicei inſiſtens. Publicæ qvondam pietatis monumentum fuit, qvod in cœmento parietis portæ Haunienſis occidentem verſùs in obſidione Haunienſi anno 1658. eminuit, cui, qvod prodigiis proximum eſt, nil noxæ hoſtilia intulère tormenta, propriùs licet percuſſis globorum illiſu muris.

Coru-

Coruſcat tandem hic inter picturas primarias Regina MARGARETA, Semiramis illa Danorum & ſeptentrionis Amazon; conſpicitur Rex Trionum fortunatiſſimus CHRISTIANUS I. *Prudentia divitiisq; clarus*: Effulget JOHANNES I. *virtute, qvam fecit dextra Dei*; In ſolio Regio firmatus CHRISTIANUS II. *virtute & animo* excellens: FRIDERICUS I. *Conſilio & dexteritate*: CHRISTIANUS III. *Religione & fortitudine*, FRIDERICUS II. *Pietate & munificentiâ*, CHRISTIANUS IV. *magnanimitate & ſolertiâ*, FRIDERICUS III *Sapientiâ & fortitudine*. CHRISTIANUS V. qvi majorum omnium virtutes fortunamq; ſupergreſſus, fulcris duobus firmiſſimis *Pietate & Juſtitiâ*, regna ſua firmavit inventurus poſthac in annalibus æternitatem.

AD SECTIONEM II.

Part. II. pag. 49.

MANUBRIUM PUGIONIS ex jaſpide viridi, cui maculæ purpureæ hinc inde interſperſæ. Poſſeſſor hujus olim fuit D. Paulus Lutherus, Auguſti Electoris Saxoniæ Medicus. D. Martini Lutheri filius fuit, qvi felices adeò in cognitione & uſu artis medicæ progreſſus fecit, ut præcipuis Germaniæ Principibus aliisq; ordinum omnium hominibus ſuâ medendi operâ profuerit.

JACULUM ad balænas capiendas. Totum ex ferro conſtat cuſpide grandi utrinq; hamatum. Fiſtulam in unâ extremitate habet, cui lignum teres & oblongum inſeritur. Uſum ejus *Rondeletius* deſcribit.

PALLIUM REGALE INDICUM. Fuit inter cœtera munera, qvæ Monarchæ noſtro Auguſtiſſimo Chriſtiano V. Anno 1671. miſſa ſunt à Sultano Agoum Rege regni Bantam in Inſulâ Javâ.

— *ad pag*: 50.

VAS LIGUSTICUM. Ex Liguriâ, regione Italiæ nomen obtinuit. Figuræ eſt ovalis, ex argilla confectum & incruſtatione niveâ elegantiſſimâ obductum. In extremitate unâ effigies mulieris conſpicitur.

POCULUM REGALE INDICUM ex terrâ Melitenſi ſeptem unciarum capax, qvod in ſuperficie exteriori figuras viperarum ſcorpionum aliorumq; animalium ſibi impreſſas habet. In labro ejus ſeqvens legitur inſcriptio: DIVINO HOC PAULI ANTIDOTO ATRA VENENA FUGABIS.

PYXIS EBURNEA, qvæ aurum Guineenſe recondit. In operculo ejus calendula conſpicitur, ſupra qvam ſol, cum inſcriptione ſeqvente: *Vott rabſang mephet mouzang, è votre præſans mephet Bibang.*

STOREA INDICA, in qva diſcumbere ſolent Reges Indorum, dum vel conviviis indulgent, vel Legatos peregrinos admittunt. Longitudinem habet pedum qvinq; cum dimidio latitudinem trium. Operis teſſelati eſt, coloribus diverſis elegantiſſimis variegata.

— *ad pag.* 51.

LAMINÆ ARGENTEÆ, qvibus characteres Indici inſculpti. Nec in palmæ foliis ſcriptitando ſubſtiterunt Indi, ſed & in auro hodie & argento ad Reges & Principes ſtylo acutiſſimo literas exarare didicerunt, qvæ tamen more,

re veteri palmæ foliis similes relinqvuntur & complicantur. Guld-Breve & Sølv-Breve nobis propterea dictæ, qvæ ad Reges nostros Gloriosissimos ab Indiæ Principibus scriptæ hic asservantur.

IDOLUM INDICUM, magnitudine qvinq; pollicum, ductu naturæ artisq; simul beneficio ex marmore ita variegatum, ut colore diverso membra & vestes simiamq; assistentem repræsentet. Indicat verò haud obscurè simia prædicta idolum hoc pro numine illo censendum esse, qvod SCYTÆ nomine Indi invocant, qvæ Legislatoris RAM uxor fuit. Meminit utriusq; *de la Boullaye le Gouz*, itinerarii part 2. cap. II. Simiam verò tanqvam servum numinum Rami & Scytæ sub nomine *Herman* ab Indis regni *Guserata* coli scriptores alii inculcant, Convenit autem Scyta cum nomine Dei Lapponum fictitii Seitæ, qvem ex trunco betulæ effingi *Scefferus* refert, *descript. Lappon.* cap. 10.

Qvatuor SCRIPTA MALABARICA in foliis palmæ, qvæ Lusitanis *Coqvo* dicitur, adeò artificiosè exarata, ut vel elegantissimum scriptorem è nostratibus intervallo qvodam post se relinqvant. Indi enim tam emendatè characteres suos foliis his imprimunt, ut miremur meritò gentes has barbaras tam circumcisè animi sensa exprimere posse.

— *ad pag.* 52.

SAGITTA ex lapide nigro in lardo vituli marini in Islandia reperta. Conspicitur in parte ejus latiore foramen exiguum, qvod forsan filum ex subtilioribus balænarum cirrhis à Grönlandis infixum habuit, cujus ope vulnerata bestia eò aptiùs attraheretur. Ferreis enim organis destituti, ea ex lapide & unicornu Grönlandi efformant. *Ludovicus Hennepin*, qvi haud ita pridem Americanorum Septentrionalium *Provinciam Lovisianam* detexit, utensilia eorum ad qvos ars Europæorum & ferri usus non pervenit, lapidea esse refert, & locò securis cultriq; lapides acutos adhuc adhiberi, qvos animalium dentibus dolant & exacuunt.

CLYPEUS antiqvorum Septentrionalium, qvi ex Norvagiâ transmissus est, ubi in templo Röldal propè Hardangriam Diœcesis Stavangriensis diu delituit, ad mausoleum cujusdam viri fortis qvondam ibidem suspensus; Christiani morem gentilium seqvuti arma ad monumenta sepulchralia olim suspenderunt. Fabrica ejus fermè qvadrata talis est: Lamina lignea incurva, qvæ qvatuor pedum longitudinem, duorum verò latitudinem habet. Parte concavâ corio firmiter agglutinato obducitur, hanc alia lignea ambit, qvæ firmiter qvoq; adhæret, fibras transversas habens, corioq; concinnè admodum depicto parte convexâ tecta. Figurâ est oblongâ & pars ejus superior, capiti tutando apta, angustior est inferiore. Ansæ duæ, qvibus brachio sinistro aptari potest, ex corio firmissimo constant, qvod clavis ferreis, qvorum capita in superficie extima sunt latiora, densè munitur. Alius qvoq; non adeò dissimilis, qvi ex Islandiâ missus, hìc qvoq; asservatur, sed ab injuria temporis ferè detritus. Antiqva sunt clypeorum genera ad formam ejus accedentium, qvo *Norvagus* ille Dux *Skule* circa annum 1239 armatus legitur in Chron. Norvag: *Snorronis Sturlesonii* pag: 722. Tegumentum hoc Norvagis ibidem *Buklara* dicitur origine, ni fallor, Gallicâ. Gallis enim *Bouclier* idem esse legimus & ex Galliâ seu Normanniâ subactâ hoc scuti genus Norvagos inter tropæa

pæa in uſum ſuum deportaſſe, haud eſt qvòd dubitemus: Ejusmodi ſcutum puniceum *Nicolaum Sigurdi Raani filium*, clavis aureis munitum Annno 1175. geſtaſſe *Sturleſonius chron. Norvag. pag. 497.* narrat. Antiqviſſima verò ſcuta admodum oblonga ad juſtam hominis ſtaturam aptata fuerunt, ut dimicans nulla corporis parte lædi ab hoſtibus potuerit. Ejusdem formæ ſcuta ſeptentrionalibus noſtris olim in uſu fuiſſe & eâ qvidem magnitudine, ut loco feretri mortuis inſervierint, *Sturleſonius chron: Norv: pag: 722.* qvoq; auctor eſt. Scuta qvadrata, qvale hic ferè deſcribitur, in nummis qvoq; ſculpta reperiuntur, ſed rariùs. In Germaniâ veteri *Cluverius* fermè ſcuta omnia qvadrata expreſſit, ſed non ita concava; reſpexit enim in illis effingendis *Cluverius* ad *Taciti* locum, qvi *tabulas pictas* hæc ſcuta vocavit, unde concavitatem illam omiſit. Suſpenſa illa ſcuta ad ſepulchra memorantur, qvod hæredes defuncti illa ad ornandum buſtum attulerint, ac deinde abſtulerint, ſibi ea ſervantes cum aliis defuncti armis. At ſi hæredes nulli ſupereſſent, arma illa & ſcuta rogo cremanda injiciebantur, vel etiam cum defunctis, ſi humo mandarentur, ſimul ſepeliebantur unde manſit nobis mos cum ultimo ex familia ſcutum cum inſignibus ejus frangere & tumulis inferre. Pertinet huc, qvòd parietes domuum Septentrionales ſcutis adornatos ſæpius habuerint, ſeu donatis ſeu captis, qvemadmodum *Saxo libr. 8.* de Jarmerico Rege ab Eſthiis obſeſſo tradidit, *Clypeos circumpenſos ſupremum ædis ambitum adornaſſe:* qvod & *Matthæus Pariſienſis*, pag: m. 899. de Regibus Franciæ obſervavit, more, ni fallor, à Septentrionalibus hauſto & retento.

— *ad pag.* 53.

BARDUS NORVAGICUS ſpecies eſt ſecuris, qvæ ferro lato & acuto, figuræ ſemilunaris, munitur. Lignum ſeu manubrium, 7 pedum longitudinem æqvat, corio rubro maxima ex parte obductum, & ligulis ferreis hinc inde ſtipatum. Annales noſtri evincunt, bipennes ſecuresq; tales majoribus noſtris ſummo in pretio extitiſſe, qvorum uſum gentes exteræ à noſtratibus, qvorum imperio ſubactæ, acceperunt: *Franci* enim *Danicæ ſecuri non valentes amplius reſiſtere Gallico enſe*, teſte *Guillelmo Pictavenſi*, *aſcias*, *qvas Haches Danoiſes appellarunt*, *ſibi deinde fabricari fecerunt*, referente *Richerio Monacho*, *chron: Senonienſ: libr: 5. c. 15.* Securi qvoq; Norvagicâ inſignem ſtragem *Stephanum* Angliæ Regem Anno 1142. edidiſſe produnt *Johan. Prior Haguſtaldenſis & Ordericus Vitalis*, qvæ Anglis etiamnum BARD vocatur, cujus uſum Norvagos ad terram Hiberniæ unà cum nomine primùm deportaſſe, *Bromtonus* ait.

MALLEUS LAPIDEUS nigricante conſtans minerâ ſiliceâ, qva fermè lapidem Lydium refert, figurâ cuneo acuto haud diſſimilis. Rotundo ejus foramini transverſo manubrium ligneum inſeritur. Anno 1692. in Fionia ad oppidum Asnæſiæ ejusdem figuræ malleus & gladiolus ſiliceus cum ſceleto capitis humani ſub duobus ſaxis majoribus, qvibus tertius impoſitus, eruti ſunt. Malleus hic antiqviſſimum armorum genus fuit, qvale hinc inde in ſepulchris gentilibus ſeptentrionis noſtri adhuc eruitur. Priſcus certè mos noſtratibus erat tempore eo, qvod *Haugs-Auld*, id eſt, tumulorum ætas vocabatur, funera ſua veſtibus & armis pretioſiſſimis induta in collibus tumulisq; ingentibus condere. Ita qvippe in *Chron: M. S. Snorro Sturleſonius* de Re-

ge Norvagiæ *Haqvino* ait: Logdo þar i Konong med al Bæpni sit ok hinn bezta bunad sinn / id est. *Sepeliverunt Regem cum armaturâ plenâ & optimis suis vestibus.* Idem ferè mos viguit seculo combustionis, *Brunna-Auld* dicto, qvi in Svecia & Norvagia diutissimè duravit. Jussisse Odinum *Sturlesonius* prædictus memorat, ut mortui omnes cremarentur, pyræ cum possessionibus suis impositi. Præter malleum hunc, lapideus alius, itidem antiqvus hic asservatur, qvi velut uncinatus est & manubrio ligneo instructus.

CALCEI FINNORUM ex asserculis ligneis coagmentati. Borealibus antiqvis *Rani* & *Skydi* dicti sunt, Norvagis & Finnis *Skier*. Genus calceamenti est antiqvissimum, qvo populi septentrionales usi sunt, ubi obsitos nive montes baculo in extremitate acuto suffulti permeabant eqvoq; perniciores superabant. Finnis hinc nomen *Scritofinnorum* fluxisse apud *Paul. Diaconum* & *Adamum Bremensem* censemus. Asserculi sunt oblongi ex ligno qverno, pollicum trium latitudine, sed augustiores in medio & ansati, ubi pedes inserendi lorisq; alligandi. Modus hic, proficiscendi, nives scilicet soleis ligneis calcandi, inter novem artes pretiosissimas à Borealibus nostris olim habitus est, testante *Olao Wormio Literatur. Runic. c.23. pag. 118.* Magna certè fuit & stupenda Arnlioti Norvagi promptitudo, qvi iisdem soleis binos præter se insistentes sustinere potuit, nec minùs velocitate immensa ferebatur, sic de eo narrante *Olafs Sagu Helga M. S.*

TYMPANUM FINLAPPONICUM Longitudine est plusqvam pedali, latitudine decem pollicum, ex ligno ovali excavato constat, cui nervorum ope membrana annectitur, depictis Deorum fictitiorum, animalium, aliarumq; rerum figuris per certas regiones exornata. E cornu rangiferi adest qvoq; instrumentum osseum, qvod malleolus vulgò appellatur, qvo genios familiares, tympanum pulsando strenuéq; cantando, Lappones sollicitare solent. Huic additur æneum corpus, paululum convexum, in diametro duorum circiter pollicum, in singulis angulis & in medio catenulâ æneâ onustum. Ipsi Lappones hoc appellant *Arpa*, teste *Tornæo*, qvod *Scefferus descript. Lappon. cap.* 11. *Indicem* nominat, cùm rem in picturis istis tympani desideratam indicet, dum membranæ tympani pulsatæ impositus versus aliqvam in ea depictam imaginem fixus & immobilis se sistat.

— *ad pag.* 54.

CYMBA GRÖNLANDICA. (TAB. XII.) Longitudine pedum novendecim, latitudine duorum & ferè dimidii, altitudine sequipedali, ex ossibus balænæ constructa corioq; obducta, excepto foramine seu spatio rotundo, cui Grönlandus farctus cum remo suo insidet. Cymbam hanc Grönlandi *Rajakka* sive *Kajakka* appellant. Priscum genus naviculæ, qvam vir qvocunq; demum voluerit commodè secum portat. Constat enim ex relatione de septentrionalibus, qvam seculo nono *Hohtherus Halogelandus* Westsaxonum Regi Ælfredo obtulit in vitæ ejusdem *appendice VI.* edit: *Joh. Spelman.* naviculas has Qvenlandis tum in usu fuisse. Ita qvippe ex seqventibus constat: *And to gemnes thæm Land Nordeveardum Cvenaland, and ther sint suide micle meras fersce and berad tha Cvenus hyra scypu ofer Land on tha meras & thanon hergiad on tha Northmen, hy habbad svide lytle scypa and suide leohte*, id est: Ex adverso regioni ad septentrionem est Qvenlandia, sunt ibi lacus qvidam ingentes, salsedinis ex-

per-

pertes, in qvos lembos terrâ transportant Qveni, atq; hac ratione despoliant Normannos. Habent exiguos lembos & leves. Eorum etiam meminit *Thorfins Kallsefnis Saga* c. XI. in Sveciâ impressa, hoc modo: *Stundum kallast hier Skrellingia bata Hudkeyper, en stundum Skip theira, stundum eynasta Keypar,* hoc est, nonnunqvam cymbæ Skrælingorum (ità enim ab advenis nominatos putamus populos, qvi ante Islandorum colonias Grönlandiam inhabitarunt) *Hudkeypar*, interdum *Skip*, aliqvando tantùm *keypar* dicuntur. *Hudkeypar* verò, qvia pellibus obductæ sunt naviculæ. Americanos septentrionales admodum leves, sed latiores, ex libro betulæ effingere cymbas 50 libras tantùm pendentes, *Ludovicus Hennepin in descriptione regionis Lovisianæ* auctor est. Qvælibet enim cymba 4 personarum capax, nullo munita ferro.

HASTÆ & *VENABULA* GRØNLANDORUM sunt ex ligno abietino, cuspidem osseam habentia, qvæ partis extremæ foramini inseritur. Illis *Karkusa* est dicta, & lora, qvibus venabulo alligatur, *Agla* appellantur. Intimæ verò parti in qvibusdam conspicitur inflata vesica ex corio phocæ tenuiore annexa, qvæ Grönlandis *Awata* dicitur, hæc aqvæ supernatans balænas licèt longiùs divagantes protinus prodere memoratur.

FRONTALE GRØNLANDICUM. Antiqvis nostratibus *Ennespaung* seu lamina frontalis dictum est. Vestitus Grönlandorum utriusq; sexus eodem ferè modo formatus est, nisi qvòd fœminæ præcinctorium qvoddam pyramidale gestent, qvemadmodum Tab: XII. exhibet, prisco Germanorum more, de qvibus Tacitus: *Nec alius fœminis qvàm viris habitus.* Fœminarum altera, qvæ 25 annorum nomine *Kabelau* Hauniam advecta victûs & subalbicantis faciei causâ ex antiqva Christianorum in Grönlandiâ progenie censebatur. Commemorant enim Annales Norvagici manuscripti Grönlandos circa annum millesimum, procurante *Olao Trygguonis* Rege Norvagiæ, ad religionem Christianam primò conversos fuisse, ædesq; sacras in Grönlandia postea constitutas & in plaga qvidem Orientali parochias XII, in Occidentali IV. nominibus certis insignitas, qvæ adhuc à Scriptoribus enumerantur. Primus, qvi iis præfuit, Episcopus ad annum 1124. sedisse fertur, ultimus verò ad annum 1461. qvi Episcopatum Scalholtensem in Islandia simul gessit. Diutiùs qvoq; fœmina prædicta *Kabelau* apud nos vixit, propemodum conversa, supra cujus nasum in confinio superciliorum, sub oculis labiisq; & in brachiis incisuræ qvædam numero 13 aut 15 nigræ, profundæ & sibi invicem parallelæ, qvas traducto per acum filo pingvedine balænarum imbuto in cute sulcaverant, ut nubiles nuptæq; à puellis impuberibus notâ aliqvâ distingverentur.

AD SECTIONEM III.

Part. II. pag. 55.

MITRA ingens & pretiosa EPISCOPALIS, qvæ bicornis ferè est cum duabus à tergo appendiculis seu flagellis. Usum mitræ talis in ecclesia primitiva præclarum *Andreas du Saussay* in *Panoplia Episcopali* ad tempora Imperatoris *Constantini Magni* cap: 3. lib: X. extendit.

GALEA ponderosa artificio summo elaborata, in acumen desinens ex argento inaurato, qvæ parte anticâ sapphiro ingente & pretioso fulget, & circa latera duabus margaritis semptemq; gemmis insignibus, coloris fusci, distincta est. Insigne dignitatis Archiepiscopalis est, qvod Romæ Sacerdotis summi olim extiterat. Galerus qvippe acuminatus Flaminis Dialis tegmen qvoddam capitis fuit in apicem seu conum assurgens. Hinc Episcopi urbium in Ecclesia primitiva, qvi supra Præsbyteros capita extulerunt, vestitu qvoq; præcellere, more Romano antiqvo, allaborarunt. Ex Epistola Leonis I. ad Episcopos Galliæ & Germaniæ luculentiùs id patet. Licet enim una eademq; iis cum Presbyteris fuerit ordinatio in hoc tamen differre existimabantur, qvòd Chorepiscopi & Presbyteri Pontificatûs apicem non haberent. Verba Leonis sic scripta exstant: *Hæc omnia illicita sunt Chorepiscopis, qvi ad exemplum LXXII. Discipulorum esse noscuntur vel Presbyteris, qvi eandem gestant figuram, qvoniam etsi consecrationem habeant, Pontificatûs apicem non habent.* Coruscavit hac galeâ Dominus Absalon, tunc Archiepiscopus Lundensis, Apostolicæ sedis Legatus & Primas Sveciæ, qvi scientiis sacris res bellicas jungens, in exercitu Regum Daniæ *Valdemari I.* & *Canuti VI.* contra Vandalos toties invictum se præstitit.

PEDUM EPISCOPALE ex UNICORNU. Si qvid olim auro carius, certè hoc ex unicornu fuit pedum Episcpale, ut nihil dicam de hujus in ecclesia præcellenti usu, qvem Scriptores Ecclesiastici in tempora Apostoli Petri protrudunt. Ex Roëskildiæ templi Cathedralis sacello huc olim allatum pro Lucii Papæ seu Episcopi Romani baculo antiqvitas credula venditavit. Sufficit verò qvòd Episcopi in Daniâ, imò toto ferè Septentrione, nobiliores multis retrò seculis baculos suos Episcopales ex unicornu, Romanis tempore Lucii, qvi anno Christi 253 sedit, vix noto, gestaverint, iisq; potestatem ecclesiasticam exercuerint. Qvippe Lucii Papæ etiam tempore & longè seriùs, non nisi pedis & baculis Episcopi utebantur ligneis, qvod & ex Chronico patet Anglo-Saxonico, qvod edidit & illustravit *Edmundus Gibson*, ad Ann: 1047. p. m. 161. qvando *Ulsum* Episcopum Angliæ, qvi ab *Edvardo* Rege ad Synodum Vercellensem missus erat, eò penè redactum indicat, ut pedum Episcopale ipsi confringeretur, qvod officium suum præstare non posset. Nam si æreum vel argenteum vel ex unicornu fuisset, confringi facilè non potuisset.

PEDUM EPISCOPALE ex CUPRO INAURATO. In fastigio ejus incurvato agnus inauratus conspicitur, cum Inscriptione: AGNUS DEI, QVI TOLLIT PECCATA MUNDI. MISERERE. DA NOBIS PACEM. Ex parte aversâ: NON DOMINANTES IN CLEROS —— ET FORMA FACTI GREGIS —— EX ANIMO.

— *ad pag.* 56.

SOCCULI sive SOLEÆ Archiepiscopi Absalonis' ex SERICO confectæ, seculis antiqvissimis usitatæ. Loris seu corrigiis adstringebantur, qvibus incessisse in his terris Christum in Evangelio, corrigias calceorum Domini commemorante, *Clemens Alexandrinus* confirmat. Sacra Scriptura id genus calceorum alibi σανδάλια vocat. Postea verò ὑποδήματα, qvæ totum obtigebant pedem, seculi luxuria introduxit, qvemadmodum soleæ seu socculi Episcopa-

ſcopales Abſalonis confecti hic videntur. Decus enim hoc Epiſcopale ſummis ſolùm Eccleſiæ Præſidibus jure primario competebat, maximè cum munus Epiſcopale actu illis obeundum incumberet. Plura de his *Durantes Mimatenſis Rationalis* Div. offic. lib. 3. cap. 8. prolixè adfert.

ZONA SACERDOTALIS è CORIO parata. Latitudinem pollicis vix excedit, fibulâ ex unicornu præmunita. Pro baltheo ſeu cinctu tam militari qvam clerico apud ſcriptores accipi ſolet. Zonâ tali donatus privilegium olim militare habuit, qvâ depoſitâ, idem ceſſavit. Exauctorati Epiſcopi apud *Gregor. Turonenſem* lib. 5. cap. 27. diſcincti ſeu cingulo præfecturæ militiæ ſacræ exuti dicuntur.

NUMISMATIS qvinq; AUREIS, qvæ bracteata & cava ſunt, jam accedit ſextum ferè ejusdem inſcriptionis, typi & ponderis, anſâ inſtructum, qvod à ruſtico qvodam, cùm in Cimbriæ inſulâ Mols araret, Anno 1698. inventum eſt: In numiſmate bos cornu feriens ſe ſiſtit, pedibus velut feſſis & ſubrutis, penes qvem mitrâ qvidam refulgens incedit, taurum ducens, præter crucem corvo & pumilione in qvibusdam à gente ſuperſtitioſa in bonum omen additis. Numiſmata hæc Weſi-Gothico-Hiſpanica eſſe arbitramur, qvòd crux illa ſingularis ante faciem Regis ſeu Principis in numis inveniatur, qvæ Gothica procul dubio eſt, cùm in ſolis Gothorum monumentis reperiatur. Veriſimile itaq; eſt, numos hos in Hiſpaniâ cuſos eſſe à natione Gothica, partim qvidem, qvòd, Coloniis Romanis expulſis, ſederint illic Gothi, qvorum origine nobiles Hiſpani in hunc usq; diem ſibi gloriam aſſumunt ac *Hildalgodos*, id eſt Filios Gothorum ſe denominant, partim qvòd *Taurilia* ſeu taurorum ludi ibidem freqventer inſtituti fuerint, qvos per taurum, (cujus cornua in plerisq; numis globulis ſeu pilis ſunt præmunita, ne iis in ludis nocerent) in numis his expreſſum & ambulantem ſimul victorem ejus ſignificari exiſtimamus. Inſcriptiones habent merè Runicas, Oedipo certè legendas. Sunt qvi ex inſcriptionibus nomen Regis Weſi-Gothorum DNI. LIVVÆ aut LIWIGILDI eruere conantur. At fermè antiquiores eos cenſemus, utriusq; Weſigothorum Regis numis, quorum aliquem minoris moduli M. le Blanc in *Traitè hiſtorique des monnoyes* pag. m. 59. depromit, ſub cujus inſcriptione literis his Romanis LIWIGILDUS VALENTiæ REX Regis quidem caput mitrâ Regali Gothica eodem ferè modo redimitū apparet, quo victor glorioſus in numis noſtris incedit, cùm tempore eo monetam more Romano procudi curaverint Weſigothi, de quibus *Covarruvias* ſic refert: *Ellos meſmos mandaron labrar ſueldos de oro à imitacion de los ſueldos de los Emperadores, de meſmo peſo*, i. e. Ipſimet juſſerunt cudi ſolidos aureos ad imitationem ſolidorum Imperatorum & ponderis ejusdem. Numiſmata ſunt rarò in terris noſtris inventa: & qvemadmodum inter gemmas & res ſacras numiſmata præſtantiora Romani olim collocabant, qvibus pileos ſuos & galeros milites exornare ſoliti, illuſtrante uberiùs rem eandem *Pompcnio cap. 28. de uſu fructu*, ita ritu eodem numi noſtri anſati velut brabéa in tauromachiis Hiſpaniæ diſtributa cenſentur, cùm Schefferus aliiq; ſtatuant, *numos hos extra regiones noſtras cuſos, innuiq; Regem ſive Principem munificum erga ſuos & liberalem*. Noſtrates itaq; heroes tanqvam ex Colchide reverſos numis his anſatis, ceu brabéis, de collo ſuſpenſis olim ſuperbiiſſe ſuſpicamur. De numis his ſagaciſſimus *Dr. Ottho Sperlingius*, in antiqvitatibus patriis verſatiſſimus, integrum

promittit Commentarium. Præter hæc moduli minoris numiſmata, exſtant etiam majora aurea ejusdem generis, qvæ qvinq; vel ſex aureos Hungaricos pondere excedunt, ſimilibus circulis criſpatis incluſa & anſis prædita, qvorum tria in Scaniâ reperta prædictus Scefferus *de tribus orbibus aureis* deſcripſit. Qvartum tale ſex ducatorum Hungaricorum pondere anno 1695. in Gothiâ occidentali non procul Alingſofiâ repertum eſt, qvod à Suecis in Collegio antiquitatum Holmiæ aſſervatur.

URNA SEPULCHRALIS CRYSTALLINA. Urna hæc reperta eſt anno 1673 in Diæceſi Norvegiæ Nidroſienſi & præturâ Normoriæ prope templum *Bræmsnæs*, qvo nomine totus ille tractus inſignitur. Circulo duplici ex auro puriſſimo, qvi uncias octo pendet, ſuperiùs cincta eſt, eo ferè modo, qvo urnam Marcelli argenteam coronâ aureâ circumdatam fuiſſe Plutarchus ſcribit. Lapidarius eam in repoſitorio qvodam, qvatuor lapidibus ſuffulto, repoſitam & vaſculo æneo, ut ab injuriâ temporis tutior eſſet, deſuper coopertam clam ſurripuit, cum in uſum ſepimenti fabrilis ſeu maceriæ ejusdem templi ex montis proximi monumento gentili ſaxa frangeret. Poſtea verò manibus ipſius extorta eſt & ſimul cum vaſculo, ab acrimonia terræ ferè exeſo, huc demum allata. In urna hac cineres Magnatis ſeu Reguli cujusdam nomine *Bræms* conditos fuiſſe plurimi inter tractus ejusdem incolas ſagaciores referunt, cùm & Saxo Grammat. ejusdem regionis, qvæ & Normoria dicitur, Regis mentionem injiciat *lib.5.hiſt.Dan.* Ab illis enim naſis ſeu promontoriis terrarum Reges illi Næſe-Konger veteribus ſunt appellati. Sepulchri ejusmodi ſtructuram elegantem urnæq; in ea ſitum illuſtrant Steph. Stephanii notæ uberiores in hiſt. Dan. Sax. Gram. pag. 90. 91. & Saxo ipſe in exſeqviis Fengonis lib. IV. rem totam non minus graphicè deſcribit. Urnas vitreas, cryſtallinas verò rariſſimè, in uſu olim fuiſſe tam ex noſtris, qvàm Ciceronianâ illa, qvæ anno 1514 in inſula Zacynto inventa eſt, & à *Deſiderio Lignamineo* deſcripta, abundè liqvet. In Italiâ & Græcia urnæ vitreæ ſæpius effoſſæ ſunt, in Germaniâ verò & Septentrionalibus reliqvis regionibus ſunt rariſſimæ, & neſcio, an præter hanc ulla hactenus illis in locis viſa ſit. Unde Geor. Agricola l. 7. de natura foſſil. c. 23. ubi de urnis Thuringicis, Luſaticis, Saxonicis agit, nullas niſi fictiles occurriſſe memoravit: additq; in Italiâ præter fictiles & lapideas reperiri etiam vitreas, qvarum Neapoli qvatuor habere Cæſarem Carduinum indicat in agro Neapolitano repertas. Urna Alexandri M. primò vitrea, deinde aurea facta. Urnæ præterea Cliventes, qvas in *Chron: Wolfgangi Juſti Becmannus* memorat, idem haud obſcurè evincunt.

— *ad pag: 57.*

SICA ÆNEA, propè pagum Selandiæ Egerup effoſſa, ubi collis eſt, in qvo urnæ & plura alia, qvæ antiqvitatem præ ſe ferunt, olim reperta. Tota ex ære inaurato conſtat, fabricæ admodum concinnæ. Iconem hujus in monumentis Danicis lib. I. c. 7. *Ol. Wormius* exhibet. Summam antiqvitatem oſtentant ænei iſti gladii, cùm hodie vix reperiantur, niſi ferrei & chalybei; Homeri autem temporibus freqventia erant hæc ænea arma, unde toties ipſi reperitur χάλκεον ἔγχος &c.

URNÆ ſex AUREÆ bracteatæ (qvarum tabula XIV. unam inſtar omnium exhibet) 8 unciarum capaces inventæ ſunt à ruſtico in inſulâ prædictâ arante, qua-

qvarum superiores tres inferioribus desuper coopertæ filo aureo erant annexæ, inferiores verò terrâ cineritiâ plenæ. Magnatum hic conditos fuisse cineres non dubitamus: Heroum qvippe cineres in urnis pretiosis ex alabastro, argento, qvandoq; etiam auro asservatos ubiq; gentium fuisse legimus. Ita urnæ aureæ *Demetrii Policratis* scriptores meminerunt, argenteæ verò *Marcelli* coronâ aureâ cinctæ, *Plutarchus*. Urnam *Alexandri M.* vitream *Ptolomæus Lagi* auream fieri curavit, ut *Strabo* refert *l. 17. p. m. 794*. *Septimii Severi* cineres in urna aurea collectos & Antoninorum sepulchro Romæ illatos esse *Spartianus* in vita ejus testatur. Et qvamvis *Dio*, qvi tempore illo vixit, urna ex porphyretico marmore translatos esse è Britanniâ cineres moneat, haud tamen hoc impedit, qvin postea à filiis Romæ aut ab aliis urnâ aureâ condi potuerint. Qvidam Rex Ægypti filiæ cadaver in vacca inaurata condidit. Fuit scilicet hoc vaccæ figmentum loco urnæ vel arcæ sepulchralis svadente religione Ægyptiorum, qvi vaccas illarumq; effigies sacras ac divinas semper crediderunt. In regno Siam opulentorum saltem cineres aureis vel argenteis urnis condi *Tarvernier* in peregrinationibus suis refert *pag. m. 514*, pauperum verò cineres ventis committi & flagitiosis flammarum honorem denegari.

CRUX ex DENTE ROSMARI. Inde à paganismo Majores nostri, cùm Doctrina Christiana in oris his nondum altis suffulta esset radicibus, constanter inter se retinuerunt gentilitatis nomina, parciùs Christiana usurpantes. Maluerunt ergo Norvagi, Regis *Olai Digre*, id est, Crassi filium Jacobum Regem constituentes, eum nomine gentili *Anundum*, qvàm gratiæ & fidei nomine *Jacobum* vocare, qvemadmodum *Snorro Sturlesonius hist: Norv:* refert, ut potius pro cognomine habuerint, qvemadmodum Rex Daniæ *Sveno*, aliàs furcatæ barbæ, cognomen *Otthonis* in baptismo suscepisse legitur, *Sven Ottho* postea dictus, teste *Pontano Rer. Dan. hist. lib. V. pag. 131*. Memorat qvoq; *Adamus Bremensis hist. Eccl. lib. 2. c. 41. Olaum Sveciæ Regem duos habuisse filios, qvos unà cum uxore jussit baptizari, eorum alterum Anund, qvem è legitima genuit cognomento fidei & gratiæ dictum esse Jacobum.* Qvid ergò mirum, qvòd *Helena* nostra, filia Regis Daniæ *Svenonis*, qvi à matre, utpote filia Regia, Estrithæ filius nuncupatur & cognomentum *Magni* in baptismo accepisse dicitur, in inscriptione crucis, qvam in memoriam Dominicæ passionis (seculo undecimo) piè parari fecerat, tam *Gunilda* qvàm *Helena* vocetur, nominibus scilicet & gentilitatis & gratiæ. Crux itaq; est eximiæ antiqvitatis olim inter cimelia Nobilissimæ Dominæ *Sophiæ Brahe*, Illustris *Holigeri Rosencrantzii* conjugis asservata; teste *Svaningio Chronolog. Dan. pag. 73*. Hæc nomina gratiæ adeò Ecclesiasticis placuerunt, ut Canutum M. Regem Daniæ Lambrict vocaverint, ut *Adamus Bremensis* testatur, & *Svenonem Grathede* Daniæ Regem *Petrum* appellarint, cujus nummus rarus hoc etiam nomine PETRUS REX insignitus conspicitur.

CRUX parvula ex AURO purissimo, in cujus latere legitur SALVATOR MUNDI. In quatuor crucis extremitatibus Evangelistæ exhibentur. Possidebat olim hanc crucem *Margareta*, pulcritudinis gratiâ *Dagmar* cognominata, Regina Regis Daniæ *Valdemari Secundi* & filia *Primislai* Regis Bohemiæ, qvæ anno 1213. d. 24 Maji Ripis mortua est.

— *ad pag. 57.*

TABULA ALTARIS sive ALTARE EBURNEUM, insignis est sculptu-

ræ & operis qvasi vermiculati, capsulæ ligneæ inclusum longitudinem habet sesqvipedalem, in partes binas figuræ qvadratæ & latitudinis ferè pedis unius divisum, qvæ in parte media sibi invicem junguntur. Tabella prima Christi & ecclesiæ Pontificiæ Sanctorum historias exhibet, qvæ in novem rediguntur classes: Secunda *Sancti Olai*, Regis qvondam Norvagiæ miracula, olim credita, repræsentat in novem itidem distincta scenas. Primò Rex *Olaus* conspicitur segmenta virgulæ in manu, qvæ tamen illæsa mansit, per candelam accensam cremans. Hinc segetem agri destructam obequitat, qvam benedictione suâ in integrum restituit. Postea solo tactu, more Regum Galliæ & Angliæ, viduæ cujusdam in Russia filium, strumâ laborantem sanat. Jam deniq; post obitum suum suppetias implorantibus apparet, vel saucios blanda manu pertractans vel prælio succumbentes juvans: Tandem in scenâ ultimâ martyrium ejus in loco pugnæ prope *Stiklestadam* Norvagiæ exsculptum visitur. Plura de vitæ ipsius miraculis hîc itidem sculptis *Chronica Islandica Snorrii Sturlæi* afferunt pag. m. 291. 296. 330. Usus hujus tabulæ sive altaris fuit, cùm pontificia religio in oris his vigeret, qvòd privatim quivis ad id, sive domi sive peregrè erat, preces funderet, qvemadmodum adhuc fit ubi religio eadem manet, hinc & valvis adeò munitum hoc altare viaticum & itinerarium vocabatur differtq; ab altaribus portatilibus sacerdotum, ad qvæ concessu Pontificis Summi mysteria sacræ Cœnæ missasq; celebrant. In collectaneis qvippe *Cornelii Hamsfordii* annal. Dan. M. S. in Bibliothecâ publicâ Hauniensi seqventia leguntur; *Johannes XXXIII. Papa IIX. Kalendarum Septembris Bononiæ* non tantùm *Monasterio & ecclesiæ Dalumensi* (in Fioniâ) *indulgentias concessit*, sed & ibidem *XIIX. Kalend. Octobris Johanni Ryncoby parochiali Rectori ecclesiæ Scagenensis in Burglanensi Diœcesi* (Cimbriæ) *tribuit potestatem habendi & circumferendi altare portatile.* Anno seqventi mentio qvoq; ipsius ibidem injicitur, *Prioris tunc Dalumensis cum sua portatili arâ florentis.* A qvo verò altare Musei hujus portatile initiatum fuerit, ex inscriptione seqventi in dorso capsulæ abundè liquet: Denne Altar-Tafle hafver Pafven foræret Salig og Højloflig Ihukommelse Konning Christiern den Første Aar 1474. der Hans Kongel. Majest. foer til Rom at besøge St. Pofvels og Peders Kirker/ som var Brug i de Dage. i. e. *Altare hoc dono dedit Papa* (scilicet Sixtus IV) *Regi gloriosæ memoriæ Christierno Primo, anno 1474, cùm sacra ejus Majestas Romam veniret ad templa* S. *Pauli & Petri visitanda, more istorum temporum.* Inter cimelia Nobilissimæ Dominæ *Annæ Krabbe* Domini *Jacobi Biornonis* de Steenalt initio seculi XVII. asservatum hoc altare fuisse chronica ipsius Rythmica Regum Daniæ M. S. perhibent, qvæ in Bibliothecâ *Resenianâ* Hauniæ exstant. Manu sua sic exaratum ibidem legimus. Anno 1474. blef Kong Christiern den Første paa sin Romerske Rejse en Been-Tafle foræret af Pafven/ og siges/ at de Cardinaler/ som hannem til Rom undfangede/skulde have givet hver sit Stycke derudi. Efter at den gode Salig Herre var død/ siges at samme Tafle blef sat til Side/ og ingen gaf Agt paa den/ indtil i den Sal: Konge Friderich den Andens Tid/ da skulde der en af hans Lensmænd den til en Præst have hengifvet/ siden efter fornæfnde Præstes Død er denne Tafle hans Broder i Arf tilfalden/ og jeg Anna Krabbe Sal: Jacob Biørns til Steenalt den siden af hannem hafver bekommet/ som og nu her paa Steenalt findes udi mit Smykke-Skab staaendes: i. e. *Anno 1474. Tabulam eburneam Regi Christierno Primo in itinere ejus Romano*

Papa

Papa dedit, & fertur Cardinales singulos, qvi illum exceperunt, peculiarem in eâdem obtulisse partem; Post obitum verò Regis optimi, tabulam hanc neglectam fuisse & sepositam, donec tempore Regis Friderici Secundi præfectus cujusdam territorii illam Sacerdoti cuidam obtulerit, post cujus mortem fratri ejus in hæreditatem cessit. Eandem ego Anna Krabbe B: Jacobi Biornonis de Steenalt ab illo postea accepi, qvæ etiamnum in conclavi, cimeliis meis destinato hîc in Steenalt reperitur. Illinc in Musêum hoc Monarchæ nostri potentissimi ob antiqvitatem summam translatum est, curiosorum omnium oculos fatigans. Ejusmodi qvoq; sed pretii minoris altare, figuras septendecim à celebri *Alberto Durer* effictas exhibens *David Schelhammer* Bibliothecarius Hamburgensis in literis suis inter rariora alia recenset.

LAMINA EBURNEA. Rotunda est, & inter antiqvissima in Daniâ sigilla meritò reponenda, qvod materia, ex quâ confecta est, uberiùs monstrat, aliàs vel ex ære vel argento majores illam efformassent. Lucius Papa in medio ante valvas Templi inter duas turres hìc positus apparet, qvas templum Roëskildiæ cathedrale adhuc ostendit, sed pyramidibus excelsis sibi impositis jam superbas. Turres verò olim aut rotundæ aut quadratæ erant, qvemadmodum in sigillo binæ istæ turres sine pyramidibus apparent. Ante seculum 14. sigillum hoc Canonicis Roëskildensibus in usu fuit; Illo verò seculo in regionibus his pyramides plumbo vel ære tectæ turribus qvadratis primò impositæ sunt. Sigilli præterea hujus antiquitas inde elicitur, qvòd *Lucii* Papæ caput, vel margaritis vel rosis minoribus, redimitum conspiciatur.

FIBULA ARGENTEA deaurata. Prisco Germanorum more sagati incedebant majores nostri tegumento fibulâ confixo: Scribit enim de Germanis Tacitus: *Tegumen omnibus sagum fibulâ, aut si desit, spinâ consertum.* Luxuriante verò seculo fibulis utebantur aureis, de qvibus Virgilius: *Aurea purpuream subnectit fibula vestem.* Seculo septentrionis velut argenteo fibula nostras admodum affabrè ex argento confecta auroq; obducta in circuitu suo sex vultus Jesu Christi & totidem Reges coronatos ostendit, qvi post *Olaum* Sanctum fidem ac religionem Christianam professi. Solus *Olaus* in medio spinæ cum barba sculptus, cæteri imberbes conspiciuntur. Omnes coronis apertis repræsentantur, qvòd clausæ nondum in usu essent. Sex verò Reges, qvi *Olaum* secuti, fuêre seqventes: Magnus *Olai* filius, *Haraldus Haarderaade*, Magnus *Kyrre Haraldi filius*, *Olaus Magni* frater, *Magnus Barfood* & *Sigurdus Magni* filius, cujus tempore fibulam hanc efformatam judicamus, qvi ad annum usq; 1130 imperium in Norvagiâ extendit.

TURRICULÆ variæ INAURATÆ, in qvibus Eucharistia sacra olim reponebatur, pontificiâ doctrinâ in oris his adhuc vigente. De *Laudone* Archiepiscopo *Brisonius* refert lib. 2, c. 6. *Qvòd turrim auream, qvam ad votum suum fabricari fecerat, super altare S. Mariæ Rhemensis Ecclesiæ posuerit:* Et Felicem Archiepiscopum Bituriensem *Fortunatus* laudat lib. 3. carm. 25. qvod *corpori Domini hierothecam seu turrim sacram paraverit.*

— *ad pag.* 59.

CALIX AUREUS cum PATELLA gemmis interstinctus. Tales in Ecclesiâ olim fulserunt. Hinc de Pontifice *Johanne I.* Anastasius: *Hujus*, inquit *temporibus Justinus Imperator obtulit patellam auream cum gemmis, pensantem libras* 20. &c.

20. &c. Calix hic ſimul cum patellâ ex auro puriſſimo uncias 24 pendet. Gemmis per ciruitum in globo diſtinctus eſt. In baſi ejus munificentiam piam Nobiliſſimæ cujusdam Dominæ de *Arvaslef*, literis, ut appellantur vulgò, monaſticis inciſam legimus:

dm criſtina de arvaſleff ad hõrem dei pro refrigerio aiar. um carorum ſuorum hunc calicem aureum fieri fecit orate dm pro eis.

qvod explicitè ſic exaratur: *Domina Criſtina de Arvaslef ad honorem Dei pro refrigerio animarum carorum ſuorum hunc calicem aureum fieri fecit. Orate Dominum pro eis.* In Dominæ clypeo, qvi in baſi calicis exſculptus absq; galeâ extat, trabes ſeu aſſeres tres nigri arte Heraldica campo argenteo inciſi conſpiciuntur.

CALIX LIGNEUS cum PATELLA ex orichalco. Vaſculum hoc pro Grönlandico venditatur: Seculo qvippe undecimo Eccleſias in Grönlandiâ fundatas fuiſſe, Annales Norvagici ajunt. Qvin antiqva admodum ſint generis ejusdem vaſcula haud ambigitur. Refert *Iſidorus Origin: lib.* 20. calices primos ex ligno elaboratos fuiſſe. *Platina* qvoq; in vitis Pontificum calices ligneos ante tertium penè ſeculum in uſu ſacro extitiſſe ſcribit. Calix hic noſter ex acere effictus eſt, ligno in Norvagiâ freqventiſſimo. Moduli eſt minoris, nam calices quidam in eccleſiâ Pontificiâ fuère parvi, quibus ſoli Sacerdotes utebantur in ſacrificio, alii miniſteriales dicebantur, quibus ſalutis poculum communicabatur fidelibus.

ANNULUS GIGANTÆUS argenteus, auro obductus, uncias quatuor & drachmam unam pendens, cujus diameter eſt trium pollicum & dimidii, palæ ſuæ, ubi annulus craſſitudinis eſt digitalis, incluſum habet granatum, magnitudinis haud mediocris. Exteriùs variis ornatus eſt inciſuris ſeu ſculpturis. In annuli ambitu interiori hanc legis inſcriptionem Danicam: ANO 1585 ER DENE RING FUNDEN PAA EN BONDIS AGER D. 8 MAJ. i. e. *Anno 1585 annulus hic in agro cujusdam ruſtici inventus eſt d. 8. Maji.* Annulus pollicaris creditur fuiſſe gigantæus. Extitiſſe quippe tam in his oris quàm alibi gigantes, Hiſtorici plures affirmant, ex qvorum progenie Maximinus Imperator fuit, qvi anno 235. ſummâ rerum potitus Romæ erat, de qvo *Symmachus qvinto ſuæ hiſtoriæ libro* teſtatur, eum à Gotho patre natum mirandæ fuiſſe magnitudinis, qvam *Salmaſius ad hiſtoriam Auguſtam pag. m. 606* ad octo pedes & ſemiſſem ferè extendit. *Capitolini* de eo verba ibidem hæc ſunt: *Erat præterea (ut refert Cordus) magnitudine tantâ, ut octo pedes digito videretur egreſſus.* Pedem verò heic intelligit Italicum tredecim digitos cum triente habentem, *pollice ita vaſto, ut uxoris dextrocherio* (i. e. ut Caſaubonus ibi commentatur, armillâ in dextro brachio geſtatâ) *uteretur pro annulo.* Et paulò poſt: *Equo ſi pugnum dediſſet, dentes ſolveret: ſi calcem, crura frangeret: Lapides tophicios friaret, arbores teneriores ſcinderet.* Proinde Annulus hic eſt, qvi tempore eo, qvod vel *Brunna-Auld*, i. e. ætas combuſtionis vel *Haugs-Auld* h. e. ætas tumulorum gentili ſeptentrioni vocabatur, ſimul cum funere reconditus eſt. Conſtat enim utroq; tempore, qvodcunq; opimum & magnificentiæ cultuiq; inſerviens ſimul cum funeribus ſepultum fuiſſe, qvo & funera tempore *Haugs-Auld* exornabantur. Luculentum *Egils Saga* M. S. in hanc rem affert teſtimonium de *Egillo* fratrem ſepelien-

te

te: *Sidan ſpenti Egill Gulhring a hvara hond honom, adr hann ſkildiz, vid.* h. e. Egillus prius qvàm diſcederet utramq; manum fratris circulis aureis circumdedit. Nec minus illuſtre ſuppeditat exemplum *Halfredar Saga Vandrædaskalldz,* ubi *Olaus* Norvagiæ Rex *Halfredo* abeunti dixit: *þeſſa gripi ſkalltu þiggia af mer. Pellz-ſkickiu hring oc hialm. Loga eigi gripunum ſegir* Konungr *þviat med þer ſkulu þeir til kirkiu fara enn i kiſtu leggia hia þer.* h. e. *Hæc cimelia tibi à me donata accipies, trabeam è panno pretioſo, annulum & galeam. His te unqvam privari non patere: tecum enim in eccleſiam inferentur, cum te mortuo includentur capulo.* Adeò ut ſeptentrionales, Chriſtianos jam factos, ritus ille non offenderit. Et *Edda* Islandorum gentilium, *Dæmeſagâ XL.* hoc memorat: *Odinn Lagdi a balid Gullhring þann er draupnir heitir.* h. e. Odinus annulum aureum, qvi Dröpner dicitur rogo Balderi impoſuit.

ANNULUS INGENS priori ſimilis, ex argento puriſſimo. Pendet uncias duas & drachmam unam. Diametrum fermè trium pollicum habet, nullâ efformatus palâ, cujus loco lamella tenuis tranſit annuli præcipuam craſſitudinem, qvæ digitalis eſt. Huc allatus eſt à Procenturione Generali Dno. *Johanne Wibe*, patriarum antiquitatum amatore inſigni. Inventus fuit hic annulus anno ſuperiori in Norvagiæ Diœceſi Nidroſienſi ad Klungervigen in Paræcia Nærøen, cùm Lapidarius qvidam propè littus arenoſum ex vicini collis gentili monumento ſaxa frangeret in uſum cellæ, qvam Symmyſta ejusdem paræciæ ſibi extrui curavit. Spiſsè tectus erat totus ille monticulus ſaxis promiſcuè tripedalibus, ſub qvibus terra nigra, palmam, & qvod excedit, alta totum contegebat collem arenoſum, in qvo ſequentes inventæ ſunt reliquiæ: *Annulus* ſcilicet prædictus, *oſſium qvædam particulæ*, quibus adjecta deprehendebantur *fruſtula laminæ oſſeæ*, qvæ ab ærugine ferè exeſa, *claviculâ* qvadam *ex orichalco* affabrè fabricatâ & *globulis ſuccineis*, qvi terni in ſerie qvalibet conſiti erant, illæsè interim ibi extractis, qvibus hinc inde immixta jacebat ex ferro qvædam congeries clavorum, qvi navicularum conſtruendarum tabulis vulgò idonei, qvemadmodum verba Symmyſtæ ejusdem manuſcripta memorant. Ex oſſiculis his, clavisq; qvibus pretioſiora magnificentiæ & cultui inſervientia adjecta fuêre, certò colligere licet, tempore eo, qvod genti noſtrati *Brunna-Auld* i. e. ætas combuſtionis vocabatur, in monumento hoc, qvod mari proximum, heroem ſeu Regem maritimum, olim *Siakonungr* dictum, ſepultum fuisſe, eo more, qvo *Saxo Gramm. lib. 8.* deſcribit *Haraldum Hyldetan* combuſtum, in cujus rogum inaurata Regis puppis conjecta, ejusdemq; herois conjugem more gentili unà crematum fuiſſe, cineribus ipſorum, ob hoſtis fortè imminentem impetum, in urnas vix illatis. Credibile forſan etiam eſt, Nauclerum ſive navium architectum ſic inibi tumulatum fuiſſe, cùm annulus etiam hic ſit argenteus, Regibus non adeò uſitatus, qvi aureo ſeſe potiùs ornabant. Tales qvippe homines apud veteres ſeptentrionales in honore magno extiterunt, qvemadmodum ex *Landnamâ-Sagâ* patet. Multa præterea habemus in locis his ſepulchra, in qvibus clavi ferrei reperiuntur. De his vide fuſiùs *Joh. Dan. Majoris* Bevölckerte *Cimbriam.* Rem ita ſe habere clavicula & lamellæ oſſeæ, ex quibus arcula quædam, qvâ pretioſa qvævis aſſervabantur, ac monile ſuccineum ſuadent. Crematis enim hoc tempore etiam conſepulta fuiſſe ſcrinia, argento aliisq; pretioſis cultui inſervientibus plena ſuſpicamur, qvemadmodum in tumulo *Kari* ex *Grettis-Saga* M. S. liqvet ubi inde à tempore *Haugs*

 Auld

Auld, qvo cadavera collibus integra inferebantur, inventa fuit *einn Kistel fullr af Silfri*, h. e. arcula argento repleta. Antiqvissimus præterea mulierum mundus monile succineum fuit, cujus meminit *Edda Islandorum Dæmasag. 44. Enn Nanna sendi Frigg ripti.* h. e. *Et Nanna mittebat Friggæ monile succineum. Ripti* enim, qvod hic exstat, dicitur à *Rafur*, i. e. succinum, unde *Rafftrölur*, sunt globuli, ex qvibus monilia succinea constabant, qvæ multis in monumentis sepulchralibus inveniuntur, tam apud nostrates qvàm exteros, qvi succineos hos globulos inter pretiosissima numerabant, utpote qvorum libram auri librâ commutare & vendere solebant, auroq; cariores apud Indos gentiles adhuc hujusmodi globuli succinei censentur.

CORNU ingens ex AURO puro & obryzo. Punctula novem triangularia in ultimo cornu hujus circulo extant, qvæ pro cordibus novem Cimbricis, qvæ in insignibus Regum Daniæ ponuntur, vulgò, sed perperam, à nonnullis venditantur, cùm eandem, qvam cornu ipsum, antiquitatem corda hæc haud attingant. Cornu quippe vel ad tempora *Frothonis Magni*, qvi nato Christo Danis imperavit, vel accuratiùs ad seculum qvintum aut sextum à sagacioribus refertur, qvo tempore nec corda insignibus Daniæ immissa fuerunt, ut potiùs vix Regis *Valdemari II.* tempora, incerto tamen numero disseminata, superarint, prout sigilla Regum Daniæ *Chronicis Reg. Friderici II.* à *Resenio* addita evincunt, ex archivis Hauniensibus protracta. Mera ergò sunt punctula, at in cujus gratiam apposita sint, haud liquet. Plures deniq; cornu hujus figuræ profanæ videntur, equites scilicet, venationes & arcus tensi, varia animalia, ut canes, ursi, pisces & innumera alia velut ad pugnam Lapitharum & Centaurorum spectantia, quæ dubios nos reddunt, an incomparabile hoc antiquitatis cimelium vel potorium cornu exstiterit, vel venatorium Regum.

CORNU OLDENBUGICUM. Præter allata, cornu hujus antiqvitatem ab Hamelmanno ad annum Christi 989. extensam planè destruit aqvila nigra biceps, qva scutum imperiale hic exornatur, seculo XIII. imperante *Friderico II.* vix antiqvior. Præterea clypeus Burgundicus cornu huic qvoq; affixum nec eam arguit antiquitatem: *Menestrerius* enim ex figuris antiqvis in tabula aulæ Gallicæ *Caroli V.* scutum Burgundicum *Philippi II.* Ducis Burgundiæ & Regis ejusdem fratris liliis conspersum cum limbo argenteo producit, seculo decimo qvarto haud antiqvius, illustrantibus rem eandem uberiùs *Actis Eruditorum Lipsiensium anno 1683. pag. 261. & 262.*

— *ad pag.* 62.

STATUA ANTIQVA EX DENTE ROSMARI, qvæ priscam Regis Norvagiæ pompam refert: Rex enim ipse coronatus equo insidet scutum tenens, quem à latere altero signifer præcedit, dextrâ arcum, sinistrâ hastam præpilatam gerens. Hunc tubicen sequitur, gladio oblongo instructus, & cornu incurvum ore inflans. Qvidam ab altero latere stapedem Regis tenet, qvem armiger comitatur, gladium dextrâ, scutum Regis, qvod ovalis est figuræ, sinistrâ gestans. Tales statuæ ex dente Rosmari freqventes sunt in Patria nostra ingeniosissimè sculptæ. Ebori enim dens animalis hujus vix cedit.

SUS

SUS ÆNEUS, ad magica ſimulachra Septentrionalium meritò referendus, qvæ in oſtiis fluminum, inprimis in Norvagia, ſub aqvis ponere incolæ olim ſolebant, ſuperſtitioni addicti, ut piſcium copiam allicerent. Adeſt hîc qvoq; EQVUS ÆNEUS ex fluviis eorumq; oſtiis hoc pacto depromptus. Spectantur etiam in eundem uſum BOVES ÆNEI cum ſerpente in tergo. De ſimulachris his magicis plura adfert *Muſéum Wormianum* pag. 352.

— ad pag. 63.

URNA ingens SEPULCHRALIS, qvæ prope Weirum Jutiæ pagum reperta eſt, cineribus oſſiculisq; propemodum adhuc plena, ex baſi tenui aſſurgens in ventrem angularem, qvi paulatim in collum qvodammodo anguſtum terminatur. Altitudine eſt pedis unius cum dimidio, amplitudine, qvâ venter maximè turgeſcit, pedum trium & pollicum qvatuor, coloris ex cinereo rubicundi. Ex argillâ noſtrate excocta eſt. Donatione Generoſi Domini *Magni Höeg*, ut ex inſcriptione ei affixâ patet, ceſſit in Muſéum *Stephani Stephanii* Hiſtorici Regii in Academia Sorana, inde verò in Muſéum Wormianum, ex qvo huc allata antiqvarios omnes magna afficit voluptate. Magno certè in pretio hæc urna habenda eſt, qvod integra ſit & ampla. Neqve enim horum locorum urnæ ollas vulgares excedunt & ita fragiles ſunt terræq; ſalſugine exeſæ, ut rarò una aut altera extrahi potuerit integra, ſed plurimæ illarum inter manus effodientium collapſæ ſunt & collabuntur qvotidie.

URNA FERALIS minor. Ex baſi arctiore in ventrem capaciorem ſenſim protuberat, & in collum inde anguſtius exſurgit, urnæ labro paulatim exporrecto. Efficta videtur ex argilla noſtrate, coloris ex cinereo ſubflavi. Altitudine eſt pollicum octo, in circumferentiâ, qvà venter maximè turget, pedis unius cum dimidio. Cimbrica à *Wormio* appellatur *Muſéi lib. 4. cap. I.* Urnarum ſepulchralium parcè admodum Hiſtoriographi noſtrates meminêre, partim qvòd tantùm Regum ac Ducum cineres, regnante in Dania *Frothone Magno*, in urnis cum eqvo & armis tumulis immitterentur, ſecundùm ejusdem *Frothonis* cremandi leges, qvas *Saxo Grammat:* memorat *Hiſt. Dan. lib. 5.* partim qvòd mos hic comburendi funera non multis ſeculis à primordio regni Daniæ, regnante ſcilicet *Dano Mikillati*, i. e. Magnanimo, tantùm non exoleverit, teſte *Snorrone Sturleſonio, in præf. chron. Norvag.* Mentio illarum à *Saxone Grammatico* bis tantùm, qvantum hactenus mihi innotuit, facta eſt *libro* nempe 4. in *Fengonis* hiſtoria & *lib. 8.* in exſeqviis *Haraldi*, qvarum elegantem in ſepulchris ſitum *Stephanius notis in hiſt. Saxonis Grammat. lib. 3. pag. 90 & 91.* deſcribit. Urnarum harum figuras elegantes capiti auctarii hujus impreſſas qvaſi per tranſennam videbis.

FIGURA LIGNEA, qvæ ſepulchrum Chriſti, qvemadmodum Hieroſolymis hodie adhuc viſitur, affabrè admodum repræſentat. Allata hûc fertur à peregrinatore indefeſſo Dn. *Henrico Rantzovio*, qvi iter ſuum Hieroſolymitanum conſcripſit, inq; eo delineationem ſepulchri hujus exactiſſimam exhibuit.

CALCARIA ex ORICHALCO, craſſa admodum & ponderoſa, qvorum poſſeſſor *Börgerus* Archiepiſcopus Lundenſis, in hiſtoriis patriis notiſſimus, olim extitit.

CALCARIA REGUM DANIÆ. Collum ipsis est spithamæ longitudine. Rotis majoribus, qvæ sex radiis plerumq; præditæ, ex ære vel ferro inaurato constant. Calcaria hujusmodi à Regibus donata iis censemus, qvos eqvites auratos creabant, ut hujus dignitatis eqvestris qvasi signum essent, non verò ut gestarentur qvotidie, sed solo die solenni, qvo Eqvites creabantur. In exseqviis qvoq; eorum prælata sunt cum insignibus aliis ad eqvestrem ordinem spectantibus & in ecclesiis ad sepulchra eorum suspensa. Asservatur unum ex talibus ferreum, cujus collum qvinq; literis monasticis 𝔐. coronatis spectatur. A Rege *Magno* Norvagiæ Eqvitem auratum hoc accepisse haud ambigo. Et Alterum qvoq; hìc est similitudinis ejusdem, in cujus rota 𝔈. coronatum monasticum exstat, qvod ad Regem *Ericum* referri debet vel *Menvedium* aut *Pomeranum*, Eqviti, qvem creaverant, donatum. Calcar ejusmodi inter κειμήλια regia etiamnum, longitudine pedis unius & unciarum trium exstat. Arcus, qvi calcaneum cinxit, unciarum trium cum dimidia, calcaneo mediocris staturæ hominis est aptus. Axis seu spina, qvæ stellam continet, decem pedes, stella radiis acutis duodecim constans in circumferentia sesqvipedem cum dimidia uncia æqvat. Partem exteriorem tam arcus, qvàm spinæ exornat litera, ut vulgò dicitur, Monastica 𝔥. coronâ regiâ insignita, novies, secundùm tesseram Danicam, repetita. Centrum stellæ una reliqvis grandior ejusdem figuræ occupat. Sunt qvi volunt Regis *Haraldi* fuisse calcar & ab eo eqviti donatum, qvi in ordinem adscitus, sed litera monastica eam non sapit nec svadet antiqvitatem, Regis Daniæ *Johannis* fuisse probabiliter statuimus, qvi in coronatione suâ Regiâ Holmiæ die S. Catharinæ anno 1497. paractâ 50 viros fortissimos, qvorum inclyta virtus ob recuperatam Sveciam emicuit, eqvites auratos creavit, qvemadmodum *Arnold. Hvitfeld. chron. Dan. fol. 1919.* festivitatem hanc descripsit. Nullius enim Regis Daniæ nomen ab *Haraldo* usq; ad *Johannem* prætulisse literam capitalem 𝔥 deprehendimus, qvi & idem 𝔥 coronatum suis in numis cudi jussit, nomen ipsius Danicum 𝔥𝔞𝔫𝔫𝔰 indicans. Qvemadmodum & illustrissimum Eqvitem *Philibertum de Chantemerle* in choro templi urbis Divionensis B. *Mariæ Virgini* dicati calcaribus ejusdem formæ, nullâ tamen literâ signatis, depictum conspicimus.

— *ad pag.* 64.

IDOLUM ISIDIS ÆGYPTIACUM. Idem est, qvod *Thomas Bangius Exercitatione Literariâ qvartâ qvæst. 2.* luci exposuit. Statua est ex argillâ albâ, longitudine qvinq; pollicum, obductâ incrustatione cæruleâ. Caput pendulo in pectus usq; velamine muliebri tectum cernitur, facie tamen nudâ & conspicuâ. Appendix barbæ instar in spiras ductæ mento adhæret. Binæ manus è stolâ exsertæ circa pectus complicantur, suum qvæq; hieroglyphicum tenentes. Sinistrâ absinthii marini ramum teneri, doctiores nonnulli autumant, qvòd herba Isidi sacrata exstiterit. Inferior corporis pars fasciis involuta est, in cujus parte, tam antica, qvàm postica characteres Ægyptiaci colore Indico inducti conspiciuntur. *Clemens Alexandrinus lib. 5. stromat.* characteres ἱερατικὰς vocat, i. e. sacerdotales, sacros & mysticos, qvi non more solito & literali, sed symbolico prorsus leguntur, de qvibus *Athanasii Kircheri*

Sphinx

Sphinx Mystagoga uberiùs disserit. Basi insistit qvadratæ, qvæ ejusdem cum idolo toto est coloris. Idola hæc sub sanctitatis cujusdam titulo funeribus medicatis seu mumiis indita reperiuntur. Horum qvoq; meminit *de la Boullaye le Gouz, part. 3. cap. 9.* in itinerario ipsius: *Ces mumies*, inqvit, *ont d'ordinaire dans l'estomac une figure d'or, d'argent ou de terre verte & sont ceintes d'une ceinture de Laurier ou de qvelqve autre matiere, suivant le rit de la religion ancienne de l'Egypte, sur lesquelles ceintures il y avoit des lettres Hieroglyphiques escrites. Le Sieur Anthoine Consul de France en Egypte me fit present de deux figures de terre verte, trouvees dans le corps de deux Mumies, dont l'une a la teste d'oyseau & le corps d'homme, l'autre de bœuf & le corps de femme.* Et eamquidem ob caussam mumiarum repositoria ad numinis Isiaci similitudinem accedunt, cujus custodiæ traditæ fuerunt, qvemadmodum mumiæ nostræ loculus Sect. 1. part. 1. eandem exhibet figuram.

IDOLUM ISIDIS aliud, prædicto majus. Formam ferè eandem habet, sed à parte tantùm anteriore characteribus ἱερατικοῖς seu sacerdotalibus & mysticis insignitum, qvod mumiæ qvoq; inclusum fuit. Ægyptii qvippe & Arabes non tantùm Idola, sed & supellectiles pretiosas & paginas scriptas intra cavitatem cadaverum clauserunt. Boreales nostri in rogum qvoq;, qvo *Haraldus Hyldetand* Rex Daniæ crematus, aurum & pretiosa alia, teste *Saxone Grammatico*, conjecerunt. Cùm integra verò cadavera sepelirentur, sub humeris præsertim & genubus thesauros posuerunt. De *Grettero* tumulum *Kari* intrante *Grettis Saga* idiomate nostro antiqvo M. S. seqventia narrat: *Ein Kistil fann hann undir fotum haugbauns, ok var hann fullr af Silfr*, ɔ: *arculam invenit sub pedibus terricolæ argento plenam*, ut in *Valhalla*, cæsorum palatio, auri argentiq; vis usui esset. Cum mortuis qvoq; eorum eqvi simul sepulti sunt & qvandoq;, si iis destituerentur, calcei lethales sepulchro illati, qvibus in *Valhalla* uterentur.

CINGULUM CORIACEUM. Pertinet ad diademata veterum, qvibus se Reges olim ornabant, qvod & Judæi suis ceremoniis applicarunt, in qvibus Regibus minores esse aut videri haud volucrunt. Reges enim se credebant omnes, qvi sacris illorum operabantur.

MONUMENTUM MARMOREUM. Spectare illud videtur ad superstitiosa illa, qvibus etiam Christiani se munierunt. Ex Basilidianorum schola ortum est, qvi talibus nominibus & febres & morbos alios averruncari docuerunt, si collo appenderentur aut sancto qvodam cultu servarentur.

SIGILLUM FRATERNITATIS S. CANUTI. Sigillum est æneum magnitudinis insignis, ponderosum ac rotundum, quatuor fermè pollicum diametrum excedens, in cujus medio S. *Canutus* Rex, coronâ apertâ fulgens, orbem dextrâ, sceptrum in apice liligerum sinistrâ gerens, inter coronas in sigillo dispersas throno suo insidet. Ambit illud sequens inscriptio monasticis, ut dicitur, literis exarata:

SIGILLUM FRATERNITATIS. SANCTI CANUTI. LANDESCRONE IN SCANIA.

In Sanctorum septentrionis nostri memoriam piam & sodalium adjutorium mutuum plurima in his oris olim sancita fuêre sodalitia. Hæc linguâ vernaculâ Gilde vocabantur. Id conviviorum vel sodalitiorum leges & statuta, nostratibus Skraa dicta, qvòd fuerint scripta, qvemadmodum & sigilla

gilla aſſervata luculenter evincunt. Hinc & cujusq; ſodalis literæ faternitatis, qvòd in ſocietatem adſcitus fuerit, conviviorum his ſigillis munitæ erant. Inter celebriora ſtatuta, qvæ antiqvitatum noſtrarum monumentis memorantur, ſequentia hæc fuêre: Scanoræ in Scaniâ Sancti Canuti, ſive Ducis ſive Ringſtadienſis vocati, cujus convivii ſtatuta anno 1256 ſcripta leguntur, annis nempe 126 poſt martyris hujus cœdem. Sic *Jeſſe Griis* in *Heddingemakele*, hodie Store-Heddinge/ in Selandia noſtra leges convivii S. *Olai* illic promulgatas conſcribi curavit, qvæ in membranâ priſcâ adhûc exſtant. Meminit qvoq; Antiquitatis patriæ aſſertor *Ol. Wormius in Muſeo ſuo pag. 384.* alterius convivii *S. Johannis* ejusq; legum, qvæ in membranâ ſcriptæ cylindro ligneo involutæ erant. Nec minus celebres ſunt leges convivii Otthiniæ in Fionia in memoriam & honorem *S. Canuti* Regis & Protomartyris Danorum ſanciti, cujus ſocii ac defenſores fuêre Potentiſſimus Daniæ Rex *Johannes I.* & conjux ejus Chriſtina ſimul cum filio Principe Franciſco. Conſtat etiam in Siöburgo, Selandiæ noſtræ ſede olim regiâ, qvemadmodum & Ripis Phunduſiorum *S. Canuti* viguiſſe convivia. Sigillum prius *Wormius* in Muſéo rariorum pag. 355. promit, poſterius in penu ſuo aſſervat Mag. *Pet. Terpagrius* Theolog. Lector Ripenſis. His accedit Sigillum illud ſpectatæ magnitudinis, qvod penes ſagaciſſimum noſtratem *D. Sperlingium* eſt DE CONVIVIO SANCTI CANUTI DE ST:ECHEBURG, qvod inſulæ Moenæ, ni fallor, arx fuit, ubi urbs Stege ſita eſt. Rex idem Canutus pius, ac ſtrenuus ob decimarum penſionem populo ſuo indictam & ſacerdotibus erogandam, Otthiniæ in æde ſacra Albani Protomartyr Danorum occubuit, ſecundùm calculum Hamsfordii *in ſer. Epiſcoporum Otthin. M. S.* Anno 1086. Regis exinde hujus Protomartyris piam inculcare memoriam majores noſtri voluerunt, unde & anno 1100 inter divos apotheoſi novâ relatus eſt.

SIGILLA FRATRUM & ABBATISSÆ in MARIEBOE. Ex ſigillo utroq; liquet ordinis ſacri fratres & ſorores in monaſterio hoc fuiſſe, qvod in inſulâ Laalandiæ in honorem *Virginis Mariæ* & *Sanctæ Birgittæ* Viduæ de ordine Sti. Salvatoris fundatum fuit, ubi ſexus utriusq; homines vicibus alternis ſacra fecerunt, qvemadmodum & in Mariagriâ Arhuſienſis in Cimbriâ Diœceſis fratres ac ſorores ejusdem ordinis fuêre. Refert qvoq; Huitfeldius monaſterium Mariæboe anno 1417 à Rege *Erico Pomerano*, indicto prius per regna ejus cenſu, exſtructum eſſe. Fabulati antea fuêrunt Monachi, regnante Regina Daniæ *Margaretâ*, ignitam illìc ideò apparuiſſe ſtatuam, qvòd placuerit Sanctæ Mariæ ſibi in hoc loco erigi domicilium, unde potentiſſima Regina fundum eundem, qvi fuit *Jani Grimii*, nomine Skieringe/ uſui huic dicandum emit adeoq; exædificatum ibidem monaſterium *Mariebo* vocabatur. Fuſiùs de hac re *Arnoldus* Hvitfeld *Chron. Dan. part. 4. pag. m. 670. 671.*

SIGILLUM METALLICUM ovale, qvod duplicem aquilam ſibi inſculptam exhibet. Ante Annum 1198 neminem duplici aquilâ uſum fuiſſe ex hiſtoria conſtat, qvo *Theodorus Laſcarus* ab Alexio Comneno Deſpota factus eſt, cùm *Alexii* filiam *Annam Comnenam* matrimonio ſibi junxiſſet. Is primus aqvilam auream duplici tam capite, qvàm corona in campo cæruleo prætuliſſe obſervatur, ut Dn. du Cange *in familiis Byſantinis p. m. 218.* commemoravit. Inde aqvilæ hæ Imperatorum occidentalium ſcutis inſertæ. Unde qvoq; in hoc

hoc ſigillo duplex aquila exprimitur, cujus inſcriptio ſic legenda: Ἀλέξανδρος ἐλεῳ Θεοῦ ὁ Αὐτοκράτωρ Ρωμαίων, ὁ Μέγας Αὐθέντης Τούρκων, Ἀλβανίας, Σερβίας, Βουλγαρίας Βασιλεὺς

h. e. *Alexander Miſericordiâ Dei Imperator Romanorum : Magnus Monarcha Turcarum : Albaniæ, Serviæ, Bulgariæ Rex.*





AD

SECTIONEM V.

Pag. 69. in numisma Tab: XVIII. No: 1.

REGIS CHRISTIERNI I.

opiam haud exiguam aureorum numiſmatum tempore *Chriſtierni I.* nec minorem argenteorum, eo diu regnante, exſtitiſſe haud dubitamus, qvamvis aureæ argenteæq; meſſes nullæ, niſi vectigales darentur, ex qvibus in ſeptentrione noſtro, auri argentiq; fodinis tunc deſtituto, numi recudebantur, qvippe in ſtrenui Militis fœminæ, Dominæ *Eliſæ*, theſauro *Hvitfeldius* noſter 1400 aureos Rhenanos, 500 numos aureos, qvi Nobiles vocantur, & 1800 marcas denariorum monetæ noſtratis numeratas fuiſſe *chron. Dan. part. V. pag. m. 918 & 919.* memorat, etiamſi alibi, veteres denarios ſedulò conquiſitos, meminerit, qvoties novi cuderentur, & ad monetam ex vectigali, edictis ſeveris propoſitis, redire debuiſſe, adeò ut non mirum videatur, tam paucos numos, præprimis præſtantiores veterum Danorum & hujus Regis, ſupereſſe, utpote qvos argentariorum qvoq; avaritia inhians uncis manibus traxit. Argentei numi itidem qvadrati ſeu truncati hujus Regis mentionem injicit *Mulenius* ſagaciſſimus, habentis in utroq; latere inſignia Domus Oldenburgicæ cum impoſita Corona, *Claſſe III. ſer. 1.* ideæ brevis, qvam rei numariæ exhibuit illuſtris noſter *Bartholinus*, aurei verò nullius, adeoq; Regios hos numos ex auro rariſſimos & ferè nusquam, niſi hîc, obvios cenſemus.

— *In numisma Tab: XVIII. No. 3.*

REGIS JOHANNIS I.

Notatu certè digna occurrunt in aurei hujus numi poſticâ parte regnorum, Ducatuum & Comitatuum integra inſignia, cùm ante eum nemo ea cumulare & conjungere conatus ſit. In ſigillis qvidem jam antea conjunxerant Daniæ Reges Dominii potentiſſimi inſignia, à *Valdemari Qvarti*, ni fallor, temporibus, at numis ante *Johannem* Regem nemo eadem inſeruit. Tribus enim in numo ſcutis inſignia ſua, hîc complexus eſt, exteriori ſcilicet & majori, inter crucis Danebrogicæ extrema, ſcutum tranſeuntis, leones tres regni Danici, tres coronas trium regnorum borealium unionem indicantes, Leo-

Leonem Norvagicum cum ſecuri & Draconem Vandaliæ ſeu Sclavorum regni vetus inſigne: Scutum verò interius duos Leones pro Ducatu Slesvicenſi, ſive Cimbria meridionali, urticæ folium cum tribus clavis pro Holſatiæ Ducatus utrâq; parte, & cygnum, collô coronatô, pro Stormariâ habet. Intimum deniq; & tertium ſcutum duas oſtendit trabes transverſas, inſignia Comitatûs Oldenburgici, ex qvo Majores ejus prodierant. Numus eſt, magnitudinis inſignis, pondere ſesqviunciali & dimidiæ drachmæ. Reliqvi duo, qvi ejusdem typi hîc aſſervantur, minoris ſunt ponderis.

Gabrielis & *Georgii Gyldenſtiernorum*, qvorum in Numi hujus deſcriptione *pag.* 70. mentio fit, pater fuit *Henricus*, Epiſcopi Otthonienſis, *Canuti Gyldenſtierni*, parens qvoq; ſpectabilis, Dominus de Refſtrup & Iversnæs, cujus pater *Canutus Gyldenſtiern*, *Gabrielis* cœterorumq; avus, tantâ exſtitit liberalis vultûs ac corporis excelſi elegantiâ, ut à Reginâ *Dorotheâ*, Regis Daniæ *Chriſtophori Bavari* viduâ, in matrimonium expeteretur, ſed ſenatu Regni diſſvadente, duxit ſibi dignitate parem, qvemadmodum *Cornel: Hamsfort in ſerie M. S. Epiſc. Otthonienſium* teſtatur. Præter numismata hæc rariſſima aurei qvoq; numi in regno Daniæ ſecundùm bonitatem & pondus aurei Rhenani, regnante *Johanne I.* cuſi ſunt, qvorum characteres Imperatoris *Ferdinandi* **Neue Müntz-Ordnung** / ſive **Reichs-Abſchied** / inter Receſſus cœteros Anno 1660. Moguntiæ impreſſus pag: 668 § 82 & 669 § 97. graphicè exprimit. Primus, cujus mentio ibidem injicitur, ſub inſcriptione IHES. DEI GRAT. REX. DACIÆ, primâ facie Regem ſtantem repræſentat capite coronato & nimbo circumdato, amictum pallio Regali ac ſub illo cataphractum & ferratum, qvi dextrâ ſceptrum cum lilio præfixo, ſiniſtrâ orbem cum cruce præfert. Inter pedes ſcutum cum trabibus Oldenburgicis poſitum eſt. Averſa verò pars, crucem habet, qvæ ſcutum coronatum tranſit, ſuper qvam tres Leones à ſiniſtra ad dextram currentes conſpiciuntur. In circuitu numi legitur, MONET. AUR, REGNI DACIÆ. Secundus ejusdem ferè eſt typi, præterqvàm qvòd in ſcuto ad pedes Regios ſtella ſeu potius urticæ folium videtur effulgere.

— pag. Tab: XVIII. in numisma No: 4.

CHRISTIERNI II.

Videtur numus hic aureus, pondere fermè ſemiunciali, ex eadem matrice, qvâ argenteus ille, rarò obvius, anno eodem percuſſus eſt, qvi, licet uncialis ſit, neutiqvam tamen thalerus, ut dicitur, cenſendus eſt, cùm thaleri nomen nondum Orbi, anno nempe 1518, qvo cuſus eſt, innotuerit. Anno qvippe ſeqventi in valle Joachimica, unde nomen thaleri & Joachimici ſeu **Jochims Thaler** ſortitus eſt, uncialis ex æde monetariâ Comitum de Schlick primò prodiit. *Chriſtiernus* itaq; *II.* hos numos aureos argenteòsq; ad exemplum patris procudi juſſit, ſub nomine, ut puto, **Guld-** & **Sølv-Stykker.** Ita qvippe numi argentei, in Imperatoris *Ferdinandi* **Müntz-Ordnung** ſive **Reichs-Abſchied** de anno 1559, inter cœteros Imperii Romani Receſſus anno 1660 Moguntiæ impreſſo, §. 56 appellabantur: **Dännemärckiſche gantz Silbern Stück / den Thalern an ihrer Gröſſe gleich.** Qvorum vera nomina inſeqvens thalerorum propago adeò obſcuravit, ut cum vulgo eos ſic appellare oportuerit. Numus hic aureus in eo tantùm, qvoad inſignia à monetis Regis *Johannis* differt, qvòd in ſcuto interiori partis adverſæ bini

illi Leones Ducatus Slesvici ſeu Cimbriæ meridionalis bis exhibeantur, eadem forte de cauſa, qvâ antea in Patris ipſius numo.

Pag. 71. Tab: XVIII. in numisma No: 7.
FRIDERICI PRIMI.

Notari ulteriùs numus hic meretur, tum qvòd ex auro ſit, qvam qvòd civitati Ripenſi nomen ſuum addere licuerit, qvod nulli alii Daniæ civitati contigit, aureos ſuo nomine numos procudere. Singulari itaq; gratiâ Regem *Fridericum I.* civitatem hanc, complexum fuiſſe, qvæ pacis belliq; tempore fida ipſi præſtitit ſervitia, ex eo diverſisq; ejusdem Regis diplomatis gratiosè urbi huic oblatis, manifeſtum eſt. Jura qvoq; & decreta Regis *Erici Glippingii* civibus Riparum promulgata haud obſcurè perhibent circa annum 1269. in urbe hac exſtitiſſe officinam monetariam, minutosq; exinde numos argenteos, æqvè ac poſtea, in aliis Daniæ civitatibus procuſos fuiſſe non dubitamus. Conſtat interim tempore hoc præ aliis civitatibus urbem hanc floreſcentem monetâ claruiſſe.

Pag: 71. in numismata No: 8. 9. 10 & 11.
Tab: XVIII.
CHRISTIERNI TERTII.

Numi hîc aurei primùm ideò recenſendi, qvòd Rex *Chriſtianus Tertius*, primus inter Reges Daniæ, numerari ſe voluerat, qvotus in ordine Regum ejusdem nominis extiterit: Nec enim aut in numis, aut in ſigillis vel diplomatis antea injecta eſt unqvam mentio, qvotus Rex qviſpiam in Dania nominis ejusdem eſſet. Notatur præterea, qvòd primus qvoq; Vandalorum Gothorumq; Regis titulum numis adjunxerit, qvo legimus ab *Auguſto Datho Orat. 65. libr. 4.* avum ejus Glorioſiſſimum *Chriſtiernum I.* cùm Romam ad ſacra Apoſtoli *Petri* ac *Pauli* limina adoranda tenderet, in urbe Italiæ Senenſi anno 1474. priùs ſalutatum eſſe. Obſervandus etiamnum eſt in numis prioribus capitis Regii ornatus peculiaris. Pileum qvippe, qvi, more iſtorum temporum, ad aurem dextram reclinatur, plumis exornari ac barbatus ipſe incedere amavit. In averſa demum numi parte, qvi drachmæ pondere ſub No: 11. exſtat, inſignia regia alio ordine diſpoſita conſpiciuntur, qvibus tres coronas à parente ſuo *Friderico I.* in numis omiſſas in memoriam unionis trium Regnorum Daniæ, Norvagiæ & Sveciæ reſtituit, iisdemq; Guthiæ ſeu Jutiæ Leonem corda novem tranſilientem adjunxit. In ſcuto præterea intimo inſigne Ducatus Slesvicenſis repræſentari juſſit.

Tab: XIX. in numisma pag: 72. No: 1.
FRIDERICI SECUNDI.

Singularis eſt numus aureus, qvi in parte poſtica ſuum ſpectatoribus exhibet pondus, tres ſcilicet marcas Danicas. Pondus Portugallicorum æqvat, qvi 20 ſunt uncialium ſeu thalerorum ex argento, adeo ut marca aurea Danica ſeptem ex argento uncialium thalerorum pretium attigerit. Adeoq; III. *marcarum* Inſcriptionem, qvæ pretium hoc indicat, numo huic aureo, qvemadmodum & argenteis, incudi juſſit.

Pag:

Pag: 73. Tab: XIX. in numisma No: 4.

Numus hic primus eſt ducatus ſive drachmalis, qvi in Dania percuſſus. Nomine *Dogkate, negligentiâ* inciſoris typi, pro *Ducate* inſignitus eſt. Pondere tantùm Ducati Hungarici aureos ſuos numos *Chriſtianus III.* qvoq; procudi curavit, qvi ſub numeris 9. 10. 11. *Tab. XVIII.* hujus muſéi exſtant.

— In numisma No: 5. ibidem.

Prima itidem eſt corona aurea, par floreno aureo Rhenenſi, **Gold-Gülden**/ in regno Daniæ percuſſa, ejusdem ponderis cum ducato Hungarico, ſed auri vilioris ideoq; pretii minoris.

Pag. 75. Tab: XIX. in numismata No: 10 & 11.

Nec minùs illuſtrant ſocietatis Elephantinæ ſtatuta literæ Regiæ *Chriſtierni I.* Holmiæ anno 1457. exaratæ, qvibus Geminiano Treviſano, aulæ Regalis *Palatino & Oratori*, conſortii teſſeram clementer ſe contuliſſe Rex fortunatiſſimus memorat. Ipſi præterea in favoris regii ſignum, conceſſit torqvem, *auro venuſtare.* Verba qvædam diplomatis, cùm plus luminis hìc afferant, en breviter adjuncta: *Qvamvis in aliis literis noſtris regalibus privilegialibus & gratioſis torqvem noſtram, qvâ collum noſtrum Regium & humeros noſtros circumambire pro noſtræ Majeſtatis gloria ſolemus, & milites ac nobiles & Generoſos in ſignum noſtræ Magnificentiæ decoramus, Dilectioni tuæ de manibus noſtris largiti fuimus & dedimus in præſentiarum tuis promerentibus virtutibus & meritis ac obſeqviis fidelibus nobis & coronæ noſtræ impenſis multipliciter, qvia es militaribus cingulo & honore ac inſigniis decoratus, qvatenus dictam torqvem venuſtare auro poſſis & valeas decorare, circumqvaq; jugi collo tuo, ubicunq; te adeſſe contigerit, in ſignum benevolentiæ & gratiæ noſtræ, tibi de noſtra libertate regiâ concedimus & impertimur.* Luculenter hæc exponunt, ſocietatem hanc ante annum 1457, qvemadmodum & annum 1464 fundati Roëskildiæ ſacelli in pium ſocietatis uſum, viguiſſe, qvamvis non adeò coalitam, aliisq; conſortii hujus fratribus, qvi milites ac eqvites illuſtres erant, tantùm conceſſum fuiſſe torqvem ſuum *auro venuſtare.* Cauſam itaq; potentiſſimus Rex in literis laudatis addit: *Qvia es militaribus cingulo & honore ac inſigniis decoratus.* Eqveſtre qvippe potiſſimum inſigne erat cingulum, à qvo enſis pendebat. Et hinc qvidem in jure Romano miles ita cinctus ſecundùm *inſtitutiones Juſtinianæas de milit: teſtamento libr: II. Tit. XI.* ſingulari gaudebat privilegio. Apprimè huc ergo faciunt verba allatæ Epiſtolæ M.S. Epiſcopi Arhuſienſis *Ovenii Bilde*, qvondam Regum Daniæ *Johannis I.* & *Chriſtierni II.* Cancellarii, & *Chriſtiano III.* perqvam dilecti: **At de ſom i ſamme Orden vare/ maatte og ſkulde bære et Sælſkab/ ſom var giordt udi Lignelſe efter Elephant-Dyyr nethen uthi ſamme Sælſkab/ uthi Lignelſe med en blodig Torne-Crone og tre blothige Nagler.** i. e. *Qvòd eidem ordini adſcripti teſſeram qvandam, qvæ ad effigiem Elephanti facta, addito inferius ad teſſeram eandem orbe (***Spegel** *Danicè vocabatur) cruentæ ſpineæ coronæ ac trium ſangvinolentorum clavorum imaginem referente.* Additur ibidem: *in honorem & memoriam paſſionis Domini JEſu Chriſti Salvatoris noſtri.* Ex bullâ Papæ Pii II. anno 1462. datâ, dignoſcimus Pontificis ejusdem indultu, *Chriſtiernum I. de novo inſtituiſſe confraternitatem hanc propriis exercendis operibus ſub vocabulo* non tantùm

S. Mariæ, sed & *S. S. Trinitatis & passionis Domini nostri JEsu Chhristi, de qva idem Rex nec non multi Principes & nobiles & ipsius Regis consiliarii exsistebant,* qvorum cœtum deinde qvinqvagenarium *Sixtus IV.* ex indulgentiarum bulla, anno 1464. esse voluit, ac fundatio *Christierni I.* anno 1464 Hauniæ facta statis 4. anni temporibus celebrari constituit. Rem præterea Episcopus *Ovenius Bilde* in Epistola M. S. sæpe laudata ità porrò illustrat: Og drog/ og bar Kong Hans fornefnthe Sælskab altid til hans Døde-Dag i alle Højtithelige Dage oc Vertskab/ oc holte samme Sælskab uthi stor Ære oc Verthighed/ som mange nu vel vittherlig er/ oc toc Kongen uthi samme Orden oc Brotherskab meth sig gamle Kong Henrich af Engelland oc Kongen af Skotland/ hans Søster-Søn/ oc sende thennem baade forn: Selskab/ hvilke som oc holdte samme Orden oc Brotherskab oc Confœderatz med hannem thil deres Døde-Dag/ med stor Villie/ Venskab og Kiærlighed: Item gaf Kong Hanns mange Herrers oc Fyrsters Sendebud samme Sælskab/ som hand slog til Riddere/ oc sammeledes mange af Danmarks Riges Raad oc Adel/ desligeste Fruer oc Jomfruer/ baathe af vores Slægt oc baarne Venner oc andre fleere uthi Riget. Oc mindes os vel af Barndom/ at mange gothe Mænd/ som Riddere vare/ droge oc thette Sælskab uforforgyldt uthi Høytithelige Dage/ oc saa thil merkelige Vertskab oc Forsamling/ som mange mærkelige Mænd/ endnu leve/ vittherligt er/ oc vel drages til Minde oc seet have. Hvilket vi lade os tykke/ at det var deres Herre oc Konning/ Riget oc thennem selv oc then meenige Adel en stor Ære/ baathe uthi Riget oc uthen. i. e. *Rex etiam Johannes usq; ad mortem suam prædictam tesseram omnibus festis diebus & in conviviis continuò gestavit, eamq; magno in honore habuit, qvemadmodum multis etiamnum notum est, & in eundem ordinem ac confraternitatem Henricum Grandævum Angliæ Regem & Regem* Scotiæ, *Sororium suum, admisit ac utriq; eorum prædictam tesseram obtulit, qvi & eundem ordinem, confraternitatem & confœderationem cum illo magnâ amicitiâ usq; ad mortem servarunt. Memoratus etiam Rex Johannes tesseram hanc Regum & Principum Legatis, qvos eqvites creaverat, clementer concessit multisq; Daniæ senatoribus, nec non nobilibus, matronis & virginibus tam è nostra, qvàm aliis in regno prosapiis. Obversatur ab infantia ipsa memoriæ nostræ, multos, qvi eqvites fuêre, eandem tesseram DEAURATAM, cœterosq; nobiles, qvi eqvites haud fuêre, suam tesseram NON DEAURATAM in majoribus festivitatibus ac lautis conviviis & conventibus gestasse, qvemadmodum multi insignes viri, etiamnum superstites, ac testes oculati norunt. Qvod Domino & Regi eorum regnoq; & illis ipsis, ac omni nobilitati honorem eximium tam intrà qvam extra regnum fuisse arbitramur.* Sunt verba qvæ exactè congruunt cum literis, Geminiano Trevisano, Palatino aulæ regiæ & Scutifero, pro torqve suâ aurô venustandâ, anno 1457. oblatis. Nec silent deniq; Regis *Christierni I.* literæ M. S. de torqvibus ejusdem generis, virtute, prudentiâ & generositate spectabili, ut ibidem dicitur, viro *Edvardo* Civi Januensi Holmiæ d. 25 Novembr. eodem anno, qvemadmodum & Illustri & magnifico Principi Domino *Franconi Friderico Marchioni* Mantuano anno 1462 clementer elargitis. Anno verò 1459 Rex optimus de collegio qvodam religioso Roëskildiæ instituendo meditari cœpit, qvod in honorem S. S. Trinitatis, virginis Mariæ, Sanctæ Annæ, omnium Dei Sanctorum ac S. imprimis Trium Regum exstrui voluit, cujus fabricæ, ad australe Templi cathedralis latus anno deinde 1464. extructæ & consecratæ bona varia legavit, qvæ in hunc usq; diem Regum Stirpis Oldenburgicæ mausoléis superbit. Qvanto deniq; favore

re Potentissimi Regis *Christiani I.* successores Sacellum hoc proseqvuti fuerint, Privilegia à Rege *Johanne* sacrario eidem anno 1484. concessa & eorundem à *Friderico I.* confirmatio die S. *Ægidii* Abbatis Roëskildiæ 1526. data uberiùs testantur. In memoriam, ut censemus, tesseræ consortii elephantini, qvod Roëskildiæ celebrabatur, *Christiernus II.* electus Rex *Erico Valckendorpf*, Præposito Roëskildensi ejusq; in eadem præpositura successoribus anno 1508. in castro Aggershuus vesperâ *S. Benedicti Abbatis*, novum dedit insigne, auratum scilicet Elephantem cum turri in dorso, in scuto cœruleo liliis consperso.

— *Pag. 77 & 78. in numismata sub Numeris 24. 25. 26. & 27. Tab: XX.*

SOPHIÆ REGINÆ FRIDERICI II.

Regina hæc insignes tam togæ qvàm sagi tempore suppetias filio Regi *Christiano IV.* porrexit. Testis qvoq; rei hujus navis bellica fuit sumtibus ipsius exstructa, qvæ nomine Reginæ *Sophiæ* insignita & ob molem fabricæ stupendam magna cognominata summum hostibus terrorem incussit. Vidua in peculio suo, arcis Nycopingiæ, per annos fermè 44 providè & circumspectè vixit. Eqves Anglus, *James Hovvel*, in Epistolis Ho-*Elianis vol. I. sect: 5. ep. 40.* Anglicè eam laudibus his extollit: *The Maine of the Ambasie is to condole the late Dead of the Lady Sophia Queen, Dowager of Denmark, our Kings Grand-mother: She was the Duke of Meclenburgs Daughter, an her husband Christian the third* (vult dicere Friderich the second) *dying joung, her portion, which was forty thousand pounds, was restored her, and living a Widow forty four years after, she grew to be so great a huswife, setting three or four hundred people at work, that she died worth neer two millions of dollars, so that she was reputhed the richest Queen of Christendom.* i. e. Præcipuus finis & scopus legationis est dolere„ mortem Principis *Sophiæ*, Daniæ Reginæ viduæ, Regis nostri aviæ, Obotrito-„ rum Ducis filiæ, cujus maritus fuit *Fridericus II.* Rex Daniæ, qvi præma-„ turè mortuus est, ideoq; Reginæ huic dos ipsius, qvæ qvadringentos mille un-„ ciales complectitur, restituta. Viduæ postea annos 44 viventi, dote hac, re-„ gia res adeò crevit tantaq; evasit œconoma, ut operariorum artificumq; cu-„ râ, qvorum trecentos aut qvadringentos aluit, fermè bis millies millena unci-„ alium in ærario suo moriens reliqverit, adeò ut inter ditissimas in orbe Chri-„ stiano Reginas æstimata fuerit. Regi *Friderico* II. anno 1572 d. 21. Aug. matri-„ monio juncta est, mortua anno 1631. d. 4. Octobr: ætatis suæ 74. Roëskildiæ anno eodem d. 14. Novembris regio more sepulta est.

— *pag. 79. in numisma Tab: XXI. No: 5.*

CHRISTIANI. IV.

Præter allata, Augustissimus Rex in anticâ numi parte â coronatione peracta redux hic notandus, qvi eqvo generoso rectus, sceptroq; & diademate ac vestibus auratis, fulgens, sub cadurco seu tegmine pretioso conspicitur, qvod à Regni senatoribus, *Georgio Frisio*, *Prebiornio Gyldenstiern*, *Axelio Brahe*, & *Henrico Lycke* gestabatur.

— *ad pag. 80. in numisma sextum Tab. XXI.*

Præter descriptas superiùs decursiones Hamburgi, post homagium Regi huic præstitum, peractas, varia ibidem qvoq; exhibita fuere spectacula eqvestria, primo

præ-

præſertim Novembris die, omnium in ſe oculos converterunt. Decurſiones & ſpectacula hæc eqveſtria *Heusnerus* & *Bindeman* fuſiùs enarrant.

Pag. 81. in numisma No: 14. Tab: XXII.

Nec hîc prætereundus eſt Sveciæ Regis in expugnatam à Danis Calmariæ urbem inſultus. Ex caſtello urbis ejusdem caſtrisq; ſimul, qvæ die 12 Junii anni ejusdem ad urbem metatus erat, die 17. Julii horâ octavâ veſpertinâ qvatuor in locis urbem hanc aggreſſus eſt, ferro & flammâ ferox. Vario hinc Marte per noctem totam pugnatum eſt, profligati penitùs Sveci ſe caſtris ſubduxerunt. Caſtelli verò hujus munitione, qvæ *S. Erico* dicata erat, globorum ictu à Danis poſtea dirutâ, & qvemadmodum in numi poſticâ apparet, ab ignibus correptâ, Sveci die 3 Auguſti inibi ſe dedere coacti ſunt.

Pag: 82. in numum Tab: XXII. No: 21.

In primâ numi facie Regis Glorioſiſſimi, more ſuo, cataphracti, ſcutum coronatum viſitur, in qvo tribus Daniæ Leonibus, dextrorſum procurrentibus, tria corda ter ſunt adjuncta. In nullis antea, qvod ſciam, Regum Daniæ numis coronati conſpiciuntur Leones Daniæ. In ſigillis verò, qvæ ex Archivis Haunienſibus deprompta chronicis Regis *Friderici* II. *Reſenius* inſeruit, Leones hi inde à Regis *Valdemari* II. tempore & anno 1216. inter corda promiſcuè & incerto numero diſſeminata viſuntur, usq; dum tempore Regis *Erici Pomerani* anno 1397. ad novenum numerum in ſigillis redacta eſſent atq; in una ſerie leonibus his antrorſum adjuncta. Poſtea tamen usq; ad *Chriſtiani Tertii* tempora & annum 1546 in ſigillis prorſus neglecta ſunt. In numis verò, ante Regis *Chriſtiani Qvarti* imperium, haud uſitata,

Pag.. 85. in numum 35. Tab. XXIV.

Fortia hæc facta Invictiſſimi Regis ad cœlum usq; laudibus qvoq; exteri extollunt, inter qvos *Le Sieur de la Boullaye le Gouz*, parte 3. c. 41. itinerarii, *Ce Prince*, inqvit, *eſt digne de revivre dans la memoire des hommes pour ſa generoſité, les actes, qu'il en a produits dans ſes dernieres guerres, font foy de mon dire, lorsq; ſon Conſeil s'oppoſa a l'expoſition, qu'il vouloit faire de ſa perſonne pour combattre ſur la mer les Suedois; il diſt: à t'on jamais leu, qu'un Roy de Dennemark ſoit mort ſur la mer.* Taceo hîc celebrem Regis hujus ad fretum Kilonienſe cum Svecis conflictum, qvi ex 46 armatis navibus vix triginta easq; qvaſſas & laceras fugâ ſubduxerunt, extincto tum temporis *Claudio Flemmingio*, rei maritimæ gnaro. Rex inde, poſt devictam hoſtilem claſſem d. 5. Septembr. anno 1644. terræ continenti cum lectiſſimâ militum manu confeſtim ſe commiſit & in Scaniâ Malmogiam ab hoſtili aſſultu liberavit, plura itaq; de his hiſtoriographis noſtratibus diductiùs commemoranda reliqvimus.

Pag. 68. in numum 40. Tab: XXIV.

Inter metalla rariora mineræ auri portiuncula ſub ſpecie pyritis, qvæ micis freqventibus reſplendet, heic qvoq; exhibetur, qvam Anno 1646. præſente glorioſæ memoriæ *Chriſtiano Qvarto* ignibus depuratam fuiſſe & ex librâ unâ auri puri drachmas ſex prodiiſſe in muſéo ſuo, *Wormius* teſtatur. *Adductæ ſunt*, inqvit, *lib. 1. ſect: 3. cap. 2. ex eodem Norvagiæ loco* (ex qvo mineras qvasdam

No. 1.

No. 2.



No. 3.

No. 4.





No. 5.



No. 6.

No. 7.

No. 8.

No. 9.

No. 10.

No. 11.

No. 12.

No. 13.



dam auri narrat) *mineræ talcosæ itidem & freqventibus granatis prægnantes, qvas auro scatere multi existimant. Hanc mineram Anno 1648. Regi ipsi detexit rusticus qvidam,* **Gammel Grødevin** *dictus, sita fodina est ad portum* **Marede** *& prope* **Barebye.** Rectius verò rusticus ille nominatur **Gammel i Grødevejen/** ab habitationis loco denominatus: patet enim è diplomate Regio M. S., qvod tum temporis die 3 Aug: ab oneribus omnibus & tributis rusticum hunc eximit, eum vocatum fuisse **Gammel Giordsøn** in **Grødevejen.** Nec minus rem illustrat Regis hujus mandatum M. S. Arendaliæ in Norvagia anno eodem degentis, qvod Toparchæ & inspectori auri fodinæ hujus, *Cajo Kruse* pridie datum erat, ut mineras hîc erutas Hauniam afferri sedulò curaret.

Ad Pag. 87. in numum 3. Tab. XXV.
FRIDERICI III.

Sparsi sunt tam in auro qvàm argento ejusdem typi numi varii ponderis & diversæ magnitudinis, qvi etiam hic superant, semunciales qvidam sunt minorisq; ponderis usq; ad dimidios Ungaricos in auro & 12 asses Lubecenses in argento. Posticæ partis inscriptio TANDEM cum vasculo floris proliferi decerpta videtur ex hemistichio: *Tandem fit surculus arbor,* ut innueret Optimus Princeps, se qvidem regno haud destinatum, cum Frater natu major dudum homagia successionis suscepisset, TANDEM sibi regni gubernacula tradita fuisse post Fratris Patrisq; mortem.

— Pag. 90. Tab. XXVI. in numum No. 12.

Legi itidem Regiæ, qvâ absolutè hæreditarium Regis Daniæ & Norvagiæ Dominium in seros posteros stabilitur, à FRIDERICO III. Monarcha nostro olim Augustissimo Anno 1665. d. 14. Novembris primùm conditæ ex numismatis hujus matrice sigillum aureum magnificè procusum, in hujus actus celebrem memoriam & corroboramentum firmius appensum qvoq; conspicitur.

— Pag. 94. in numisma No. 29. Tab. XXVII.

Numus hic aureus bracteatus & cavus, cui datum est pondus & forma non mergens, unde natantis sortitus est nomen. Fuit ille, qvo utriusq; sexus Aulici Regis hujus gloriosissimi in devoti amoris τεκμήριον mundiq; gratiam qvondam sese ornarunt, more prisco Romanorum militum, qvi galeas suas numismatibus Imperatorum pro gemmis exornari gavisi sunt secundùm antea laudati *Pomponii* effatum. Omnes ejusdem formæ numi, etiamsi majoris moduli, sive ex ære sive angento ac auro, tam cavi tenuesq; procuduntur, ope aëris, cavitati inclusi, emergendi virtutem habebunt, aqvæ leniter impositi. Suum igitur natandi nomen, qvod nobis est **Svømming/** omnes appositè merentur.

— Pag. 96. in numos sub No. 3. & 4 Tab. XXVIII.

Præter unctionem Regiam, qvam ab Episcopo Sialandiæ nostræ, *D. Johanne Wandalino* peractam exacteq; lingvâ vernaculâ descriptam legimus & numis his indigitari censemus, occurrunt in iisdem splendidissima, qvibus Rex ornatus erat, regalia signa, inter qvæ septentrionis nostri diadema Re-

gium cœtera ſuo eminet fulgore, qvi nobis deinceps præter reliqva exactioris offeret deſcriptionis anſam, itaq; hic ſolii Regalis tantùm meminiſſe juvat, qvod Regis ejusdem Pater glorioſiſſimus ex unicornu marini prætioſis cornubus, auro articulatè ligatis, efformari cœpit ſpectata admodum magnitudine, cujus abſolvendi occaſio Filio Regi CHRISTIANO V. relicta fuit. In ſolii hujus epiſtylio incomparabilis amethyſtus illa, pondus 80 drachmarum ſuperans, perqvam eminenter effulget, qvemadmodum hinc inde ſolii cadurcum fulcraq; argenteis virtutum imaginibus egregiè inauratis inſtructa conſpiciuntur. Tantum & tale Monarchiæ ſolium tam natalium jure, qvam virtutùm conſpectiſſimarum merito Princeps & Rex CHRISTIANUS V. Anno & die prædicto aſcendit, omni laude cumulatiſſimus, & talem in faſtigio iſto, à Deo in terris proximum, Magnorum Europæ Principum magni Legati per tres integras ferè annorum decades aut triumfatorem ſalutarunt, aut adjutorem ſolicitarunt, tantumq́; rerum geſtarum magnitudine viderunt ſubditi, ſubmiſſiſſimo honoris ſuſpectu Auguſtum tutorem & propugnatorem patriæ proſeqventes.

Ad numum 15. ejusdem Tab.

Ut majorem lucem huic numo fœneremur, prætereundos haud arbitramur binos in inſulam hanc militis noſtri aſſultus accerrimos, qvibus Duce Architalaſſo Dn. *Nicolao Julio*, antiqviſſima hæc Gothorum Regumq; exinde Daniæ poſſeſſio poſt breves moras in Victoris conceſſerat leges, dum die 29 Aprilis primùm ſub tutela Claſſis Danicæ ductuq; Chiliarchæ *Martini Bartholdi* miles Danus invaſerat inſulæ littora ad promontorium **Klinte** / ubi hoſtis bene armatus manuq; inſtructus magna, Duce *Gabriele Gyldenſtierno*, poſt varios congreſſus palmam militi noſtrati cedere coactus fuit, & terrore hinc inde littoribus ita circumfuſo, tota inſula arma depoſuit, exceptâ validiſſima Wisburgo arce, qvam, verſo velo, claſſis Danica deinde primo Maji die magna vi petiit, igneisq; laceratam telis arbitrio Architalaſſi noſtratis ſeſe concedere adegit, emporio Wisby maris Balthici olim celeberrimo, qvod mari huic leges olim tulit, obſeqvente, una cum binis navibus bellicis, qvas perditum ibat hoſtis, *Charitatem* ſcilicet & *Conſtantiam*, qvarum una in via eadem capta eſt à milite noſtro, alterâ incenſâ.

— Pag. 97. ad numum 14. Tab. XXIX.

Nec in minus gratam memoriam hic revocandæ ſunt noſtri militis ad urbem Viſmariam acerrimæ conflictiones, cùm & die 4 Novembris Anni 1675, navim *Falconem*, 45. tormentis bellicis inſtructam ad Inſulam *Balænam* hoſtis manibus extorſerit & ſic aditum in portum, poſtridie itidem caſtello inſulæ *Balænæ* capto, ſibi aperiens poſtea die 13 Decembris munimina urbis contigua forti mann expugnaverit; Rege verò ulterius ſuos milites ad interiora ſtatim ducente voceq́: & manu inflammante, urbs hæc omni inſtructu munitiſſima ſeſe dedere coacta fuit, & duobus Chiliarchis eodem die in obſides miſſis, poſtridie Wiſmariæ Præfectus, Comes *Carlſſon*, claves portarum, qvæ à noſtris copiis ſtatim obſeſſæ fuerunt, ſubmiſſè tradidit, proximè ſeqventi die cum præſidio ſatis forti evadens.

Ad

Ad numum No. 16. Tab. ejusdem.

Fusis priùs ab Heroe hoc Svecorum copiis ad Qvistrumbroe, etiamsi fluvius, qvi pontem eundem præterlabitur, eas tutas & tectas intra sua sibi hic facta munimenta servaret, die 7 Junii forti manu, captis ad Oddevaldam munitionibus fortissimis Svecorum, hostem, qvi se in fugam deinde dederat, usq; ad Gottelf persecutus est. Tandem illustrissimus ille Heros & Prorex *Guldenlovius* urbem Vennersburgum aggressus est, cujus in rupe munitissimum castellum, in qvo Sueci præcipuum pro copiis suum coëgerunt victum & commeatum, una cum urbe fermè inaccessum se ipsius arbitrio dedere armis coërcuit, anno & die dicto, qvomodo *virtuti nulla fuit invia via.*

Pag. 99. ad numum No. 22. Tab. XXXI.

Inter cœteras in postica numi parte ex rupibus ad urbem Marstrand prominentes munitiones validissima fuit *Carlstein*, qvod situ loci cautiumq; fortitudine omnia sibi subjacentia munimina maximè defendens, captis tamen die scilicet 13 Julii Anno 1677. munitissima rupe *Malepert*, die verò 18. ejusdem mensis castello *Gustavusburgo* unacum urbe *Marstrand* & postridie insulâ bene munitâ *Hedvigsholm*, heros ille indefessus telis ignitis ex tormentis bellicis, qvæ in rupes ferè inaccessas sedulâ arte afferri curavit, toties laceratum tandem eò adegit, ut miles Svecus arma vexillaq; sua ad pedes tanti Proregis provolutus victusq; die 23 mensis prædicti posuerit Anno eodem. Fusa sunt itidem in campo Oddevaldæ die 28 mensis proximè seqventis Suecorum undecim millia, Duce eorum Regni Sueciæ Cancellario *Magno de la Gardie*, cùm *Lövenhielmius* nostras duobus tantùm millibus equitum hosti huic palmam ibi præriperet.

Pag. 100. ad numum 24. Tab. ejusdem.

Primus, qvi in hoc assultu die 12 Septembr. ex classe Danica littora promontorii Rugiani *Wittau* cum suis ascendit defenditq;, fuit Excubiarum Summus Præfectus *Lövenhielmius*, qvi hic qvoq; imperterritum ductu suo se gessit virum, etiamsi ter fuerit ab hoste afflictus. Postridie copiæ Electoris Brandenburgici, Duce perqvam illustri *Dörflingio*, militis Dani intrepida vestigia ex adverso regionis presserunt tam fortiter & feliciter, ut post qvatuor dierum moras, varios cum hoste conflictus & capta munimina tota hæc insula opima & tanta militum Svecorum manu instructa victorum jussa capessens Danorum potestati iterum jure subjecta fuerit: Antiqvissima enim hæc est Danorm possessio, qvæ belli theatrum priscis Danorum Regibus toties constituit, utpote qvibus multa sangvinis profusione Christianam religionem propagare, pro more solito Romanæ ecclesiæ, hìc curæ cordiq; fuit, qvorum fortia facta, expeditionesq; variæ in historiis patriis dilaudantur.

Pag. 101. ad numum No. 33. Tab. XXXII.

Ita Cimber ille Boreæ explorator diligens, nomine *Hohtherus*, in *Appendice VI. ad hist. vitæ Regis Ælfredi Magni edit. Joh. Spelmann.* Prædicto Regi de Norvagiæ tractu sic seculo IX. retulit: *And se mor sythhan on sumum stovum sva brad, sva man mæg on tvam vucum oferferan and on sumum stovum sva brad,*

„ *swa man mæg on syx dagum oferferan.* h. e. Montes aliqvibus in locis tantæ „ sunt latitudinis, ut non nisi duarum hebdomadum itinere possint transcendi, „ in aliis non latiores, qvam qvi sex diebus superari possunt. Montium qvippe horridi tractus magis tunc temporis invii ideoq; per ambages ampliores iter conficere necesse fuit, qvod experientiâ postea Norvagi fecerunt compendiariô. Qvemadmodum & Gloriosissimus Rex CHRISTIANUS V. per tres septimanas universam fermè Norvagiam terrâq; mariq;, in milliaria Germanica 600. huc illuc se vergentem, perlustravit, clivosa & prærupta montium juga nulla formidans.

Pag. 101. ad numum 58. Tab. XXXIV.

Coruscant in numo hoc Trionum κειμήλια, ornamenta nempe Regia seu Regalia, qvæ mira concinnitate ex puro puto auro confecta. Præprimis effulget fulgidum istud septentrionis nostri diadema Regium, in cujus ambitu eminenter admodum illa incomparabilis sapphirus oblonga exsplendescit, qvæ magnum istum, qvem Hetruriæ Magnus Dux possidet, adamantem & pondere superat & splendore æqvat, utrinq; assident Pyropli æqvales, flammas siderum cœlestium imitantes, tandem sese effert sapphirus qvadrata perqvam eximia, fulgore suo nulli cedens, qvæ omnes intra suas qvasi arealas adamantinas distinctæ per circuitum gratiosissimam ex se diffundunt lucem: Igneis qvippe luminibus totum anadema hîc inprimis perfunditur, accensâ inter sociatas & concinnè dispositas gemmas aliqva æmulatione. Nempe ibi nitores Cyanei, masculè certantes fluctuant, ruboresq; igniti coruscant, qvibus permagni illi adamentei comites adsunt, qvi oculos fulgore suo leniter compunctos jucundè admodum pascunt. Præ cœteris autem gratæ magnitudinis ille adamas, ex qvo hæc Regii Nominis sigla C5 pellucet, spectatorum oculis & animis gloriosam hujus κειμηλίs Instauratoris memoriam ibi inculcat. Supra Diadematis hujus insulati ambitum arcus ex frondibus qvernis aureis, adamantibus ubertim distinctis, exsurgunt omnes aurei, qvi claudendo coronam coincidunt & bene gemmati crucigerum sustentant pomum aureum, cujus ex apice collucet mira & magna illa gemmarum progenies, qvæ varias ex se dispergit flammas & scintillas. Et hæc est illa excellens forma, & operosus ille ornatus, qvo in terris nihil dari potest descriptius, luculentius aut opulentius, unde septentrionis nostri regium caput aurescit, frons gemmascit, Rex totus nitescit & coronâ hac ex auro qverceâ redimitus roborascit. Huic ornamento verè Regio appositum est pomum aureum, qvod virilis manus vix complectitur, ambit ejus medium circulus gemmis adamantinis dispunctus & talis crux desuper immobilis ei est insita. Decusatim adjecta conspiciuntur gratiæ justitiæq; insignia Regia, sceptrum scilicet aureum, abundè hinc inde adamantibus distinctum, in cujus summo cerulei lilii folia gemmata se paulatim vergunt & expandunt, & gladius Regius capulo gemmis pellucido munitus & vaginam indutus, omnibus Regnorum, Ducatuum Comitatuumq; insignibus, ex opere colliquato & caustico secundùm artem Heraldicam in clypeos redactis, perqvamconcinnè exornatam, additâ cuilibet eorum clypeo coronâ adamantinâ satis decoro.

Ulterius numismata hæc aurea Gloriosissimi Regis CHRISTIANI V. uti seriùs congesta & procusa, in acervum hunc disponere, ne numorum superiùs explicatorum series disrumperetur, necesse habuimus.

TAB. XXXIIX. No. 1. CHRIST. DAN. NOR. PRINC. HÆR. CHARL. AMALIA PRINC. HASS. Ant. Meybus fecit.

Principum icones se invicem aspicientes.

Ex adversa parte:

PROSPERA SERVABIT QVÆ FOEDERA SANXIT OLYMPUS.

Sub hac inscriptione eorundem Principum statuæ, porrigentes sibi manus. Ad infimam numi oram M. DC. LXVII. D. 25 *Junii.*

Ex hujus numi inscriptione satis dispalescunt fœdera sacra nuptiarum in arce amœnissima Neocopingiæ in Falstria sancita, qvibus Princeps Celsissimus d. 25 Junii Anni 1667. inter solennes populi applausus festivasq; Regiæ Gentis & Principum Magnorum gratulationes sibi serenissimam ex domo Cattorum Hassiaca Principem ac Dominam *Carolottam Amaliam* in talami sociam, dignam Rege conjugem, assumpsit. Princeps enim illa & virago, *in qva* Nobilissimus Tullius nostras, D. *Wandalinus*, *orat. parent. in exeqviis Divi Christiani* V, verè dixit, *verecundiam de palma certare cum venustate, cum gravitate humanitatem, cum nobilitate Principalis familiæ chorum virtutum clarissimarum.* Hauniæ breves post moras Princeps omni laude dignissima pompa & applausu magno excepta est, qvam Principum dotum absolutum compendium Matremq; Deorum æternùm regnaturi Nepotes celebrabunt. Numus est perqvam elegans pondere unciarum qvinq;.

No. 2. *In numi facie Rex in genua ad altare holocausto accensum devotè provolutus est, compositis manibus Deum solicitans, cum epigraphe* CHRISTIANUS. *Infimo numi loco* (Galli dicunt *dans l'exergve*) *exstat* PIETATE.

Ab altera parte:

REX. *In solio Regio sedet Rex Salomon, dijudicans causam meretricum.*

Infra ad oram numi JUSTITIA.

Sensus numi totus est erutus ex historia Salomonis 1 Reg. 3., qvi, regno in manu ipsius confirmato, dominatum *Pietate* exorsus est, & sapientiam à Deo efflagitans, *Justitiâ* prudenter discussit causam meretricum. Qvantas autem à primis unguiculis regiminisq; primordiis *Pietas* fecerit radices in pectore Salomonis nostri, *Christiani* V., & qvàm individua per omnem vitæ gradum ipsi exstiterit comes, in gloriosam & æternam ipsius memoriam prædicant, qvi ad ipsius consvetudinem interiùs admissi fuêre, ipsorumq; posteri dicent, adeo ut etiam occupatissimus manè non ante salutari & alloqvi, aut vesperi qvietem sumere voluerit, qvàm se Deo venerabundum stiterat, se suamq; Domum Regiam, regna & populos in clientelam Divinam commendans. Notissima qvoq; sunt ipsius in publico officia devota, qvibus subjectorum animos in Deum cultumq; divinum attraxerat. Dilaudent sinceram Regis pieta-

tatem ædium sacrarum tecta parietesq; superbi, in qvibus tot & tanta ipsius exstant præsidia. Adde qvod de promovenda Ecclesiæ politia, de sacris ritè, id est, decenter & ad veræ pietatis formam, ordinandis, de pauperibus curandis, de alendis Sacrorum ministris, de scholis deniq; & doctrinæ seminariis conservandis multa piè, religiosè & qvam nemo majore & accuratiore studiô præscirpsit. Uberiùs idem loqvantur & enarrent Magni hujus Instauratoris pia statuta, ut ille præ cœteris justo pietatis titulo gaudeat. Et qvemadmodum Christianus Pietate, sic & Rex Justitiâ denominandus sit: Magnus enim hic Legislator jura regnorum Tribunalibus restituit, cui eorum amplissimæ provinciæ debent, qvod in unoqvoq; regno una vivendi lege & ejusdem juris institutis, qvæ à Patre ipsius Magno, *Friderico* III. inchoacta & affecta, jam in suum qvodq; corpus concinno ordine collecta in Daniâ 1769. in Norvagiâ autem 1735. numerantur, associatæ nunc floreant & absq; temporis dispendio cum exigui argenti impendio, nec Bartholo nec Baldo dicam impingentibus, pro se ipsis causam dicant, qvod non cuivis contingit populo. His legibus suorum vitia fregit, & peccandi licentiam ex imperii finibus sedulò proscripsit, qvin etiam qvoties in tribunali summo intricatos juris dijudicare casus, aut in consilio intimo qvid diliberandum vel consilium in arena capiendum contigit, consiliariorum animos non potuit non subire admiratio, qvippe advertentium exactam in Rege veri rectiq; sagacitatem, qvi res dijudicatu difficiles tam prudenter dirimere scivit.

TAB. XXXIIX. No. 3. CHRISTIANUS V. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Ejusdem Regis vultus.*

In adversâ.

MONUMENTUM PIETATIS. *Typus templi.* Ad oram numi infimam: CHRISTIANSHAFN.

Numi facies præ se fert iconem Magni Patriæ Instauratoris templiq; Christianshauniæ fundatoris, hujus devoti actus testem in postica numi parte exemplar ejusdem templi tunc ædificandi sese sistit. In fundati ergo templi memoriam numus hic est procusus, cujus primum lapidem Gloriosissimus Rex Anno 1682. d. 30 Octobris piè posuit; jacto verò ultimo hujus monumenti lapide, anno 1696. d. 19. Aprilis ab Episcopo Siælandiæ D. *Henrico Bornemanno* sub nomine *Salvatoris* Mundi Deo dicatum voluit, qvo die Pius ille Rex etiam cum tota Domo Regia de fausto successu cœlum ibi solicitavit, votis populi devotè stipatus. Magnum certè & magnificum est *Pietatis Monumentum* & urbis Hauniæ, in suburbio Christianshauniâ, eminens ornamentum, secundùm ideam summi Architecti Regii, *Lamberti van Hagen*, adeo scitè & venustè exstructum, ut septentrionis stupendæ molis & artis fabrica meritò sit vocandum.

CHRISTIAN. V. D. G. REX DAN. NOR. VAN. G. *Regis Christiani V. vultus.*

Ex adversa numi parte:

Argenti-fodinæ in Norvagiâ Regiomontanæ cum inscriptione: SPE ET LABORE. Ad extimam numi oram: MONS DOMINI MULTA RERUM UBERTATE REDUNDAT. Ps. 68. 16.

Ex

Ex antica parte numi vultum Regis *Christiani* V. exhibentis, tutò colligimus in aversâ qvasi per transcennam repræsentari argentifodinas Regiomontanas, in Norvagia admodùm feraces, cùm in regnis arctois Regis ejusdem alias nullæ dentur, dari autem posse plures in Norvagia argenti fodinas aliorumq; metallorum nulli dubitamus, earum verò, qvæ hic dantur, & argenti sunt, exactiorem situm in mappa geographica aliqvando ad sectionem VII. part. I. *de metallis* &c. hujus musei luci exponemus. Satis superq; ad rem erit, in numismatis posticâ parte compendiariò tantùm indicasse metallurgorū officia & fodinarum qvarundam capita, fructus partesq; qvarum specus Potentissimus Rex CHRISTIANUS V. in itinere suo Anno 1685 præsentiâ Augustâ illustravit & lustrando duas, qvæ in Muséo hoc asservantur, argenti mineras eximias manu Regia avulsit, vestigia Divi CHRISTIANI IV. animosè premens, qvi fodinas has qvoq; perlustrans argenti puri mineram elegantem libræ dimidiæ pondere, ut refert *Wormius*, olim manu sua extraxit. Venæ verò argenti primæ fodinæ fortuitò à pastore qvodam juvene, patris pecora in tractu illo pascente sub jugis montium Sølvsbiergs Aas in vicinia Sandsvær/ hodie Kongsbierg sive Regiomonti Anno 1623. inventæ & detectæ sunt, Regisq; nomine deinde fodina hæc insignita, qvæ tot & tantas cum tempore circum se nacta est diffusas argenti venas earumq; fodinas, ut illæ jam secundùm montium tractum in superiores & inferiores divisæ sua qvæq; sortitæ sint nomina, qvæ brevitatis gratiâ nominare hic supersedemus. Scatebræ sunt hæ, qvas benedictione tanta Numen Divinum fœcundavit, ut fertilitate suâ nullis planè in Germania cedant, qvarumq; sumptus facilè ergò superarunt lucrum. Testes clarissimi sunt tot ex argento myriades numorum uncialium, qvi Regum nostrorum autoritate ex isto metallo Norvagico seculò hoc cusi, originis suæ memoriam in postica numi parte conservant, Leonem cum bipenni, decora Norvagiæ insignia, exhibentes. Nec unqvam probus hic labor spem fefellit, unde *spe & labore* adversa numismatis inscriptio vult, ulterius esse annitendum: In extremo numi limbo monti eidem ejusq; fodinis ob earum fertilitatem hoc Davidis effatum applicatur: **Mons Domini multa rerum ubertate redundat.**

TAB. XXXIIX. No. 5.

ARCTOI FASCES CUM JOVE SOLUS HABET. *Gloriosus Regis Christiani* V. *vultus cum casside plumis sertoq; Laurino ornata.*

In parte postica:

POST DOMITOS HOSTES TERRAQVE MARIQVE TRIUMFOS. *Regis eqvitis statua in stylobatâ posita.*

Feliciter qvippe fasces Trionum Monarcha hic cum Jove solus certè habuit, nec tamen altitonante fulmine Jovis justissima bella sæviens expedivit, qvi in gerendo & componendo bello semper inventus est pacificus: Humanus enim inhumanum duxit, homine prodigè uti. Sibi ergo habeant hostes pervicaces, si qvæ ab eo eversæ sint urbes, agri desolati, incensæq; aut laceratæ classes, multis myriadibus hominum & omni aparatu instructæ. Et sanè qvotqvot è littoribus Codani maris capita exserunt & tunc exseruerunt munimina superba, tot & ejus rei exstant monumenta, Martiæ virtutis & victoriæ ipsius documenta. Ad Oelandiam, ad Langelandiam, sinumq; Coägiensem

gienſem Balthicus ille Neptunus faſces ei demiſit & agnoſcens Dominum ſua jura repetitis præliis vindicantem, tot Regis victorias integras maximeq; inſignes in æviternum decantat, dirutis captisq. tot claſſibus, qvantis reparandis pauci anni & unius regni ſumptus vix ſufficerent. Ob infinita ergo in nos merita & cives tantopere ſervatos laurea redimitus victor in victoriato hoc meritò conſpicitur, qvemadmodum & poſt domitos hoſtes terraq; mariq; triumfos in aversâ numi eqves eminet invidiam ſtimulaturam peſſundans. Statua eſt magnifica, qvæ in foro Regio Hauniæ inter reliqva orbis arctoi fabrorum fuſa ποιήματα nulli cedit omniumq; ideò oculos in ſeſe convertit, opera & arte Statuarii Regii, *Abrahami Cæſaris L'Amoreux*, Metis Lotharingus, hìc ex plumbo conflata & anno 1688. ſtylobatæ ſpectatæ impoſita, cujus angulis aſſident juſtæ magnitudinis imagines, virtutes verè regias repræſentantes. Egregia hæc artis moles altitudine ſua duos ſupra viginti & qvod excedit, pedes æqvat, in æviternam Monarchæ hujus victoriarum memoriam foriq; Regii ornamentum magnificentiſſimum.

TAB. XXXIIX. No. 6. SIC ORBIS VEHITUR. *Vehiculum qvoddam tot vermiculis tractum, qvot eidem inſident homines.*

In poſtica.

HILARITAS TEMPORUM *in corona Laureâ.*

Eſt numulus, qvi percuſſus refertur anno 1693 in *hilaritatem* eorum *temporum*, qvæ in aula Regiâ d. 16 Februarii incidebant, eo enim die qvisq; aulicorum, qvaſi in theatro qvodam, ſplendidè admodum perſonatus ſuum luci exponebat affectum. Et ſicut mundus regitur opinionibus, ita iisdem in numo hoc ſub ſpecie vermiculorum vehitur: qvippe ſuos qvisq; patimur manes. Aula igitur regia magnatesq; ipſius hìc nihil humani à ſe alienum eſſe conteſtari voluerunt, ut eò meliùs qvilibet ſuum, deinde reprimeret affectum, publicè profeſſum.

No. 7. FRIDER. DAN. NOR. PRINC. HÆR. LOVISÆ PR. MEGAPOLIT. Concordia æterna. *Icones eorundem Principum junctis lateribus ſtylobatæ impoſitæ, cui æra Chriſtiana & menſis dies, nempe 1695 d. 5 Dec. qvo nuptiæ iſtorum Principum Hauniæ celebrabantur, inciſus.* Infra Ant: *Meybus fec.*

Ex altera parte:

ANTHYRIA VIRTUS. *Virtus provida, ſedens dextrâ corripit ſerpentem, ſiniſtro brachio cornucopiæ omni mundo prædivitem tenens, loco fulcri ſedilis gryphus conſpicitur, virtutis illius inſigne decorum.* Ad oram infimam hoc votum: REGUM FOECUNDA FIAT!

Numisma eſt, qvod Principibus Celſiſſimis, ſeptem Trionum deliciis, inter arctoi populi acclamationes feſtivas, Magnorum Principum Magnatumq; gratulationes, thalamis Auguſtis Hauniæ in arce Regia die prædicto illatis, *Concordiam æternam* exoptat, ut excelſæ hoc pacto coaleſcant mentes & antiqva gentis utriusq; concordia arctiore jam vinculo, in ſeros annos duratura, firmetur. Junctis itaq; cum patria univerſa votis ſua qvoq; ex parte poſtica offert numus εὐχήν pro Anthyriæ Virtutis fœcunditate: Qvippe Obotrita-





tritarum sangvinis satorem Anthyrium annales memorant, Ducem *Alexandri Magni*, qvi, domitore orbis exstincto, in oras Vandalicas navi cum lecta manu vectus, Megapolin, Herulam & Stargardiam postea condidisse fertur, ex cujus progenie, celsa & Regia illa Obotritarum gente, consumatæ illud virtutis Anthyriæ exemplar Serenissima Princeps ac Domina LOUISA oriunda, filia *Gustavi Adolphi* Ducis Megapoli-Gustroviensis ex *Magdalenâ Sibylla*, Principe natu maxima *Friderici* Ducis Slesvicensis, Anno 1667. d. 28 Augusti nata, qvæ in Celsissimi Daniæ & Norvagiæ Hæreditarii Principis FRIDERICI amplexus jam ruit castissimos, impetu hoc sibi nos omnes clementer admodum devinciens. Igitur ad thalamos tantorum Principum submissè provoluti cœlum, unde fertilitas omnis destillat, his precibus solicitamus:

Anthyria virtus
Regum fœcunda fiat!

Elegantiâ conspicuus est numus, etiam in postica sub specie Virtutis Anthyriæ faciem gratiosam Celsissimæ Principis LOUISÆ exprimens pondere suo qvatuor uncias fermè æqvat.

TAB. XXXIIX. No. 8. FRIDER. DAN. NOR. PRINC. HÆR. LOUISÆ PR. MEGAPOLIT. Concordia Æterna. *Vultus gratiosi expressis thoracibus eorundem Principum & junctis lateribus basi impositi, cui ... a Christiana nuptiarum Principum eorundem incisa est mensisq; dies.*

In posticâ:

FELIX DANORUM GENIUS. *Genius sub brachiis infantem gestans.* Inferiùs: CHRISTIANUS NATUS XXVII. Junii MDCXCVII.

Principum istud consumati amoris par & exemplar, nunqvam satis dilaudandum & venerandum, prima numi pars exhibet, fausta acclamatione inibi repetita, ut illis sit *Concordia Æterna*, posteritati propagandæ & nostræ felicitati continuandæ jam prospicientibus. Aversum itaq; si inspiciamus numi latus, habuimus hic pro qvo vota cœlo etiam solveremus gratiasq; referremus, qvòd thalamum eorum Principum ea exhileraverit fœcunditate, tantumq; amoris castissimi pignus benigno sinu in nos effuderit, dum die 27 Junii Anno 1697. ex Serenissimâ Principe Megapolitana, Domina *Ludovica*, Principem *Christianum* Hæreditarii Daniæ & Norvagiæ Celsissimi Princips *Friderici* Primogenitum nasci voluit. *Felix* ergo inscribitur hic *Danorum Genius*, naturæ Deus humanæ. At cùm nihil ab omni parte beatum sit, Princeps primogenitus his terris vix ostensus anno proximè seqventi vivis qvoq; excessit d. 1. Octobris! Commutare saltem nobiscum voluit bonus ille Deus hoc Trionum decus & delicium, cùm exspirantis jam sæculi Anno 1699. d. 30 Novembris singulari cœli munere Celsissima Princeps, jam Regina Daniæ & Norvagiæ exoptatissima, feliciter iterum enixa sit Principem Hæreditarium, cui avitum illud impositum nomen CHRISTIANI. Deus Ter Optimus Maximus nobis hunc sceptrorum Augustum Hæredem sospitem & salvum servet qvàm diutissimè, ut aliqvando ex eo generentur Reges & Principes, qvi

Avum Regem *Fridericum Qvartum* & Aviam Reginam *Ludovicam*, imò proavum & proaviam venerabuntur, qvò regnis æterni sint suo de sangvine Reges! Numus est qvoq; oppidò pretiosus, pondere suo qvatuor uncias ferè æqvans.

TAB. XXXIIX. No. 9. CHRIST. V. D. G. DAN. NOR. V. G. REX. CHARLOTTA AMALIA REGINA. *Vultus Regis atq; Reginæ se invicem aspicientes.*

In postica.

Daniæ & Norvagiæ statuæ, inter tædas geniales super aram igni accensam tenentes clypeum, in qvo:

DE SEX LUST. CON. CHRIST. ET CHARL. AMA. 25 JUN. 1697. FEL. ABSOL. *Altare est tribus his literis* VOT. *signatum. Infimo deniq; loco:* GRATUL. *qvod sic legendum censemus:* De sex lustris conjugii Christiani & Charlottæ Amaliæ 25 Junii 1697. feliciter absoluti vota gratulatoria. *Qvibus omnibus inscriptio hæc votiva adjungitur:* ADHUC SEX LUSTRA SUPERSINT.

Vota tricennalia Dania & Norvagia in postica numi parte ad altare solvunt de sex lustris conjugii Regis *Christiani* V. & Reginæ *Charlottæ Amaliæ* die 25 Junii 1697 feliciter exactis, suscipientes tot tantaq; vota inter gratulationes in hoc die festivas, votiva nempe hac acclamatione: *Adhuc sex lustra supersint.* Habemus certè, pro qvo vota solvamus cœlo, qvod Optimo Patri Patriæ *Christiano V.* non optimam tantùm junxerit Matrem *Carolottam Amaliam* sed & tam obseqvioso & longævo Regium hoc Par beaverit conjugio, cujus longævitatem superare nullis Regibus, stemmate Oldenburgico satis, antea contigit, nisi *Christiano* & *Johanni* Primis, qvo & Augustissimum hoc septentrionis delicium amplissimos felicitatis publicæ fructus in nos qvàm gratiosissimè contulit. Est itidem numisma non minus splendidum, fermè ejusdem ponderis & magnitudinis atq; proximè præcedens.

No. 10. CHRISTIAN. V. D. G. REX DAN. NOR. V. G. *Regius ejusdem vultus.*

Et parte altera:

* Hiob. 37. 22. VON MITTERNACHT KOMT GOLD. KONIGSBERG Am 1 DEC: 1697. H. C. *decussatim duo mallei.* M.

Qvamvis dictum Scripturæ ex parte numi aversa, secundùm fontes Hebræos eum non patiatur sensum locoq; auri ponendum esse fulgorem accuratiores fontium sacrorum indagatores sentiant, attamen appositam hic *Lutheri* versionem nil minus censemus: **Von Mitternacht komt Gold.** h. e. *Ex septentrione venit aurum*, cùm & in rem nostram apprimè faciat. Qvibus & addimus seqventia Jobi verba: *Et ad Deum formidolosa laudatio:* orbi qvippe jam notum est, qvàm divite penu amplissimum Norvagiæ Regnum sub asperis montium jugis argentum subministrat, ut etiam auri fulgor ex fodinis hisce sese subinde diffundat, propterea &

Deum omnipotentem cum Jobo venerabundi laudamus, qvi amicum illud soli metallum in ultimis & frigidissimis etiam septentrionis oris nasci adeò clementer concedit. Ex auri enim minerâ, argento admixtâ & duas marcas pendente, qvæ ex diu deserta & denuò apertâ fodinâ Norvagica Regiomonti, **Die beständige Liebe** dictâ, Anno 1697. diruta & per ignem depurata 8½ semuncias auri, argenti verò 7½ suppeditavit, numus hic aureus aliiq; ejusdem typi & ponderis ducatum valentes, curâ Nobilissimi & Generosi *Schlaenbusch*, argenti fodinarum Regiomonti in Norvagia Præfecti summi, die 1 Decembris anni ejusdem percussi sunt, qvorum ἀρχέτυποι ad Monarcham nostrum anno eodem ab eo transmissi. Exstat etiam in Muséo hoc Regio minera ejusdem farinæ, qvæ ex fodinâ Regiomontana, **Braunschweig** vocatâ, Anno 1630 avulsa huc allata est. Hinc post quatuordecim annorum moras itidem major auri vis sub rigidis tractus Necnæsensis montibus sese in Norvagia exseruit, cujus rei testem fide dignum afferimus incomparabilem D. *Th. Bartholinum* in suis *vindiciis pro Medicinâ Danorum*: *Auri*, inqvit, *qvod ferax est eadem Norvagia, cujus mineræ A. C. 1644 ex tractu Necnæsensi prope portum Arendalensem & curiam Barlo* (Archivis Regiis rectius est ad portum *Marede* & prope *Bareboe* in eodem tractu) *allatæ igneq; probatæ ex pondere centenario præbuerunt auri puri marcas triginta octo, & alia vena ex libra una auri puri dedit drachmas sex*, *ex accurata annotatione* Olai Wormii *lib. 1. Musæi sect. 3. c. 2. Aliæ mineræ talcosæ & multis granatis refertæ inde ad nos missæ fuerunt, aurum condere paratæ, qvarum particulas in musæo servo. Ex harum minerarum auro in rei pretiosæ memoriam Rex Daniæ inclytus, Divus Christianus IV, ducatos aureos cum paropiis cudi mandavit*, qvemadmodum & nos antea fol. 86. Muséi hujus meminimus, *addita hac inscriptione: VIDE MIRA DOMI.*

TAB. XXXIX. No. II. UTINAM NON POSSET MORI! *votum est, qvod ambit gloriosam Regis Christiani V. iconem in numi hujus facie. Inferiùs additur M.DC.XCIX. 15 Aprilis, qvi Regis est natalis.*

In latere averso:

HAEC CURA, HOC VOTUM. *Pietatis, vina ad aram, accenso igne, libantis statua, dextrâ capedunculam tenens. Siglæ aræ eidem incisæ* Christianum V. Daniæ Norvagiæq; Regem *exprimere volunt, qvibus subjunctum est Monetarii nomen.*

Monarchæ Gloriosissimo d. 15. Aprilis 1699, qvinqvagesimum & tertium ætatis annum superanti votivum hoc numisma devotè admodùm obtulit Illustrissimi Proregis *Guldenlovii* filius, Comes de Lawerwigen, Regis ejusdem viribus jam morbi gravioris diuturnitate defluentibus, cœlum hoc voto mille millies solicitans: Utinam non posset mori! Tam probum Ezechiam, cujus annis tantum quatuor, & qvod excurrit, menses postea sunt additi, senectutis limine vix salutato, mortuum esse qvidem dolemus; At dum bene vivitur, diu vivitur, & qvem sui raptum gemuêre cives, hic diu vixit! Ex aversâ numi parte Pietas

tas velato habitu conſpicitur, Deo votum pro incolumitate Regis vovens, qvæ cura etiam ſit noſtra noſtrumq; votum. *Hoc enim bonum & acceptum coram Deo, fieri obſecrationes, orationes & poſtulationes pro Regibus & omnibus, qvi in ſublimitate conſtituti ſunt*, Scripturâ Sacrâ ſic admonente. Numiſma eſt eò nitidiùs, qvò exactiùs vultum Regium ex auro uncialis exprimit, qvem & exqviſitiſſima artificis induſtria commendat.

TAB. XXXIIX. No. 12. CHRISTIAN. V. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Regis ejusdem effigies.*

In averſâ:

GLORIÆ IMMORTALI REGIS OPT. BENE MER. *Sub hac epigraphe exſtat icuncula Regis, ſtylobatæ, monogrammate regii nominis ſignatæ, impoſita, qvam Pietas & Juſtitia coronant.* Infimo loco (*dans l'exergve* dicunt Galli) CURSU COMPLETO D. XXV. Aug. MDCIC.

Meritò in poſtica numi exſeqvialis parte *Gloriæ immortali* tanti Regis, cujus triumforum laureas tot vigiliis, periculis & fortibus auſis partas nulla tamen exedet vetuſtatis caries, monimentum hoc poſitum eſt, *curſu* ſideris tam ſalutaris Anno 1699. horâ poſt meridiem mediâ qvintâ, diei XXV menſis Auguſti *completo*, qvod Anno 1646. die 15. Aprilis horæ qvadrante poſt decimam antemeridianam (in Flenopolitana arce) clementis cœli inclinatione exoriens per tres annos, & qvod excedit, ſupra qvinq; decades ſuis perqvam benignè affulſit, &, diffuſis hinc inde eminentiſſimæ gloriæ virtutumq; radiis, inclaruit orbi toti, perfectiſſimam *Pietatis* & *Juſtitiæ* imaginem præprimis in eo demiranti. Demeruit igitur *Optimus* ille *Rex*, qvòd *Pietas* & *Juſtitia* triumfalem ipſius imaginem in numi averſa ſertis redimiant ſuis, meritiſſimô acclamantes:

Qvot tua, Rex ingens, penſabunt facta coronæ!

Numus eſt aureus, pondere quatuor fermè unciarum, qvi, funere, Regio Divi CHRISTIANI V. Hauniâ d. 2 Novembris Anni 1699. apparatu ſolenni Roëskildiam educto, procuſus bene meritis ab Auguſtiſſimo Monarcha noſtro FRIDERICO IV., Genium & Majeſtatem Parentis induto, eſt diſtributus.

No. 13. CHRIST. V. D. G. DAN. NOR. VAN. GOT. REX. *Regius vultus.*

In poſticâ:

MEMORIAE AETERNAE OPT. PRINC. *Supra pyramidem cum impoſita urna ſepulchrali; monogrammate Regii nominis ſignata, ipſi verò pyramidi inſculptum legas.* N. 15 APR. 1646. OB. 25 AUG. 1699. REGN. AN. 29. h. e. Natus 25. Aprilis 1646. obiit 25. Auguſti 1699. regnavit annos 29. *Infimo deniq; numi loco exſtat E. C. D. 2 NOV. qvod legendum putamus.* Et Condebatur Die 2 NOVembris.

Numi tales per plateas in pompa inſigni, qvâ Potentiſſimi qvondam, memoriæ glorioſæ, Regis CHRISTIANI V. funus Regium ducebatur,

tur, inter populum Hauniæ d. 2 Novembris 1699. veſpera eadem ſunt ſparſi, *æternam Optimi Principis memoriam* inculcantes. Cœteros funeris Regii apparatus ſplendidos uberiùs deſcriptos dabit Diarium Regis ejusdem, Germanicè conſcriptum & Hauniæ Anno 1701. impreſſum, qvos breviter *Nova Literaria Mar. Balt. & Septent. Anni* 1700. *pag.* 45. delineant. Exſeqvialis hic numus, qvi minoris eſt moduli, pondere unius unciæ qvadrantisqve conſtat.

Antiqviſſimis Danorum & Norvagorum numismatibus, claſſi II. hujus Muſeï fol. 110. &c. inſertis accedunt hæc ſeriùs inventa, qvæ unà cum antea allatis, præprimis Regis Canuti II. & III., eadem ſerie, qvâ advenêre, cùm ſenium & diſcrimen eorum, præſertim qvæ Canutorum tenui & tenera ſignata ſunt facie, difficilius ſit dijudicatu, æri inciſa hîc illuſtrantur.

REGUM CANUTI II. ſeu Magni & CANUTI III., qvem Scriptores HardeCanutum vocitant.

TAB. XXXIX.

No. 1. ✠ CNUT REX ANG. *Vultus Regis, cujus caput galea prorſus Regiæ ornatum eſt, capillis in nodum ad cervicem coactis, qvemadmodum ex humeris apparet pallium Regis pompoſum, & dextrorſum eminet ſceptrum florigerum.*

In adverſa:

✠ ASVA. MO. LINCOLN. *Crux, qvæ in qvatuor partes numum dividit.*

2. ✠ CNVT REX ANG. *Regis Eadem icon, cum baculo, cujus apex tribus globulis præmunitus eſt.*

✠ LEOFVIG ON LVNDE. *Crux eadem.*

3. ✠ CNVT REX ANGL. *Eadem Regis icon, inſtructa ornatu eodem.*

✠ RICHVLF ON NOR-DF. *Eadem crux.*

4. ✠ CNUT REX AN. *Regis vultus, more fermè eodem exornatus, niſi qvod presſiùs capilli ejus ſub casſide ſimplici ad cervicem relegati ſunt in nodum rotundum.*

✠ HILDOLF. MOE. O. ER. *crux.*

5. ✠ CNVT REX ANGL. *Regis icon cum casſide eadem, cervicem uberiùs tegente.*

✠ VI-DRIN M-OE. RY. *Crux solita.*

Numi primores tres in antica parte ejusdem ferè sunt typi, alius verò posteriores duo, conveniunt tamen in eo, qvòd eorum icones omnes sint galeatæ & denarii ex puro puto argento, qvorum 140. pondo unum æqvare, solidum autem Anglicum, qvi libræ vicesima pars est, duodecim continere, *Gvilhelmus Lambardus* in ἀρχαιονομίᾳ computat. *Joh. Spelmannus* in vita *Ælfredi* ad numos *Saxonum* Tab. II. hos denarios vocat communes, à majoribus ipsius **Penegas** / jam **Pennias** appellatos, & ponit calculos exactiores: *Eorum unus tribus nostris ferè æqvatur. Eorum qvinqve solidum unum, sive scilling valebant, 48 verò solidi sive scillingas* h. e. 240 **Penigas** / *libram unam conficiebant, nostrorum (Anglicorum) denariorum 720, h. e. scillings 60 præter propter. Qvare, cum qvadringentas libras Ælfredus noster dotem filiæ suæ statuisse dicitur, è nostris 1200 dedit.* Tandem addit: *Danici verò, qvos habemus (Canuti sc:, Har-deCanuti & Haroldi) sunt ejusdem cum Saxonicis formæ & magnitudinis.* Numi majoris moduli per aliqvot ejusdem temporis sæcula, qvod sciam, promiscuè non sunt usi, qvia inde ab imperio Valentiniani (ni fallor I) prout *M. le Blanc des Monnoyes de France pag. 40.* memorat, qvicqvid auri vel argenti percussi à populo censuale fuit exactum, depuratum & non recusum in thesauris imperantium asservabatur, qvomodo subditi argentum & aurum suum deinde custodiebant, *vide Cod. Theodos. libr. 3. de ponderat.* Et ita in Galliis usqve ad tempora *Philippi Pulcri*, nempe annum 1285 observatum nobis qvoq; *M. le Blanc.* l. c. tradit, cui sic assentire videtur Gregorius Turonensis: *Nec Aurum neq; argentum* (scilicet Regis Clodovei & sobolis ipsius tempore) *sicut nunc est, in thesauris habebatur.* Qvos verò *J. Spelmannus* l. c. numos aliqvantulum majoris moduli ex cimeliis protrahit, rarissimi sunt, in usum populi promiscuè non percussi. Hinc nostri minutuli numi, Græcis τὰ λεπτὰ ἀργύρια i. e. minuti argentei vocati, iisdem sæculis procusi sunt, civibus in minutis & qvotidianis rebus commercandis & distrahendis sufficientes, qvi nostratibus exinde pulcerrimo vocabulo **Skillie-Mynt** / id est, monetæ, ut ita dicam, *separatoriæ* vocabantur, qvòd facilè per eas cives separarentur. Res itaq;, qvæ magni erat pretii, libris aut selibris, auri vel argenti, & qvod excurrebat, minutulis rependebatur, ut summa pretii justè suppleretur: Germanis etiam numi hi minutuli **Scheid-Müntz** dicuntur. Emicant in nostris, secundùm epigraphen, CNVT REX AN. ANG. & ANGL. Canuti Grandævi, Magni Daniæ Regis, hic autem simul Angliæ, icones pro eo tempore rarissimæ, qvippe in aliis regnorum monetis regnantium imagines non ubivis tum obviæ. Et res certè in Galliis admodum singularis fuit in numis circa tempora eadem imperantium vultus procusos videre, qvemadmodum laudatus *M. le Blanc* de numo *Philippi* I. anno 1060 regnantis pag. 150 profitetur: *Chose*, inqvit, *tres rare en ce temps la, qve de voir des testes sur les Monnoyes.* Signum enim Imperatorium qvondam erat ora vultusq; Principum in numis conspicere, & Imp. Justiniani tempore Regibus Francorum primùm concessas fuisse icones suas in numismatis aureis percussas, prædictus *M. le Blanc* Procopium nobis autorem pag. 44. affert. Historia Ecclesiastica *Adami Bremensis* Regem nostrum ubiq; *Chnut*, *Encomiastes* verò Emmæ Cnutonem vocat: In historia patria idem est secundus ejusdem nominis, qvi nomen hoc gentilitatis sortitus est à *Cnutone Primo* & exposititio, nostratibus etiamnum

fund-

fundne Knud cognominato, hic enim, prout *Sturlesonii Chron. Norvag. Danicè edita pag. m.112.* referunt, cura *Gormonis* Regis Daniæ, paganorum more baptizarus est nomine Knud/ & nodo cum infante illo reperto, in qvo crepundia sive γνωρίσματα, qvæ tres erant annuli aurei, connodata erant, qvemadmodum nodus etiamnum Danis Knude vocatur. Respectu verò filii cognominis, qvi tantùm duos annos novemq; dies ad Angliæ gubernacula, ad Daniæ verò septem seu novem sedisse computatur, habuit senis seu Grandævi agnomen, unde & Gammel Knud *in historiâ gentis Dan.* ab *Erico Pomerano* Rege Daniæ, ut creditur, concinnatâ, denominatur, qvemadmodum & Dives. Nec vix alia de re, qvàm de vultu hæc & seqventia *Canuti Grandævi* numismata agnoscuntur, qvia & Monetariorum sive Monetalium Comitum ætates, qvorum nomina in postico exstare videntur, indagare non contingit, nec aliis inscriptionibus in antico numi hi discriminantur ab ejusdem Regis filii cognominis numismatibus, qvæ promiscuè eundem præ se ferunt titulum. Et qvamvis junioris Canuti numi alibi exstare videantur, qvi à Patris numulis prænomine HORDA seu HAUDRA dignoscuntur, eos tamen, eo vivente, procusos fuisse vereor assentiri, qvia in nullis ejusdem aut proximè seqventium sæculornm numis Regum prænomina aut cognomina multò minus, qvæ aspera censebantur, addere unqvam in more positum fuit. Hinc & *Polydorus Vergilius* lib. 7. pag. m. 176. repræhendit Anglicos Scriptores, *Canutum* hunc ex Emmâ natum, *ineptè Harde-Canutum* vocantes. Grandævi itaq; Principis *Canuti Magni* vultum & corporis formam M.S. historia Island.
„ Knytlinga Saga dicta, sic cap. 20 delineat: Hann var manna mest vexti
„ oc sterkr, at afli manna friduzter, nema nef hans var þunt oc eigilagt oc
„ nackvad biugt. hann var lioslitadr, fagrhar oc mick herdr. huerium man-
„ ni var hann betr eygdr. bedi fagreygdr oc snareygdr. i.e. *Magnâ corporis staturâ fuit roboréq; fortis, omnium formosissimus, præter qvòd nasum haberet tenuem, eminentem & aqvilinum, facie vivida, capillo decoro & prolixo, oculos elegantissimos habuit, claros nempe & acres.* Eodem modo qvoq; in numis proximè seqventibus qvasi ad vivum conspicitur sculptus & procusus, præsertim no. 6, 7 & 15, qvi suum ideo magis commendant artificem. Præterea ob rerum gestarum magnitudinem adeptus est Magni nomen, & *Magnus* certè *Grandævus* ille *Canutus* fuit Rex, qvi sex florentissimorum Regnorum Daniæ, Norvagiæ, Sveciæ, Angliæ, Slavorum & Semborum gloriosus possessor effectus eximio sui fulgore etiam Romanum illustravit imperium: Generum qvippe *Henricum Nigrum* ejus nominis Imperatorem III. Italica consternatione perculsum, pristinæ fortunæ, pressa rebellium conspiratione anno 1036 restituit, Româ qvinqvennium antea reversus & ab ejusdem *Henrici* Patre Imperatore *Conrado Saliqvo* multis muneribus honoratus rebusq; singulari artificio elaboratis, ut palliis & vestibus maximi pretii donatus, id qvod patet ex epistola ad Ælnothum Metropolitanum & Alphricum Eboracensem Episcopum ab ipso Rege scripta & *Pontani Rer. Dan. historiæ lib. V.* pag. 158. inserta. Palliatum itaq; incessisse Regem *Canutum* exinde qvoq; colligimus, cujus testis etiam est laudatus *Encomiastes Emmæ*, ejusdem Regis Reginæ: *Tandem*, inqvit, *à suis ei imminenti sua porrigebatur oblatio non mediocris, nec qvæ aliqvo clauderetur in Marsupio, sed ingens allata est palleoli extento in gremio, qvam ipse Rex suis manibus altari imposuit, largitor hilaris.* Et more Imperatorum

sui

ſui temporis palliolatim ſe amictum præſumimus amaſſe, qvemadmodum *Eginardus* pag. 102 deſcribit *Carolum Magnum* ſeculo 8 imperantem *in feſtivitatibus veſte auro texta & fibulâ aureâ ſagum aſtringente*, & ſæculo nono *Annales Fuldenſes* anno 876 memorant, Carolum Calvum *de Italia in Galliam redeuntem novos & inſolitos habitus aſſumpſiſſe, Omnem enim conſvetudinem Regum Francorum contemnens, Græcas Glorias optimas arbitrabatur.* Noſtratibus ſæculo decimo & undecimo tale corporis tegumentum *Pellzskickia* vocatum eſt, qvod interpres hiſtoriæ M. S. *Hallfrodi Vandrædaſcaldi* nobis explicuit trabeam ſeu pallium è panno pretioſo *Antiq. Dan. Th. Bartholin.* lib. 2. cap. 10. qvod cymeliis, ibidem *Grippir* dictis, annumeratur. Pallium ergò, ut videtur in numis bene purpureum, ſegmentis rectis ei adtextis & aureis clavis, ſive σημείοις, in limbo acu pictis, ex utroq; humero eleganter fibulatum Canutus geſtavit, tunicam indutus plicatam & paragaudiam h. e. loris aureis in circuitum prætextam & ad guttur usq; ornatam: Rectas qvippe purpureas antiqvi dixêre veſtes, qvæ ſegmenta purpurea recta haberent, uti ex pallio hoc regio in numis noſtris patet. *Feſtus* rectas vult, qvòd in altitudinem & à ſtantibus texuntur, vetus enim fuit texturæ ratio ſurſum verſum texere, præter Ægyptios, qvi ex diametro oppoſitam texturæ formam ſequebantur ſedentes, à qvibus hodie nobis texendi modus per Græcos & Romanos &c. manet. Sæculi igitur luxu creſcente, prorſus nulli dubitamus, qvin Rex hic, qvi relatu *Svenonis Agonis hiſt. compend. Reg. Dan. pag. 86 & 140. ab ultima Thyle usq; ad Græcorum fermè imperium, virtute multiplici, circumjacentia regna ſuo aggregavit imperio*, amictu partim imitatus fuerit ævi ſui Imperatores, qvem & Pontanus noſter, vendicato ſibi tanto Dominio, Imperatorem exſtitiſſe memorat. Patrios tamen mores juxta non adeo oblitus eſt, qvin ſuos ſibi qvoq; reſervaverit *Faldones* i. e. veſtes plicatas, qvas promiſcuè laneas *Helmoldus Chron. Slavor. pag. 2.* circa annum 1140 abolitas conqveritur. Caſſide itidem acuminata, ſingulari artificio, præ primis in primoribus numis elaborata & gemmis diſtinctâ Rex ille conſpicitur munitus. Qvemadmodum *Luithprandus* lib. 2. c. 7. diadema Imperatoris Conradi *gemmis pretioſiſſimis non ſolùm ornatum ſed etiam gravatum* deſcribit. Idem qvoq; tegmen capitis in numis videtur pyramidale, Orientalium Principum pileis haud diſſimile. *Andronicum* qvippe Orientis Imperatorem obſervat *Nicet. Choniates* p. m. 276. anno 1182. geſtaſſe pileum ad inſtar pyramidis deſinentem. Et qvid mirum, Orientis Imperatores ſic imitatos eſſe Præpotentem & Magnum illum Regem *Canutum*, qvi regna Græcis ferè contermina poſſedit, totq; ab hiſtoriographis Anglicanis memoratur forti manu conqviſiviſſe regna, qvot in ſeptimana numerantur dies? Cùm & magnificum & pyramidale hoc capitis tegmen præfatus *Nicetus Choniates in Alex. Max.* confiteatur, Græcos à Barbaris ſive exteris mutuum habuiſſe, denominando id πῖλον βαρβαρικὸν, qvod ab *Acropolite* c. 11. eminenter vocatur πυραμὶς, nec ante Comnenorum ſobolem, qvæ anno 1059 in Oriente imperare cœpit, ejusmodi tegumenti capitis mentionem *Nicetus* injicit, in uſu ibi fuiſſe. Regium ergò rectiùs in numis hiſce cenſetur Anglo-Saxonum capitis tegumentum, qvod illis antiqvitus dictum eſt **Kynehelme** i. e. *Caſſis Regia*, qvippe vix alia Reges ſeptentrionales ante & aliqvandiu poſt acceptam Chriſtianam Religionem uſurpaſſe in capite Majeſtatis inſignia, ex hiſtoriis patriis ſatis diſpaleſcit, ubi eximia illa

capi-

capitis tegmina sæpius occurrunt, Gylta Hialm & Hialm allfrydan/i.e. *cassis aurata & valdè venusta*, qvam & Reges Norvagiæ Hagæum Athelstanum & S. Olaum Canuti hujus σύγχρονον portasse *Sturlesonius Chron. Norvag. p. m. 84. & 301.* enarrat, qvi pag. 487. nec ante annum 1049. in Dania & annum 1164. in Norvagia coronatos Reges memorat. In Anglia itaq; post Reges etiam coronatos ex appellatione Anglo-Saxonica coronam seu diadema Regium nomen antiqvum Cynehelme obtinuisse, nobis est persvasissimum: Nam etiamsi Regem *Guilhielmum* Conqvæstorem anno 1067. aliosq; ante eum Angliæ Reges coronatos legimus, attamen de *Guilhielmo in Chron. MS. Anglo-Saxon.* qvæ in Bibliotheca Bodlejana Oxoniæ exstant, narratur: *Thriva he bær his Cynhelme ælc geare sva oft he ves on Englalond, on Eastron he hine bær on Winceastre, on Pentecosten on Westmunstre, on Midvintre on Glauceastre.* h. e. Ter „ qvolibet anno, qvoties in Anglia erat, gestavit suam cassidem Regiam, „ in festo Pascatos portavit eam Wincestriæ, in festo Pentecostes Westmona- „ sterii, adulta verò hyeme Gleaucestriæ. Coronatum qvoq; fuisse *Canutum Magnum* 1017. ex historiis Anglicis constat; At cùm ex annalibus iisdem illucescat, potentissimum hunc Regem, post expertam in littore Suthamptoniæ maris inobœdientiam, nunqvam postea sustinuisse auream gestare coronam, sed eam capiti imaginis Christi crucifixi in fronte sum̃i altaris in ecclesia cathedrali Wintoniæ imposuisse, id qvod Chronographi anno 1028. seu 1029 factum esse supputant, haud incredibile est, eum, prout in numis apparet, postea voluisse obtinere antiqvum capitis tegumentum regium *Kynhelme*, qvod pro temporis luxu vario ex se genuit varia capitis tegmina illustria, (qvemadmodum in numis seqventibus videre est,) qvæ vel promiscuè nomen *Kynhelme* sortita fuere. Nec minus vero consentaneum, *Canutum Grandævum*, gentilitatis nomen *Cnut* perpetuò retinentem, qvi aliàs *Lambricht baptizatus* erat, (qvemadmodum Scholiastes antiqvus *historiæ Eccles. Ad. Bremensis edit. Andr. Velléio lib. 2. cap. 36* observat) mores patrios adamasse, nec sibi comam vel barbam tonderi, potentiorem jam factum, permisisse mediis regni annis, cùm & *Svenonem* singulariter barbatum habuerit patrem exinde Tvive-skæg h. e. admorsæ seu furcatæ barbæ, denominatum. Præterea capitis & comæ inprimis cultui septentrionales Principes & Primores maximè intentos fuisse historiæ & poëmata patria ubiq; dilaudant. Tritum est illud in septentrione nostro de *Haraldo* Rege Norvagiæ cognomine Haarfager, qvod à capillis pulcerrimis ipsi adhæsit, narrantq; historiam *Chron. Norvag.* in ejus vita, qvomodo cognomine illo donatus sit, nimirum eum capillos diu nexos ac implicatos sub tegmine capitis tenuisse, dum hostibus debellandis intentus fuerat, illis tandem victis, crines solvisse, lavari curasse & explicasse, tuncq; pulcerrimos & nitidos omnibus apparuisse: Heroes enim nostrates ad prælium qvondam capillis suis comptissimis exeuntes varia generis tegmina capitis induebant, ne pulvere vel pluviis circa humeros fluitantes corrumperentur nec impedimento essent. Ita Rex *Canutus*, Heros bellicosissimus, in numis hisce capillos sub galea Regia qvoq; in nodum rotundum summa cura ad cervicem religatos voluit, ut ab injuria aëris tutos & tectos servaret in theca & more patrio festis deinde diebus elegantiores exporrigerentur, qvemadmodum ex more hodierno comas addititias thecis inserimus, ut ad cervices dependeant, & fastum aliqvem præbeant singularem. Neq; enim diffusos capillos

per scapulas Germani principiô sinebant, sed plerumq; vinctos & renodes habebant, qvòd itidem hæc coma in bellis aptior hostibus terrorem aliqvem incuteret, seq; ipsos sine impedimento melius constitutos viderent. Unde *Seneca Ep. ult. Qvid capillum ingenti diligentiâ colis? cùm illum vel effuderis more Parthorum vel Germanorum more vinxeris.* Svevos, Germanorum soboles, *Tacit. in Germ. cap. 38.* sæpe in ipso solo vertice religare capillum & nodo constringere, Principes & ornatiorem habere, meminit. Nodus igitur primus in vertice erat, qvamdiu veteres nudo capite in prælia descendebant. Suidas, vel is, qvem compilavit, vocat πλεξίδιον i. e. capillū in nodum coäctum, vel implexum comæ. Postqvam verò galeis uti didicerunt, aliisq; tegminibus, nodus capillorum ad cervices erat. Eodem qvoq; modo fortissimus Rex *Canutus*, qvi bellicis titulis tam latè inclaruit, & in *Knytlingorum historia* M. S. cap. 20. describitur, nutrivisse capillos decoros & prolixos, comâ ad cervicem renodi incedere amavit. Imberbis verò Rex hic in numis ubiq; conspicitur procusus, non qvòd adeo juvenis toto dominatus tempore exstiterit, cùm per 20 annos vel ut *historia Knytlingorum* M. S. supputat, 24 annos) in Anglia rerum summa potitus fuerit, nec qvod imbarbescentem, penitus raso mento & absq; barbitio, eum incedere voluisse, credamus, cùm *J. Spelmannus* qvoq; l. c. Tab. V. & senem & juvenem *Canutum* plenè barbatos in numis producat, sed ex genio sculptorum & Monetariorum hoc factum putemus, qvos imberbes esse optarunt. Qvemadmodum in numis Romanis, præsertim *Hadriani* observabis, qvi primus inter Imperatores barbam alere cœpit, nec Tribunos aut comites alios, nisi barbatos, voluit, vix tamen in numismatis ejus eum barbatum conspicies, qvòd Monetarii & sculptores illud indecorum & contra morem Augustéi ævi esse judicaverint: Et idem mos aliqvot post secula adeo invaluisse videtur, ut pictores & sculptores credere exinde juberent Imperatores & Reges, esse rusticum, horridum & bambarum minusq; Majestatis in vultu ipsorum apparere, si cum barba pingerentur aut sculperentur, artifices enim hi nil in arte sua decorum judicaverunt, nec etiamnum de se prædicabunt, nisi qvòd ex prisco Romano effictum. Qvo etiam factum esse creditur, qvòd Rex nostras non tantùm imberbis, sed etiam tandem aliqvando raso capillitio in publicùm prodierit, prout in numis seqventibus perspicuè satis videbis. Tandem in numis his ad Regii vultus dextram sese exerit splendidum illud gestamen, sceptrum liligerum, id qvod nos nec dum certiores facit, seculo hoc dextrâ tantùm gestatum fuisse regium hoc decus, qvod læva qvoq; antiqvitus occupatum sic refert *Silius Italicus de Syphace Aphricano cap. 16.*

—— regniq; insigne vetusti
Gestat lævâ decus ———

Cùm etiam in numis utriusq; *Cnuthonis*, qvos alibi inspicere nobis contigit, Regum eorundem læva, brachio ibi exerto, armata aspiciatur sceptro, qvod in nostris ubi vultus Regum pectore tenus apparet, dextrorsùm eminens descripsimus, nisi maluerimus id incuria sculptorum esse factum, adeo ut qvicqvid dextrorsùm typis insculpserint, id sinistrorsùm procusum conspiciatur, & vice versa. Promiscuè interim utraq; manu versata fuisse hæc gestamina regia animadvertimus. Qva verò ex materia sceptra *Canuti* constabant, dictu difficile videtur. Sceptrum illud, qvo *Carolus Magnus* seculo 8. usus esse fertur, conflatum ex argento leviter inaurato asserit *Wagenseilius de off. cap.* 10. v. 3., at

at *Marq. Freherus* φιλοπονημ. *de statura Carol. Magn. p. 631.* enarrat, *Carolum* hunc festis diebus solenniter gestasse sceptrum aureum. Nihil itaq; obstare videtur, qvo minus qvoq; statuamus, Trionum Monarcham *Canutum Magnum*, tot post secula, luxu mundi inprimis increscente, gestamen de rutilante metallo manu sua versasse, an verò idem seculi prædicti σκηπτέχων Regum sceptra, qvæ relatu *Freheri* prælonga & staturæ gestantium ferè paria plerumq; erant, longitudine sua æqvaverit, dijudicatu difficilius. Sceptra enim illa longa cum Aqvila apud Romanos, cum lilio apud Constantinopolitanos & Francos aliosq; rarissimè visuntur Et constat ex numis seqventium seculorum Regia hæc gestamina devenisse breviora, & rara qvoq; censeri numismata Francorum Regum, *Caroli Pulchri* & *Philippi Valesii*, Gallis *Royals* vocata, in qvibus sub initio seculi 14 liligero & prælongo sceptro, staturæ ipsorum haud impari, Reges hi procusi conspiciuntur, qvemadmodum *M. le Blanc des Monnoyes de France pag. 205. & 206.* numos eosdem aureos affert. Deniq; ad significandas res varias, animis imperantium, dum ante oculos perpetuò versabantur hæc illustria gestamina, eò validius imprimendas, variè exornata fuêre sceptra: Primum, qvod in numis his apparet, est liligerum, eodem modo qvo *Stephanus Baluzius* in *Tab. & nota. ad capit. Reg. Franc.. tom. II.* annotat, Reges Francorum hoc illustre virtutis pignus in lilii formam desinens manu versasse. Româ, creditur, artificem hoc ornamenti genus in Galliam adduxisse, qvippe lilium seu flos fermè à primordiis imperii Romani in numismatis singulare spei reperitur esse hieroglyphicum. Spei typus illic manu lilium tenebat, illic & flos aut lilium super qvadrigas *Titi* triumfantis collocabatur, ad denotandam Reip. spem in armis *Titi Vespasiani* victricibus positam fuisse, & exinde qvoq; manus Francorum Regis, ad instar typi publicæ spei, liliis repletas in numis seculi 12 & 13 æri incisis *M. le Blanc pag. 159. 168, 180.* nobis offert. Angli itaq; ex eodem more Regum sceptra voluerunt adornata, nec illi soli, sed & Germani tandem Imperatorum sceptris in apice lilii apposuerunt figuram; nam qvamvis Dnus. *Wagenseilius* l. c. *Caroli Magni* sceptrum, prout dicit, *paupertinum, incomptumq; & cui solum argentum leviter inauratum est, cujus summitas glandem qverneam foliis cinctam repræsentat*, graphicè admodum describat, sponte tamen confitetur ex libro rarissimo *Historiæ Constantiensis*, Augustum illud imperii decus tandem liliatum exstitisse, imò & lilii voce κατ' ἐξοχὴν tempore Imperatoris Sigismundi nuncupatum. Alterum qvod in numismatibus Regis *Canuti Grandævi* eminet gestamen & globulis tribus præmunitum conspicitur, diversum certe est à priori, qvamvis eadem videatur versari manu, qvâ prius & *Bromptonus* æqve ac *Walsinghamus* tradant, antiqvos Anglorum Reges lævâ tantùm gestasse virgam justitiæ, in coronatione *Richardi I.* ab illis primùm observatam.

Pictoribus enim qvemadmodum & Sculptoribus qvidlibet audendi æqvam hîc fuisse potestatem, credimus, qvo factum est, qvòd Regis dextra modò sceptro, modò baculo hoc, exornata conspiciatur, ideoq; nec dubitandum, qvin prisco more, qvo magni illi Principes mundi sunt Reges creati, Rex nostras fuerit consecratus. Laudatus *Baluzius Tom. II. pag. 1267.* Carolum Calvum seculo nono imperantem in sede Regis exhibet, lævâ simplicem tenentem baculum, qvi superius in globulum, inferius verò in acumen terminatur, & Lotharius in solio ibidem visitur, sed dextrâ baculo longo innixâ,

ejusdem pene formæ cum illo *Caroli Calvi.* Hinc & ſplendidum illud Regum inſigne utraq; manu portatum eſſe obſervamus, in qvem verò finem, ſatis ſolidè nobis detexit *Menardus in ordine ad coronandum Regem* edito, ubi ad baculum Regi Francorum dandum hæc inaugurationis adhibita ſunt verba: *Accipe baculum ſacri Regiminis ſignum* & in codice M S. Senonenſis eccleſiæ, referente *du Fresne*, ſic jacent verba: *Sub hoc baculo commendamus tibi gubernandum Regnum Francorum, ut populum juſtè regas & eccleſias ſanctorum bene diſponas.* Eodem more in numis hiſce illo *Canuti Magni* baculo ter in apice conglobato trini regiminis ſacri, præcipuè in Dania, Anglia & Norvagia, curam ſibi commendatam denotari, bona cum venia antiqvariorum cenſemus, qvi è Nervæ numis triplicem globum Africam, Aſiam & Europam ſignificare commemorant. v. *Gretſer de S. cruce. tom. I. l. 2. cap. 44.* & Becmann. *de notit. dig. pag.* 105. Huic accedit, qvòd ſæpe laudatus *J. Spelmanus* ad numos Saxonum baculum hunc Regium eſſe formaturæ pedi Archiepiſcopalis denotareq; geſtamen ſupremi Eccleſiæ Gubernatoris, utpote qvi non ab hominibus ſed à Chriſto crucifixo ſolùm autoritatem ſuam acceperit. Fuit enim *Canutus* ille grandævus Rex magnus, & fortitudine & ſanctitate inſtructiſſimus, cui curæ & cordi fuit non minus religionem qvàm regna proferre. Templa, cœnobia is in Dania, Anglia & alibi terrarum partim ipſe exſtrui curavit, partim ſumptibus verè Regiis locupletavit, cujus rei teſtis etiam in Gallia fuit Epiſcopus Carnotenſis, nomine Fulbertus, qvi in Ep. 97. fol. 92. ad hunc eccleſiæ Dei inſtauratorem ſic anno 1032 inter alia ſcribit. *Qvando munus tuum nobis oblatum vidimus, ſagacitatem tuam ac religionem pariter admirati ſumus. Religionem verò, qvum te, qvem Paganorum Principem audieramus, non modò Chriſtianum, verùm etiam erga eccleſiæ Dei ſervos benignisſimum largitorem agnoſcimus.* Et Autor flor. hiſtoriar. Angl. ſub anno 1025. *Canutum Grandævum* his laudibus extollit: *Iſte Cnuto Rex vetus monaſterium Wintonienſis civitatis tanta munificentiâ decoravit, ut aurum & argentum ſplendorq; gemmarum animas intuentium terreret advenarum.* Qvibus addunt *annales Wintonienſes Angliæ Sacræ inſerti: & dedit Eccleſiæ Wintonienſi candelabrum argenteum cum VI. brachiis, & II. ſigna.* Romam anno 1030. ſeu 1031. per Flandriam & Gallias iter pedibus faciens omnes in via malas exactiones, qvæ thelonia transverſa vocantur, datâ pecuniâ ſuâ diminui fecit, & hoſpitium ibidem inſtituit, qvo omnes Danicâ lingvâ loqventes noctu exciperentur, *vide Hiſt. Island. M. S. de ſobole Canutina* **Knytlinge-Saga** *dictam cap. 17.*

Ex inſcriptionibus CNVT REX AN, ANG. vel ANGL. qvæ in numis his ſtant, evidenter apparet, qvod omnes in Angliâ ſint cuſi, cum tantùm CNVT REX ANGLORUM præferant, qvamvis & Daniæ & Norvagiæ aliorumq; populorum ille Rex fuerit. Qvæ nos admonere, imò perſvadere volunt, nondum eo tempore nec in Dania, multò minus in Norvagia, cœterisq; ejus regionibus numos proprios hæc regna habuiſſe cuſos, & ſi qvos Dania habuerit, certè perpaucos, qvia ex rerum geſtarum monumentis ſatis clarè conſtat, qvòd longo tempore, in hac aliisq; regionibus numis Anglicis ſubditi ſint uſi, etiam poſtqvam proprios numos procudere cœperunt: *Statuta* enim *convivii corporis Chriſti in nomarchia auſtrali Laalandiæ,* qvæ ſub anno 1388. in membrana conſcripta adhuc in archivis ibi aſſervantur, etiam tradunt, groſſos

(Angli

(Angli vocant *Groats*, teste *Hardingo, Edvardi IV.* tempore primùm cusos) pro emendis solutos fuisse, item solidos Sterlingorum. Aliàs etiam inter tot numos, qvi producti conspiciuntur, aliqvi apparerent ex moneta istarum regionum, qvas *Canutus II* sub imperio suo tenuit, qvos tamen hactenus neq; in his neq; in aliis, qvi producti sunt, reperire licuit, sed omnes, qvos videre contigit, plures certè vidimus, Anglorum Regem commonstrant, nec in aversa numorum parte Virorum Monetalium eorumq; ædium loca & nomina, nisi Anglicana reperiuntur: Credere ergo persvademur in Anglia sedem veluti monetæ, Rege hoc imperante, fuisse, negare autem non adeò contendam, tempore ipsius Regis ab eo Monetarios in Dania proprios constitutos, qvi monetam Danicam percusserint, ex Anglia illuc delatos & Roëskildiæ non minus atq; Londini Scanorum primos, de qvorum officinis & numismatis *Saxo Gram. hist. Dan. libr. 12. pag. m. 216.* ferè sub anno 1080 tempore *Canuti Sancti* seu *IIII.* & *libr. 14. pag. m. 281.* circa annum 1157. regnante *Valdemaro I.* haud obscura produxit testimonia: Et privilegium M.S. monasterio *B. Mariæ* Virginis de Esrom, ordinis Cistertiensis, à *Valdemaro* eodem de villa Steinholt datum, luculenter admodum mentionem injicit *Stubæ* (i. e. hypocausti) *Gerhardi Monetarii*, in qvo Roëskildiæ id concessum fuit.

Sed manum jam de tabula hac, vertimus hos numos & in aversa parte omnium deprehendimus crucem, veræ religionis Christianæ signum, Angli aversum horum numorum latus adhuc vocant *the Krosside* i. e. crucis latus. Sed qvia crux hæc numos in qvatuor partes æqvales dividit, non minus rectè ii censere videnter, qvi statuunt crucem hanc simul esse signum justæ divisionis numi. Iisdem sic assentitur Hovedenus: *Ante sua tempora* (putat Henrici I.) *cum obolum vel qvadrantem vellent, denarium in binas vel qvatuor partes diruperunt.* Nam Henricus ejus Nominis in Anglia primus Rex, primus qvoq; imperavit, obolos & qvadrantes fieri rotundos.

Aversas horum numorum facies si penitius inspexerimus, in primi numi adversâ exstare legimus: † ASVA. MO. LINCOLN. h. e. *Asva MOnetarius Lincolni*ensis, Lincolne qvippe urbs una est ex 28. nobilissimis, qvibus regio Britannica, prout *Girardus Cornubiensis de gestis Britonum* refert *lib. 1. c. 8.* qvondam fuit insignita, qvæ prisco sermone vocata *Caer Ludecote* i. e. urbs Lincolnia, qvemadmodum in numi seqventis aversa urbs Lunde, qvæ *Tacito lib. XIV. Annal. c. 33. Londinum* est & *copia negotiatorum maximè celebre*, vetustâ Britonum gentilium lingvâ *Caerleud.* h. e. urbs Londinum eidem Girardo in *historia majori* Winton. *Th. Rudborne* lib. I. c. 2. dictum est. Apud historicos verò Anglicanos seculis seqventibus *Lundoniæ* urbs hæc appellata est. Nulli dubitamus, qvin merè Danicum & Celticum sit nomen: Danis enim Lund significat *nemus*, & Angli nostrates nemora præprimis antiqvitùs eligebant, in qvibus domicilia figerent, qvod etiam ante Anglorum adventum veteres Britones observarunt, ut in locis nemorosis & sylvestribus se munirent contra hostium insultus, sicut ex *J. Cæsare*, qvi primus Romanorum Britanniam ingressus est, *lib. V. pag. m. 163.* constat. Qvibus sic assentitur *Strabo*: *Vrbium loco ipsis sunt nemora. Arboribus enim dejectis, ubi amplum circulum sepierunt, ipsi casas ibidem sibi ponunt.* Hinc Londinum, qvod nunc appellatur, autoribus numisq; his testibus, nil nisi nemus qvoddam initio fuisse patet, &

LVND propterea dictum, & ON LVNDE in nemore καθ' ἐξοχὴν significare manifestum esse, puto, adeò ut rectiùs LVNDEN scribi deberet, qvàm LONDON aut *Londinum*, ad qvam pronunciationem tempora, qvæ *Canutum* Magnum præcesserunt & diu secuta sunt, indigenas deduxerunt. Dani enim qvoq; & Germani non aliter hodienum pronunciant, qvàm **Lunden** & **Lund**, qvomodo & **Lund i Skaane** i. e. Lundinum Scanorum, suum adeptum esse nomen, credimus.

In Secundi adversa videmus:

✝ LEOFVIG ON LVNDE. i. e. LEOFVIC*us in Lunden.*

In tertii parte postica:

✝ RICHULF ON NORDF. h. e. RICHULF*us in* NORDF*olck.*

In qvarti numi postico:

✝ HILDOLF. MO. E. O. ER. h. e. HILDOLF*us Monetarius*, *Eorl On* ER*efort. Comes de Herefort erit.*

In qvinti latere averso lege

✝ VITHRIN. M. E. OF. RY. i. e. WITHRIN*us Monetarius*, *Eorl*, fortè OF RY*chvin. Erit Comes Richvinensis.*

Reges enim Septentrionis nostri suos habuère Comites, qvos secum ut fiduciarios sub honoris titulo **Jarler** in Angliam adduxerunt & ibi constituerunt, qvorum præclara mentio fit in historiis patriis, præsertim Norvagicis. Titulum eundem postea **Eorl**, jam *Earl*, hinc Anglos sibi à Danis reservasse, *Henricus Spelmannus* confitetur in Glossario suo pag. m. 242. Hos comites aut Duces provinciarum constitutos etiam curam monetæ sub nomine Regis gessisse ex horum numorum aversa parte satis perspicimus. Eodem modo & Comites sub imperio Remano publici negotii causâ exorti sunt: Primi ordinis Comites dicti fuerunt *Sacrarum Largitionum*, qvi, referente ex Cassiodoro *Henrico Spelmanno pag. m. 175. thesauros, vectigalia imperii & cudendam monetam curabant.* Rem luculenter admodum illustrat antiqvissimum Imperatoris *Ludovici Boni* statutum, qvod Attigni anno 823. sancitum *M. Le Blanc* des Monnoyes de France pag. 105. laudat, ubi verba sic jacent: *Sicut in capitulis, qvæ de hac re illis Comitibus dedimus, in qvorum ministeriis Moneta percutitur, constitutum est.* Itaq; Monetarii titulus, qvi Comitibus in numis nostris apponitur, non monetæ cusoris officium denotat, sed Dominum monetæ, Galli dixerunt *Maistre de la Monnoye*, qvemadmodum relatu Lucæ Dachæri sæpe prædictus *le Blanc* pag. 79. *Gosninum* fratrem Præfecti arcis Tornacensis Monetarium vocat, qvia erat Dominus Monetæ Tornacensis. Nomina qvippe Comitum, qvi censores & curatores monetarii erant, adjiciebantur, ut caverent populo de bonitate, pondere & valore numi, jure verò numos cudendi Domino cujuscunq; loci reservato. *Regibus nostris*, inqvit *J. Spelmann. ad tab. II. de numis Saxonum in vita Ælfredi, plures erant ædes monetariæ sicut & nonnullis Magnatum, præcipuè Episcoporum in urbibus illustrioribus flandi & feriundi numos privilegium indultum erat.* Sunt, qvi exinde in ea persistunt sententia, per nomen viri in aversa numorum parte & seqventes literas M. O. E cum nomine loci denotari Monetarium cujusdam Episcopi, cui jus eo in loco indultum erat numos cudendi, & literâ E. omissâ, Regis vel Magnatis monetam seu Monetarium indigitari, qvi monetæ jus habebat. Sed

qvia

qvia ex præcedentibus ſatis ſuperq; illuceſcit, qvibus monetæ cura demandata & concredita erat & per qvos Dominium hoc Imperatores & Reges voluerunt exerceri, nulli dubitamus, qvin eodem modo in Anglia hoc regale fuerit exercitum, cùm vi antiqvi juris Regii Angliæ Reges cudendæ monetæ, materiam, formam, modum & pretium pro arbitrio variare *Bath. in Elench. mot. Angl. lib. 1. pag. 4.* narret. & *Bromtonus* inter alias hanc legem celeberrimi Regis Athelſtani, qvi in Anglia ab anno 922. ad gubernacula ſedit, afferat p. m. 843. *Placuit nobis, ut una moneta ſit in toto Regni imperio, ut nullus monetet extra portum.* Nec monetæ cuſoris eſt cavere de bonitate numiſmatis, qvod viris monetalibus incumbit, in qvem finem numos eorum nominibus inſignitos eſſe nobis perſvaſiſſimum eſt: Et ſi Epiſcopi numiſmata ſua de his literis agnoſci voluerint, qvidni & Reges, qvi jus monetæ eminentiori poſſidebant modo, qvod tamen nullibi, qvod ſciam, invenitur. Tales monetæ cuſtodes Reges Daniæ poſtea habuiſſe in Dania, *Matth. Pariſienſis p. m. 59,* nobis aperuit, ibi occurrit Anſcetillus Anglus Aurifaber, qvi vocatus ex Anglia ad Danorum Regem contendit, *ubi per ſeptennium moram continuans Regiis præerat operibus aurifabrilibus, Monetæ cuſtos & ſummus Trapezita.* Qvantum ex annalibus illis colligi poteſt, Nicolai Regis Daniæ temporibus & ab anno 1123. circiter Anketillus in Dania monetam Regiam curavit, qvando *Gaufridus Abbas* monaſterii *S. Albini* fuit. Is præfuit monaſterio dicto ab anno 1119 ad annum usq; 1146. *Anketillus* autem ex Dania reverſus in hoc monaſterio monachus feretrum *Albani* arte ſua mirificè illic exornavit, qvod ibidem legi poteſt.

Tab. XXXIX.

No. 6. ✝. CNVT REX. *Regis vultus, caput mitrâ indutum, qvam ambit diadema, tæniis ad cervices hinc inde dependentibus, pallio qvoq; amictus Rex ſceptrum dextrâ tenet.*

✝. LANDFER MONET. *crux ſolita.*

N. 7. ✝. CNVT RECX. *Idem Regis vultus.*

✝. BLACANAN ON S. N. *Eadem crux.*

N. 8. ✝. CN——EX. *Rex itidem ſceptrigerus, mitratus & palliatus.*

✝. LIFV–ON OXFRD. *crux ſimplicior.*

N. 9. CNVT RECX A. *Regis idem vultus.*

✝. ELFVARD ON HEST. *crux eadem.*

Priores duo planè ejusdem ex antica parte videntur eſſe typi, in qvibus vultus mitram indutus eſt regiam, cui circumdatum eſt diadema pretioſum aurô & unionibns, ut apparet, venuſtè diſtinctum. *Paſchatius coronarum lib. 9. pag. 622.* hunc ornatum capitis regium inde vocitat diadema galeatum ſive galeam diademataм, utpote diademate qvodam redimitum. Majoribus noſtris ſeculô eodem aliqvod capitis ſeu frontis ornamentum ſeu ligamen vocatum eſt *Gullhlad* paſſimq; circa tempora eadem in hiſtoriis Islandicis hæc locutio obvia: *Hann hæfdi Gullhlad um enni.* i. e. Aurea

„ Aurea faſcia frontali evinctus erat. Ex auro qvippe redimiculum fuit acupictum, qvo Septentrionis Magnates capita olim cingebant, prout ſagaciſſimus Antiqvarius noſtras *A. Magnæus* id interpretatur. Tortilis fuit illa faſcia, qva & Perſarum Reges tiaram ſeu pileum cingebant, eodem modo, qvo & Alexander cauſiæ i. e pileo Macedonico cidarim ſeu faſciam, in eorum mores deflectens, circumponebat. Ejusdem formæ in numis noſtris eſt mitra ſeu galea, qvâ Orientis Imperatores caput ſuum exornari gaviſi ſunt, appellata σκιάδιον, i. e. umbellum, qvia umbraculo erat præmunita, ut faciem ab injuria aëris ſolisq; calore tutam ſervaret. Meminimus ex Annalibus Fuldenſ. anno 876. *Carolum Calvum* Francorum Imperatorem, *omnem conſvetudinem Regni Francorum contemnentem optimas arbitratum eſſe Græcas glorias*, qvas Canutum Magnum ſeculo ſuo etiam adamaſſe ex numulis noſtris ſatis diſpaleſcit, cùm & *Adamus Bremenſ. lib.3. cap.33.* in apricum proferat, Imperatorem Occidentis, *Henricum Nigrum*, *Canuti Magni* σύγχρονον & carum confœderatum *Græcos & habitu & moribus imitatum eſſe ſimiliaq; Regi Franciæ & aliis mandaſſe*, More Imperatoris, ut videtur, Lotharii, cujus capiti *Sugerus* in Lud. VI. memorat, *Frigium, ornamentum Imperiale, inſtar galeæ circulo aureo concinnatum, impoſitum fuiſſe*. Utrinſecus ex diademate mitraq; ad cervices dependent tæniæ ſuperbæ, qvemadmodum Occidentis Imperator *Mich. Palæologus* Conſtantinopoli, aliiq; Orientis magni Principes in numis diademati cum tœniis margaritiferis conſpiciuntur. Capitis regium videtur hoc ornamentum ad Gothorum qvodammodo accedere, *qvorum Reges aurium ligulas crinium ſubjacentibus flagellis operiebant*, prout Sidonius ſeculi 5ti Scriptor de Theodorico Gothorum Rege Ep. 2. lib. I. meminit, additq; *morem Gotthicæ gentis implexa crinium flagella in aures ac terga dimittere*. *Iſidorus* eadem flagella appellat *Granos* non à ſparſione, ſed à forma, qvâ in annulos & qvaſi granorum rotundorum faciem in fine flectebantur. Sic grandes uniones Græci vocarunt κόκκους, qvo nomine unionum ccpas etiam Latini appellarunt. Itaq; inſtar Gothorum *Canutus* ſua ex mitra geſtavit πλεξίδια & tænias, in terga refugas, qvæ *Gothi* ex crinibis ita in nodos coäctis conficiebant. De Athelſtano Rege ſcribit Malmesburienſis, illum fuiſſe ſtaturâ juſta, corpore deducto, capillo flavo filis aureis pulcrè intorto. Qvare & illud videmus ad curam ſingularem veterum ſpectaſſe, ut capillos flagellis involutos haberent, Euſtathius, κάλυκας explicans, qvod reperitur inter dona apud Homerum Iliad. Σ. etiam σύριγγας interpretatur, nam fiſtulis ac canalibus his cincinnos indebant, ne circumvolitarent; ſed terga molliter flagellarent, prout Martialis ait:

——— molesq; flagellant

Terga comæ ———

qvales κάλυκας ſeu σύριγγας obſervare qvoq; licet in numis *Gothorum*. In humeris Regis pallium paulo elegantius atq; in primoribus acqvieſcit, clavis purpureis, ſeu potius aureis utrinq; inoculatum. More itidem Græcanico, qvòd in humeris nexum ſedebat pallium & utrumq; humerum advelabat in rugas formatum. Strictam qvoq; tunicam indutus conſpicitur, qvæ Græcis dicitur ἡ στολιδωτὴ, à rugis, qvas Græci στολίδας vocant, ſic denominata: & dextrórſum ad icones regias in numis hiſce qvoq; effulgentia, illa regia geſtamina liliis in apice exornata apparent.

Verſis

Verſis deniq; his numis illico ſe offerunt nomina virorum, ut nobis perſvaſiſſimum eſt, monetalium. In ſexti ergo adverſâ legimus: LANDFER MONET. i. e. *MONETarius*, provincia ſeu urbe planè omiſsâ, cui in publico hoc negotio tanqvam Dominus monetæ loco Regis præfuit. In ſeptimi latere poſtico: BLACHAN. ON. SN. *fortè monetalis Vir ejus nominis erit in Sidney:* In averſa parte octavi exſtabit: LIFYINE ON OXFRD i. e. *LIFVINus in OXFORD ſeu Oxonia.* Ejusdem ferè nominis, Regis *Canuti II.* tempore, in Anglia fuit Abbas Elienſis, Leofvinus qvi vocabatur, conſecratus ab *Alwyno* Elmanenſi Epiſcopo, tam Rege *Cnutone*, qvàm toto conventu id petente. *Thom: Elienſis in hiſtoria Elienſi.* Tandem in noni poſtico leges: ELFYARD ON NEST., ſeu potius HEST. Diſcernere enim in tantum non licuit, qvam provinciam numus indicet. Puto tamen, *Haſtinga-ceſtre* vel caſtrum indicari, ut *Brumtonus* nos edocet, cujus locus de monetis in Anglia, valdè ſingularis, ideoq; huc pertinet. Nam ex Athelſtani legibus, qvi in Anglia ab anno 922 celeberrimus fuit & Rex potentiſſimus, earumq;, artic. 19 p. m. 843 hoc adducit: *Placuit nobis, ut una moneta ſit in toto regni imperio, & nullus monetet extra portum &c. In Cantuaria ſint octo Monetarii: Regis qvatuor: Epiſcopi tres: Abbatis unus: in Roceſtria tres: Regis duo: Epiſcopi unus: In Lewes duo: In HASTINGESTRA unus. In Sheaftsbyri duo. In Exonia duo: & in aliis burgis.* Huc apprimè etiam facit locus *Joh. Spelmanni* in *Ælfredi* Regis hiſtoriæ annotationibus ad Tab. 2. *Regibus noſtris*, ſcribit, *plures erant ædes monetariæ, ſicut & nonnullis Magnatum, præcipuè Epiſcoporum, in urbibus illuſtrioribus ſtanni, feriundi numos privilegium indultum erat.* Æthelſtanus Rex (qvi ſeculo X. vixit) *dicitur habuiſſe Londini ejusmodi domos octo: Wintoniæ ſex, Leviſiæ, HASTINGIS, Hamtoniæ, ſingulis duas: Ciceſtriæ, unam: Rhoffæ tres, binas Rex, unam Epiſcopus: Cantuariæ ſeptem, Rex qvatuor, Epiſcopus duas, Abbas unam.*

Tab. XXXIX.

No. 10. ✝. CNVT RECX. *Ejusdem Regis ſceptrigeri vultus cum tegmine capitis & pallio elegantiori.* In averſa numi:

✝ LEODMER ON RIIC. *Crux ſolita.*

Numus hic notam meretur ſingularem ob habitus Regii in antico numismatis latere ornatum elegantiorem. Rex enim hic incedere videtur tiarà ſeu potius pileo πτερυγωτῷ, in anteriorem faciem incurvo & faſciis tortilibus ſeu loris circumcincto: Ligamen hoc Heſychius vocat, ςρόφιον atq; ita interpretatus eſt vocem κίδαριν. Ad aurium ligulas ex tegmine hoc dependent ſegmina qvædam, genas regias exornantia, qvemadmodum ad cervicem crines apparent renodati & ſerico involuti: Ferè eodem qvoq; capitis ornamento *Carolum Calvum* in publicum prodiiſſe, Annales Fuldenſes circa annum 876 ſic memorant: *Capite involuto ſerico velamine ac diademate deſuper impoſito Dominicis & feſtis diebus ad eccleſiam procedere ſolitus fuit:* Acqvieſcit deinde per fibulæ elegantioris morſum in humeris Regis pallium abundantius clavis aureis ex utraq; parte inoculatum: Nam veſtium oræ non ſolùm apud veteres fimbriatæ erant, ſed etiam mediæ ab utraq; ſcilicet parte, ubi veſtes aperiuntur & fibulis ſtringuntur, hinc & Trebellius *mediam* dixit *fimbriam*. Variis itaq; figuris ſive ſignis, qvà rotundis, qvà qvadratis veterum luxuria luſit in veſti-

bus & fimbriis hisce auro purpurave illustrandis. Qvæ rotundæ erant, ut in pallio regio hîc videre est & in circulum flexæ, plumas vocitarunt Latini, & plumarios, qvi eas in modum plumarum rotundas in vestibus acu pingebant. Interdum etiam clavos appellarunt, clavorum enim capita rotunda, unde ἀσπιδίσκους Græci vocant: Dixerunt & oculos, & inoculatum exinde nostrum in numo dicitur pallium, & clavi hi tam aurei, qvam purpurei, vestibus inserebantur atq; insuebantur. Qvemadmodum de his *Salmasius* plura in apricum profert in *comment.* ad *Hist. August.* Pallia hæc & saga virilia in humeris, ut mulierum in pectore antiqvitùs retinebantur fibulis, qvas Græci exinde accuratiùs distingvere sciverunt, ut περόναι sint humerales & virorum, πόρπη autem mulierum & vestem ad pectus stringat. Ut plurimum ex gemma mulierum fibulæ conficiebantur, teste *Claudiano*,

—— *& fulva nodatur jaspide pectus.*

Nec minus qvoq; virorum fibulæ gemmeæ aut gemmis stellatæ fuêre, qvemadmodum & *Vopiscus* narrat de Carino Imperatore, eum fibulâ usum non esse nisi gemmâ, nam gemma plerumq; unica fibulæ vicem præstabat, qvomodo numus in tabula hac ordine qvartus satis clarè indigitat, etiam Regem *Canutum* Magnum in publicum prodiisse & in numo 25, 26 & 27 TAB. XL non minus hic apparebit: qvemadmodum & in numismate, qvod hic considerandum venit, fibula humeralis, qvæ pallium regium ad humerum nectit & constringit, instar floris effìcta videtur, qvæ in medio gemmâ est stellata.

In postico tandem observandum.

✝ LEODMER ON RIIC. *Qvod erit nomen viri monetalis LEODMERi in* RIICH*win*, seu RIIC*hwinensis.*

TAB. XXXIX.

No. 11. ✝. CNVT REX ANG. *Regis icon itidem sceptrigera, casside ovata & pallio singulari.*

In postico:

✝. LVEFYINE ON DOF. *Cum cruce solita.*

In numis antea allatis vidimus, qvantum ab illo subinde mutatus fuerit regius ille *Canuti II.* habitus, in qvo decor non minus servatur, qvi ex more venit, ut mos ex opinione est, qvæ pro gentium & personarum diversitate mutat, ac varios habitus inducit, qvemadmodum & Rex hic in numismate hocce aliter amictus in antico eminet atq; in primoribus numis. Casside apparet Rex ὠοειδῆ i. e. ovata planè, qvalis est ovi per medium secti minus rotunda pars, qvæ forma fertur olim fuisse pilei Castoris & Pollucis, qvos Romani *pileatos fratres* vocitarunt. Laconibus iidem pilei ovati in præliis qvoq; in usu fuêre, qvi Apulejo *ovatæ cassides* dicuntur. Sub galea hac capilli aliqvantum passi nullisq; vinculis intexti inter segmenta qvædam ad cervices prominent. Numus itaq; rarò obvius, septentrionalibus qvippe nostris modus religandi capillos ab antiqvo fuit constantissimus, utpote ne illis, qvi bellis semper intenti erant, capilli, qvos studio summo nutriebant, impedimento essent, qvodq; hæc coma connodata aptior hostibus terrorem aliqvem incuteret. Rarò ergo solvere & circa humeros fluere sinebant, nisi cum festa

solemnia

solemnia & splendida adessent. Tunc enim nodos & vincula capillorum elegantium solvi curabant, eosq; bene lotos & nitidos effectos, absq; nodis, flagellis aliisq; vinculis, qvibus illos religaverant, per humeros elegantissimâ pompâ liberè fluere sinebant, ut illis & illorum adspectu nil jucundius esset, aut elegantius. Hinc & *Haraldus* ille Rex Norvagiæ, ut antea meminimus, *Pulcricomi* cognomen sortitus legitur in Chronicis Norvagicis. Idem numisma habet *Joh. Spelmannus* in *Ælfredi* Regis historia *de numis Saxonum Tab. VI. No. 31.* at capillitio Regio elegantiùs, atq; in numo nostro procusum est, effictо. Pallium hic portat Rex paulò laxius, qvàm in numis cœteris, circa cervices admodum studiosè in rugas dispositum, fibulâq; in humeris congregatum & strictum.

Aversa numi pars cruce solita insignita est, qvam ambit nomen viri monetalis LVEFVINE ON DOFRre. i. e. LVEFVIN*us Dubriensis* vel *DOFRinensis*.

TAB. XXXIX.

No. 12. ✝. CNVT REX ANGLO. *Regis ejusdem coronati vultus, capillis sub coronâ ad cervicem usq; serico velamine involutis.*

✝. LVOFRIC ON LVNDE. i. e. *LVOFRICus Londini nempe vir monetalis. Inscriptio hæc ambit crucem elegantiorem.*

De facie Regis tenui atq; juniori, æqve ac in antecedentibus de vultu deductiori, senium numi agnosci subsentimus. Regiminis sui ab initio fulgido isto Majestatis insigni, qvo hic conspicitur eum redimitum fuisse, nulli dubitamus, qvem maximâ pompâ adeo juvenem coronatum atq; consecratum anno 1017. legimus, cùm & illa Regiæ consecrationis insignia Regibus Angliæ statim post acceptam Christianam religionem in usu fuerint. *Joh. Spelmannus* in vita *Ælfredi Magni l. 3. c. 158.* coronam hanc sic depingit: *Coronam dico non ejusdem formæ fortassis, qvæ hodie discriminis gratia dicitur Imperialis, formæ tamen augustioris atq; Imperio dignioris, qvam qvæ hactenus uspiam in his regnis usurpata fuisset. Etenim in arcuata cella ad peristylium Westmonasteriensis cœnobii, ubi vetera decora & insignia hujus Regni asservantur, in operculo pyxidis* (qvæ antiqvissimæ coronæ capsa est) *habetur inscriptum ad hunc modum:* Hæc est principalior corona, cum qva coronabantur Reges: Ælfredus, Edwardus &c. *Ipsa verò corona* (qvod hunc in finem observatu dignum) *operis fuit Archaici, diducta in flores, ocellatura gemmarum, pro seculi captu non adeò curiosa.* Ovum ovo nullum similius esse potest, atq; corona hæc anademati venusto Regis nostratis in numi anticâ hic procusi: Priscum qvippe ibi pellucet opus Archaicum in flores studiosè diductum, qvod Scriptores *Bysantini* κεμώνια vocitarunt (*Asser Gall. p. 252. & 253*) utpote liliis τριφύλλοις exornatum. Cynicò ferè more qvoq; potentissimus Rex hic palliò involutus videtur, partem ipsius fibulâ in humero dextro tantùm stricti sinistrorsum rejiciens.

Posticum numi LUOFRICI Monetarii Londinensis nomen illustrat.

No. 13. ✝. CNVT REX ANGLORV. *Regis itidem juvenis & coronati icuncula palliata.*

✝. COLGRIM. M. O. E. O, i.c. COLGRIM*us* MO*netarius* Eorl *ſive comes* Oxon*ienſis*, *prout ſiglæ denotare videntur*, *qvæ ambiunt crucem.*

TAB. XXXIX.

No. 14. ✝. CNUT REX ANGLORV. *Ejusdem Regis vultus juvenis*, *eodem modo redimitus & amictus.*

✝. ARNCETEL. O. E. O. *Erit* ARNKETL*i* MO*netarii nomen*, Earl*i ſeu comitis itidem* Oxon*ienſis*, *circa crucem ſolitam.*

Matthæus Pariſienſis ejusdem ferè nominis *pag. m.* 59. habet Monetarium & monetæ cuſtodem, qvem *Anketillum* vocat, ad Danorum Regem ex Anglia circa annum 1123 evocatum. Sunt, qvi hos & proximè iis præcedentem inſeqventesq; numos, ex qvorum antico làtere gratioſus Regis vultus juvenis admodùm prominet, junioris ſeu H*arde-Canuti*, vel potius, uti hiſtoriæ Islandicæ eum nominant, *Haurdra* C*anuti*, à provincia, in qva educatus erat, monetis æqvè poſſe annumerari cenſerint, dubitant enim aſpero prænomine aut agnomine numos ipſius, eo vivente, aut aliorum Regum ſeu Principum unqvam ſic percuſſos fuiſſe, ſed ſimpliciter junioris æqve ac ſenioris Canuti numismata absqve agnomine procuſa eſſe autumant, ideoq; hic patris filiiq; numi eò difficilius diſcriminantur, præſertim in numismatis, qvæ juvenem qvidem utriusq; repræſentant faciem Regis, cùm cognomines & admodum juvenilis ætatis ad gubernacula in Anglia ſederint, Canutusq; junior Rex Angliæ admodum juvenis in fata conceſſerit, biennio, & qvot excedunt dies, regni Anglicani tantùm completo: calculis namq; exactioribus ſecundùm Annales Norvagicos poſitis, *Haurdra Canutum*, qvem juniorem qvoq;, reſpectu patris, hiſtoriæ noſtrates denominant, patre haud multùm provectioris ætatis imperii Anglicani clavum arripuiſſe, deprehendimus. Anno qvippe 1009 annales hi computant, patrem *Canuti* ſenioris *Svenonem furcatæ* ſeu *fiſſæ barbæ* mortuum eſſe, cui aſſentitur hiſtoria *Knytlingorum M. S. cap. VIII.* hoc addens: „ *Knutr. Konungr var þa a barns alldri:* h. e. Tunc temporis Rex Canutus, erat „ puerilis ætatis, ſeu decennis, & paulo poſt: *Konungr. ſat III. uetri Danmorku* „ *ſitan hann tok Konugdom*, Rex idem, poſtqvam gubernacula regni in Dania „ aſſumpſerat, triennium ibi remanſit à patris morte, priusqvam in Angliam trajecit, tredecim ergo annos natus imperium ex parte in Anglia auſpicatus eſt, qvem verò anno 1017 prius non totius regni Regem inauguratum eſſe annales Anglicani tradunt. Unde ſponte colligitur deleto Edmundo, octodecim annorum juvenem coronatum in numis hiſce procuſum fuiſſe, *Ethelredi* Regis uxore *Emma* in matrimonium poſtea ducta, ex qva ſuſcepit *Canutum* juniorem ſeu *Haurdra Canutum*, cui Regnum Anglicanum, mortuo Haraldo, vix viginti annos nato, anno ſcilicet ſalutis humanæ 1040 contigiſſe, annales noſtri ſubindicant. De C*anuto* enim *juniore* Regno Daniæ & *Magno Bono* Norvagiæ jam admotis ex *Snorronis Sturlæi* Hiſt. Norvag. conſtat, Reges eosdem anno 1036 pueritiam vix exceſſiſſe. K*onungarnir*, inquit Snorro, *voro badir bernskir oc ungir.* i. e. uterq; Regum puerilis ſeu rerum parum expertus „ & juvenis erat. Qvoniam itaq; ex præcedentibus ſatis liqvido ſeqvitur, Reges hoſce & cognomines & juvenili ætate ferè æqvales regno Anglicano præfectos in numis procuſos, eos vix cernere licet, niſi ſecundùm aliqvalem Canuti ſenioris faciei diſpoſitionem & ideam, qvam K*nytlingorum* hiſtoria nobis

bis antea cap. 20. exactè qvidem dedit, sculptores verò typorum partim hic rudi inciderunt Minervâ. Proinde togæ imperatoriæ involutus in numorum antico juvenis Rex coronatus hic apparet, & qvasi pugnam moliturus, sinistrorsum conjicit ricinium, per humeros collum versus persusum. Sed, qvî fit, qvòd raso capilitio diadematus hic procuditur Rex, cùm historia *Knytlingorum M. S. cap.* 20. maximè sic commendet ipsius cæsariem: *Hann uar fagr har oc mik herdr.* i. e. capillo decoro & prolixo erat. Bona ergo cum „ venia præsumimus dicere, aut sculptores voluisse eum more Romano rasum habere caput, qvemadmodum & in omnibus, qvos contigit ejusdem Regis videre, numis eum etiam adultioris ætatis, imberbem effinxerunt, aut Regem sacris Christianis ab initio Regni sui initiatum & adscriptum in mores fratrum seu clericorum, qvi tonso capillitiô incedere tenebantur, aliqvandiu deflectere adamasse. Qvibus Scholiastes hist. eccles. *Adami Bremensis lib.* 2. *cap.* 36. assentire videtur, dum utrumq; Regem & patrem & filium orationibus fratrum Bremensium commendatum libroq; fraternitatis Bremensis inscriptum narrat. Præterea extra omnis dubitationis aleam positum esse credimus, qvemadmodum in ipsius numis antiqvioribus videre est, eum comam postea aluisse longam, ut patrio more substringeret, & flagellis ad cervices coërceret eam, qvod diu in more Angli exinde positum habuêre, usq; ad *Wilhelmi* 2. Regis Angliæ tempora, cujus rei testis est *Wilhelmus Malmesburiensis. Sub ipso*, inquit, *fluxus crinium*, h. e. coma fusa, *inolevit* primùm in Anglia, cùm antea comâ renodi & flagillis coërcitâ plerumqve uti solerent.

TAB. XXXIX.

No. 15. ✝. CNVT REX ANGLOR. *Regis ejusdem coronata icuncula.*

✝. YVLEMER. E. O. O. D. *Erit fortè* VaLDEMaR*us, qvod nobis adhuc contractè est* Volmer. *Siglæ seqventes non adeo liqvidè, atq; hîc insculptæ sunt, apparent in archetypo circa crucem.*

No. 16. ✝. CNVT REX ANGLOR. *Regis vultus eodem ferè modo coronatus.*

✝. DVREERD. M. NOR. h. e. DUREERD*us forsan* Monetar*ius* NOR*folcensis seu* NOR*vicensis, crucem ambiens.*

Prioris numuli sculptor, qvemadmodum sexti, septimi, noni & duodecimi, ob artem suam eò magis hîc commendatur, qvòd faciem Regis *Canuti Magni* adeò exqvisitè expresserit nasumq; qvasi ad vivum formaverit eminentem, qvomodo & *Knytlingorum Saga M. S.* i. e. Cnutiadum historia, Regiam hanc faciem cap 20. suo depingit penicillo: *Nef hanns uar þunt.* i. e. „ nasum habebat tenuem, eminentem seu aqvilinum prout in numis No. 6. 7. 12 & 15. partimq; No. 8. 9. 17 & 18. aspicitur. Præterea notam meretur diversa in numis diadematis Regii seu coronæ liliaceæ forma, cœteris paulò elegantior, corona enim serico segmento seu capitis operimento imposita videtur, qvod redimiculo sub mentum in numo posteriori ad instar mitræ Phrygiæ religatur.

No. 17. ✝. CNVT REX ANGLORVM. *Regis icon singulariter coronata.*

✝. ELFR—MO. D. E. O. *Numus est fragilis, in qvo siglæ sunt valdè obscuræ*

ſcuræ. Erit. ELFRICI MO*netarii nomen,* Eorl *ſeu comitis* Oxonienſis*, circa crucem.*

TAB. XXXIX.

No.18. CNVT REX ANGLORV. *Regis coronati vultus.*

✝. LODVIG ON LVNDE *LVDoVICi Monetarii Lundenſis nomen, qvod crucem ambit.*

Tab. XL.

No.19. ✝. CNVT REX ANGLORV. *Regis coronati vultus.*

✝. ELRIC ON SEFTESBR. *Crux ſolita, quæ* ELRICi SEFTESB*u*R*ienſis* (jam Sceafsburienſis) *Monetarii nomen circum ſe habet.*

N.20. ✝. CNVT REX ANGLORVM. *Juvenis admodum hic apparet Regis coronati facies, ephebis qvaſi vix excesſiſſet.*

✝. YVLFRIC ON LVNDE ✝✝✝ WULFRIC*us Londini circa crucem.*

Notam moretur triplex illa poſt nomen monetarii crux in numi poſtico, in fauſtum omen addita, qvòd fortaſſe ſit primus numus Regis juvenis primò coronati.

No.21. ✝. CNVT REX ANGLORVM. *Regis coronati vultus.*

✝. SELVIN ON DEOTFO. SELVINI THEOTFO*rtenſis cenſetur viri monetalis nomen, circa crucem, cui aſſentitur Joh. Speelmannus in Ælfredi Magni vita.*

No.22. Idem Regis vultus titulusq; in antico numi latere.

In poſtico verò

✝. OVDGRIM MO E. O. F, i. e. OUTHGRIM*us* MO*netarius* Eorl *ſeu comes* OxF*ortenſis.*

Alium ex ſiglis non mihi datur extricare ſenſum, cùm ab oræ præfixa cruce lectio in numo ſit inſtituenda, qvamvis politioris doctrinæ vir non hanc, ſed aliam, atq; à cruce inceptam amaverit lectionem.

D. G. R. IMMO. E. OF. XOV. *qvam ſic explicare voluit* Dei GR*atia* IM MO E*arl* OF XON.

No.23. ✝. CNVT REX ANGLORVM. *Juvenis vultus Regis ejusdem.*

✝. ZVNEGOD. MO. LIN. h. e. SUNEGOD*us* MO*netarius* LIN*colnienſis.*

Vir hic, qvi monetalis Lincolniæ fuit, binominis eſſe videtur. Nomen prius adhuc in Freſia minori, Anguliæ noſtræ conterminâ, viget, Freſonibus iſtis Suneck appellatum, qvod noſtratibus planè dicitur Sune. Paſſim qvippe occurrunt apud *Saxonem Gram. lib. 14.* Viri magnæ virtutis atq; proſapiæ *Suno Ebbonis, Petrus Sunonis* & *Andreas Sunonis* &c., agnomine verò GOD bonum denotante virum. Huic nominis compoſitioni aſſentitur alibi hiſtoria patria, potentiſſimum Daniæ Regem *Frothonem III.* cognominans FREDEGOD, prout numus hic habet nomen ZVNEGOD. Et *Chronica Norv. pag.*

m. 202

m. 202. Torgod Skarde & *p. 248. Snoregod* Regis *Olai Sancti* ſeu *Craſſi* Purpuratum. Germani verò, converſis nominibus, adhuc ſuis Godefredi imponunt nomen.

Tab. XL.

No. 24. †. CNVT REX ANG: *Juvenis etiam Regis eſt vultus.*

†. BRVNTA.——LIN. Erit BRVNTA*n* *Monetarius* LIN*colnienſis.*

Numi fragilitas vetat, qvò minus exactè aſſeqvi poterimus averſæ inſcriptionem, nomen tamen fermè idem monetarii cujusdam legitur, in averſo latere numi, regnante *Haraldo Notho*, Regis *Canuti Magni* filio, procuſi. *Joh. Spelmannus* eundem habet numum in vita *Ælfredi Magni Tab. VI.* de numis Saxonum No. 9., ubi Monetarius in averſa BRVNSTAN vocatur. Satis celebre in Patria habuimus ſtemma nobile ULFSTANORUM, qvorum primas nomine ULFSTAN inſignitus fuit, qvem & Dano-Anglicanæ fuiſſe originis inde ſuſpicamur qvòd in Anglia circa annum 866. Veſt-Saxonum Regi *Ælfredo* ejusdem nominis fuerit de tractu ſeptentrionis fidus relator, qvi ULFSTAN *of Hætheby*, (jam Sleſvigâ) vocatur. *Vide Joh. Spelman. Append. VI. ad vit. Ælfredi Magni.* Nam qvemadmodum nobiles noſtrates, antiqvæ proſapiæ exſtincto maſculi generis ultimo, emortuæ ejusdem ſtirpis nomen gentilitium loco nominis proprii in gratam agnatæ familiæ memoriam ſuæ interdum impoſuerunt proli maſculæ, ità etiam à familiæ anteſignani nomine proprio, proſapiæ gentile nomen ſubinde cœpiſſe, ſubſentimus. Græcanico qvidem more nobiles noſtrates nomini ſuo patris nomen proprium diu poſtpoſuerunt, usq; dum uno eodemq; anteſignani nomine aut agnomine poſteri longa ſerie conſtanter ſalutari amaverint ob ingentia Primatis ſui merita. Plura de Nobilium Danorum nominibus & cognominibus ſagaciùs ſuppeditat celeberrimus *Wormius lib. 3. Monum. Dan. fol. 165* &c. Sicut & eventus varius ULFSTANO noſtrati majoribusq; noſtris ſtemmatis illuſtria indidit nomina, cognomina aut agnomina. Cujus rei teſtis pro eo tempore nobis erit *Saxo Gram. hiſt. Dan. libr. 7. fol. m. 73.* ubi Veſetus fortiſſimus ille Athleta & Dominus Scaniæ narratur *absq; vulneris inflictione fuſte qvaſſaviſſe buccam Regis Haraldi III, ut binis eam dentibus vacuefaceret. Qvorum jacturam poſtmodum inſperata molarium eruptione ſarciebat. Hic eventus HYLDETAN ei cognomen impoſuit, qvod eum qvidem ob eminentem dentium ordinem aſſecutum affirmant.* Qvomodo & Rex Daniæ H*araldus* ejusdem nominis VI. BLATAN*i*, i. e. nigridentis nomen eſt ſortitus: Qvæ enim nigra ſunt, veteribus *Blaa* dicuntur, ut *Blaamand*, Nigritæ, Mauri. *Black* Anglis adhuc niger eſt ex noſtro ſermone & *Tân* ſeu *Tand* nobis eſt dens.

No. 25. †. CNVT REX ANG. *Rex ſceptriger & palliatus cum casſide ovata.*

†. FARÐEIN. MT. O. EOF. *Erit* FARTHEIN*us* *Mone*T*arius* O*n* i. e. in EO*x*F*ort.*

No. 26. †. CNVT REX ANG. *Idem Regis vultus.*

†. CRINAN M—OE. O FR. h. e. CRINAN*us* MO*n*E*tarius* O*x*F*o*R*tenſis.*

No. 27. †. CNVT REX ANG. *Eadem Regis icon.*

†. ZVNOLF M—OE. OF. SUNOLF*us, eſt* MO*n*E*tarius* O*x*F*ortenſis.*

De-

Deductioris qvidem faciei in numis hisce apparet Rex, at macilento ore, naso mentoq; acutiori, qvàm in numo tabulæ proximè præcendentis num. II. ubi casside eodem modo ovata & qvodammodo fusâ comâ, hîc autem capite mentoq; raso incedit. Itaq; ex faciei habitu dispositioneq; tutò divinare licet, Regem adultioris ætatis & fermè decrepiti corporis fuisse in numis hisce procusum. Nam ultimis etiam Regni annis Româ redux vitæ morumq; talem inivit rationem, qvæ verè pœnitentem approbaret. Qvemadmodum & in epistola ipsius ad Ælnothum Metropolitanum anno 1030. perscripta & Pontani *rerum Danic: historiæ libro V.* inserta, supplex confitetur, *se Deo devovisse vitam suam à modo in omnibus reformare.* Qvippe & eum reliqvam ætatis partem morbo, aurugini haud absimili, afflictum trivisse, enarrat *Knytlingorum M. S.* historia, ideoq; mores suos in melius relaturus, piè & religiosè capiteq; hîc raso subditis præesse voluit, cujus Reginæq; ipsius Encomiastes eum his qvoq; extollit laudibus: *Amicus verò & familiaris factus est viris Ecclesiasticis, adeò ut Episcopis videretur Coëpiscopus pro exhibitione totius religionis, Monachis qvoq; non secularis, sed cœnobialis pro continentia humillimæ devotionis.* Tonsus ergò adulta ætate amicè in eorum mores qvoqve deflexus baculum seu gestamen regiũ sacri regiminis in numis hisce manu tenuit, qvi Rex tantæ magnitudinis fuit, ut ante eum (inqvit *Radulfus de Diceto*) nemo vixerit in Anglia talis. Mortuus est anno 1036. d. 12. Novembris, ætatis suæ 37, regni verò Daniæ, ut supputant annales nostri, 27, Angliæ 24 & Norvagiæ septimo.

Tab. XL.

No. 28. ✝. CNVT. *In numi qvasi rasa tabula nomen hoc Regium procusum.*

✝. YVLNOÐ M:. OE. OFRY. *Erit* VULNOTH*us* MO*n*E*tarius in* OxFoRD, sive ut alii legunt MO*netarius* Earl, OF RY*chin.*

Numus interregni hic censetur, qvem *Vulnothus Oxoniensis* seu *Richwinensis* monetæ custos in gratiam Regis *Cnuti* procudi curavit, cujus verò *Canuti*, senioris ne sit, an junioris, haud facile est dijudicatu, in bivio ergo numus hic cum cœteris ponendus est. Qvod verò interregni fuerit numus, inde conjicimus, qvòd Vir, qvi monetalis hic fuit, non ausus sit in numo addere titulum *Cnuti* Regium, qvem tunc temporis Regem Angliæ unanimo populi consensu vix declaratum fuisse, suspicamur. Ut deniq; etiam constet de *Canuti III.* seu junioris prænomine, prout apud historicos & in numis qvibusdam durum & asperum supponitur, ideoq; minus credibile, vel etiam meliori significatu, eo vivente, adhibitum fuisse, cùm nec Patris nec aliorum ejusdem seculi Principum agnomina aut prænomina vel gloriosa vel ignominiosa in numis vix unqvam fuerint addita, qvamvis in historiis sic cognominentur; suum itaq; certò *Canutum* hunc sortitum esse censemus prænomen à provincia qvadam, in qva vel natus erat, *qvem*, inqvit Sveno Aggonis Compend. hist. Reg. Dan. *cognomine Durum vulgò nominabant, non qvòd austerus vel crudelis exstiterit verùm inde, qvòd tale provinciæ nomen exstiterit, ex qva natalem duxit originem,* vel potius ab ea provincia, in qva enutritus, legitur enim in historia Norvag. *Sturlæi pag. m. 272.* Comiti *Ulfoni*, nomine Regis *Canuti* seniors tunc Daniæ Protectori, anno 1026. educatonis ergo in regno eodem traditus. Qvemadmodum enim Islandicum illud monumentum *M. S. Flateyabok,*


N.o 19.
N.o 20.
N.o 21.

N.o 22.
N.o 23.
N.o 24.

N.o 25.
N.o 26.
N.o 27.


N.o 28.
CNVT
N.o 29.
N.o 30.
N.o 31.

N.o 32.
N.o 33.
N.o 34.
N.o 35.
N.o 36.

N.o 37.
N.o 38.
N.o 39.
N.o 40.
N.o 41.

bok, i.e. Annales Flateyenſes. Regis *Sigurdi Angvioculi* filium vocarunt *Haurda Canutum*, qvi Nobili rerum Norvagicarum Hiſtoriographo *Torffæo* in hiſtoria ſua M.S. eſt **Harboe-Knut**, à Jutiæ provincia **Hardſyſſel** ſic nominatus, ità vel in eadem provincia *Cnutus III.* bellicoſiſſimi *Ulfonis* vel alius comitis cura creditur educatus & innutritus indeq; prænomen provinciale adeptum poſt *Cnutum Sigurdi Angvioculi* filium regeſſit: meminit enim Pontanus *rerum Dan. hiſtor. lib. V.* ibi locorum ex Lymico ſinu fuiſſe breviſſimum in Angliam tranſitum, eidem qvippe ſinui, etiam *Cnutus IV.* claſſem ſuam, Angliam recuperaturus, invehi curavit, hodie arenarum mole difficiliori & navigiis ideo minus pervio. Tandem *Verelius in not. ad Hervarar Sagam p. 185.* hoc prænominis *Cnutorum* addit ἔτυμον, in familia Danorum Regia ſoboli maſculæ, qvæ non erat nata in arce Regia, ſed extra eam in regni aliqva *Haurda, Horda, Harda* vel *Herredâ* i.e. provincia ſeu nomarchiâ, prænomen hoc appoſitum fuiſſe. Et qvicqvid demum ſit, durus adeo & aſper non fuit, Rex Daniæ aut Angliæ, qvi ob ſibi ereptum & jure hæreditatis relictum Angliæ regnum illatamq; ſibi & matri *Emmæ* injuriam fratris *Haraldi Nothi* corpus exhumatum, capite amputato, in profluentem Thameſin dejici juſtus vindex curavit; *Homo etenim*, inqvit, *Polydorus Vergilius*, *Angl. hiſt. lib. 8. p. 176. & 179. ſuapte naturâ mitis & liberalis erat, qvem Anglici ſcriptores ineptè Harde*Canutum *vocarunt.* Anno 1042, relatu *Bromtoni*, infra 9 dies poſt ſecundum in Anglia coronationis annum, in Dania verò regni ſeptimum vel nonum juvenis adhuc in convivio qvodam apud *Lambithe* juxta Londonias, cum ſtando biberet, VIII. Idus Junii feria tertia miſerabili caſu ad terram corruens & aliqvandiu mutus permanens animam exſpiravit.

REGIS CNUTI IV. ſeu SANCTI, Martyris Othinienſis.

Tab. XL.

No. 29. ✝. CNVT REX. *Vultus ejusdem Regis mitrati ſeu coronati, colobium induti & dextrâ gladium ſtrictum tenentis.*

✝. VLKIL IN OƆC vel OƉC. ULKIL*us erit in* OX, i.e. OX*onia*, *vel* OTHE h. e. OTHE*nſea*, *circa crucem in area numi parvam.*

Numus eſt itidem argenteus, at planè diverſus à cœteris, qvos licuit videre, numis, *Cnutonis* nomine inſcriptis, & cùm antecedentibus minoris ſit formaturæ & ponderis, ita qvoq; vilior eſt. Anno 1698. hic ſubmiſsè oblatus eſt Glorioſæ memoriæ Regi *Chriſtiano V.* à Purpurato ipſius Trollio & mihi comitum Regis extremo qvàm gratioſè in arce Roſenburgo traditus, ut à me explicatus in Gazophylacio Regio deinde aſſervaretur. Primo itaq; intuitu in numi facie deprehendi CNVT REX Regisq; iconem, qvam juxta cœteros *Canuti Magni* filiiq; numos ponens certè aliam vultus habitusq; Regii diſpoſitionem obſervavi. Itaq; nullius niſi *Cnutonis IV.* martyris Othinienſis numulus hic eſſe poterit, cùm *Ælnothus* monachus in vita ipſius ſubindicet, Regem hunc *Cnut* ſeu *Cnutonem* in conſecratione ipſius faſtisq; Sanctorum *Canutum*, ex illorum temporum more, fuiſſe tandem qvodammodo transnominatum, qvo nomine reliqvi ejusdem nominis Daniæ Reges tam in numis qvàm rerum geſtarum monumentis conſtanter poſthac inſigniti leguntur.

Cui accedit, qvòd hactenus in coronis *Cnuti Magni* & Filii cognominis ex lamina tantùm consurrexerint lilia coronam apertam indicantia, jam verò Rex diademate clauso, instar coronæ, mitrâ intus obductâ, videtur, qvam supernè in medio, tum in utraq; coronæ extremitate uniones occupant, qvarum series occipiti etiam hæret & mitram qvasi sustentat. Opulentus & operosus est ille Augustorum ornatus, solis Principibus absoluti dominii sepositus, qvi ad Anglorum nostratesq; Reges à Constantinopolitanis Imperatoribus haud dubie derivatus est, indeq; vocatus imperialis, qvod freqventer à Græcis Imperatoribus hæc anadema fuerit usurpatum. Ad instar tanti diadematis *Saxo Grammaticus lib. II. fol. m. 115.* enarrat, *Cnutonem* redimitum fuisse *coronâ, arte impensaq; operosissimè elaboratâ*, qvam in Fabricæ sacrarii Roëskildensis ornamentum dicavit. Eodem modo seqventes in numis cavis Daniæ Reges splendidè diademati conspiciuntur, qvi tanqvam summi Imperatores in regnis suis sunt habiti. Statuimus ergo in numulo hoc eminere Gloriosissimum Regem, Martyrem Othiniensem, *Cnuthonem IV.* sive Sanctum, Principem, qvem breviarium Slevicense commendat, fuisse *acutum ingeniô, specie decorum, armis & animâ strenuum, mentisq; industria & oris facundia redolentem*. Ad exemplum Ecclesiasticorum Patrum duram exercens vitam, tonsus qvoq; in numo hoc aspicitur. Porro amictum se colobio qvodam voluit esse, tunica nempe manicis destituta, ut bellicæ virtuti addictissimus eò melius aliqvando sese in bello constitutum videret, gladiumq; ingentem, qvem hìc dextrâ tenet strictum, expeditius vibraret. More itidem Romano, Principibus enim Romæ erat dedecori, in publicum prodiisse cum tunicis manicatis, prout *Lampridius in Commodo & Heliogabalo* notis hunc detexit ritum. Veteres amictum hunc appellarunt saccum & saccineam tunicam, qvia sacco haud absimilis erat. Deinde in numi latere postico crucem parvam hæc ambit inscriptio: VLKIL IN ODC aut OÐC- i. e. *Oxonia* seu *OTHEnsea*. Ð enim denotat apud Anglo-Saxones TH. Literæ sunt, qvæ ærugine partim exesæ oculos qvidem fugiunt, & adeo exactam non suppeditare possunt lectionem, persvasissimum tamen nobis est, numulum hunc potius esse typi Danici, qvàm Anglicani, cùm *Saxo Grammaticus* nobis *lib. II. f. m. 115.* qvoq; prodat, sub hujus Regis imperio Londini Scanorum monetariam fuisse institutam officinam, constetq; ex serie *I Episc. Othin. M. S. Cornelii Hamsfort*, *Cnutonem Magnum* 1020 in Daniam misisse Reinerum, ut Fionos doceret religionem Christianam. Negare ideo timemus, Regem hunc potentissimum in Dania una cum religione Othiniæ seu Othenseæ, qvæ *Adamo Bremensi* suo tempore fuit O*danse*, *civitas magna*, qvoq; monetarios & monetæ custodes, æqve ac in urbibus Angliæ fuerunt, constituisse & monetariæ rei apprimè expertos viros ex Anglia huc delatos esse, Qvamvis in historiis patriis de ea re altum sit silentium nec hujus monetæ indicium exstare sciamus, nisi qvòd Anglo-Saxonicum nomen proprium Monetarii ULKIL aversa numi pars nobis hoc præbeat & *Arnoldus Hvitfeld. Chron. Episc. Dan. p. m. 99.* Arhusiensis Diœceseos II Episcopum ULKILD numeret anno 1102 sedentem, qvorum utrumq; nominis sui originem ex Anglia traxisse, nulli dubitamus: animadvertimus enim nomen hoc in Anglia claruisse, *Cnutone Magno* Londinum sibi subjugante, dum ope comitis *Erici* juxta Londinum debellavit Magnatem ULFKIELD *Snilling*, à qvo totus ille tractus in campo Ringmarehithe suum sortitus erat no-

men,

men *Ulfkieldsland*, prout nobis retulit *Snorro Sturlæus Chron. Norvag. pag. 186. & 187.* Anglicanum hunc esse numum & Oxoniæ procusum exinde qvidam qvoq; sentiunt, qvòdq; in adversa numuli parte legere gestiant ULKIL IN ODC, tum etiam aliud ejusdem signaturæ dari numisma, ex adverso sibi inscriptum habens nomen monetalis viri AILNC Ð IN RO. Erit fortean AeLNOTHus IN ROchester. Denegare illis hoc qvidem non aveo, modo nobis concedant, fuisse cognomines viros in utroq; regno, qvemadmodum & illos produximus, aliqvosq; eorum *Cnutone* hoc regnante, hìc & illic exstitisse, qvi curam flandi feriundiq; numos habuerunt, de qvibus haud dubia attulimus testimonia, adeo ut ab iisdem non minus in Dania, qvàm in Anglia procusi fuerint numi in gratiam Regis, Angliam jam jam recuperaturi. Cui tandem accedit, qvòd *Joh. Isaacius Pontanus rer. Dan. hist. libr. V. p. 197.* etiam referat, tantam in Dania anno 1085., Rege hoc imperante, fuisse freqventiam Anglorum, *qvi in Daniam tædio Normannicæ dominationis profugi, ut qvotidianis qvasi in comitiis ad arma adversus Gulielmum, Regni Angliæ violentum insessorem, capessenda Cnutonem hunc solicitaverint* atq; adeò numis etiam opem Regis eblanditi sint.

Deniq; ex latiori & stricto gladio seu spatha χρυσενδέτῳ, *Snorroni Sturlæo Chron. Norvag. p. m. 300.* **Guldhialtin** dicta, qvia capulo aureo clausa sive vincta erat, qvam Rex erectam hìc præfert, suspicamur, eum pugnam contra *Gulielmum*, injustum illum Angliæ possessorem, moliturum sic se procudi voluisse, Monetariosq; seu sculptores illos eum sic typo insculpere amasse: Nam non dolebat solùm Patris indultu Angliam amissam, sed & votis reposcebat assiduis, donec classe instructa jacturam tanti imperii vi reparare ex sinu Lymico, fide fraterna tamen frustratus, tentaret. Ex qvo pietatis zelo magis accensus, ob decimas frugum plebi in usum sacrorum indictas in Fioniam usq; à malevolis subditis perseqvutus & Othenseæ in templo S. Albani precibus insistens die 10 Julii anno 1086 obtruncatur, Daniæ septennis Rex, cujus vitam sanctam & severam gloriæ & celebritatis fructu opulentissimam splendidum in fastis obtinuisse locum *Saxo Grammaticus* satis deprædicat.

SVENONIS GRAATHE sive III

Tab. XL.

No. 30. SVENO REX. *Caput Regis fermè imberbis, corona seu mitra Regia insignitum, pectore, ut apparet, chlamydato.*

Amissâ Angliâ, non uno qvasi impetu immutatam credimus Danicæ Monetæ faciem, nam si qvos inde Daniæ Reges habuerint monetales viros, uti vero consentaneum est, Romanæ artis residuum nitorem ex Anglia secum delatum non adeo perditum iri eos permisisse, ut bracteatos cuderent numos, persvademur. Itaq; numos percuti voluerunt solidos & ab utraq; parte signatos faciem qvidem Regis dimidiam ostendentes, ut in Anglicâ fieri assolebat monetâ, tenues autem & ferè bracteales, prout *Joh. Spelmannus* Tab. 2. *de num. Sax. in Ælfredi Mag. vita* Anglo-Saxonicos describit. Danicos deinde numos more Anglicano fuisse cusos facilè concedimus, ut numos penitus Bracteatos & concavos non diu post amissum anno 1042 Angliæ regnum in Dania percussos fuisse timeamus statuere, cùm Angliam, qvod sciam, planè nullas ante *Henrici I.* tempora, Germaniam verò, qvâ viâ etiam ejusdem monetæ ty-

 pos

pos ad nos pervenisse sentimus, non aliqvos ante seculum XII. edidisse numos bracteatos & cavos admodum exactè observaverit Polyhistor nostras *D. Otth. Sperlingius* in Ep. de num. cavis pag. 22. & 42. Prohibet igitur numorum jam prolata ætas, ut ad superioris seculi in Dania Reges *Svenones* aut *admorsæ barbæ* aut *Esthritæ* filium numos hosce concavos & bracteatos trahamus. Proinde erit numus *Svenonum* ultimi, qvi in Daniæ regno ad imperii clavum ab anno 1148 usq; ad 1156 una cum *Canuto* filio *Magni* & *Valdemaro I*, ad qvem deinde regnum solum rediit, sedit. Regem eundem à campo Graatehede inter pontem Veirumbensem & Vibergam in Jutia sito, ubi 1156 cœsus est, historiographi nostri cognominarunt. *Graathe* & *Graathehede*, cujus juvenem vultum, numus hic purissimi metalli argenteus & concavus in medio continet, capite mitra regia, cujus meditullium & extrema unionibus insigni magnitudine sunt conspicua, evincto, eandem & lamina lata & continua margaritis seu gemmis artificiosè distincta ambit. Diadema opertum est, æqve ac *Canuti Sancti*, formæ tamen, præsertim in lamina, aliqvantò elegantioris, haud dubiè à civitate qvadam huic *Svenoni* addictissima signatus esse hic numus censetur, qvemadmodum inseqventes civitatum numi suum qvodq; professi sunt monetæ nomen, addito vultu Regis anonymi, qvem eadem civitas suo fortè proseqvebatur amore: Qvippe de summa rerum *Svenoni* huic cum *Canuto* filio *Magni* & *Valdemaro* primo summa erat contentio & hinc dubia Danis opinio, qvem ex his præficerent imperio. De vultu igitur in numis his, qvi præ se ferunt Regias icones & anonymas, agnoscere Reges ob officinarum & hinc inde facierum varietatem penitus desperarem, nisi qvilibet numus aliqvo modo suum commendaret artificem, & *Saxo Grammat. lib. 14. fol. m. 139.* nos de Regis *Svenonis* vario habitu corporisq; cultu certiores faceret. *Spreto*, inqvit de eo Saxo, *Danico ritu*, *Germanicum æmulatus est. Nam & cultum Saxonicum sumpsit militumq; studia ad similis vestis usum adduxit.* Pectore proinde chlamydato & militarem habitum referente hic incedere voluit Rex. Ut ergo Cimbriæ urbes suum in Regem, cujus imperiò stare desiderabant, ostenderent amorem, ejusdem vultu, nomine verò suo numos hosce insigniri curarunt. Primum sese hic offert

Tab. XL.

No. 31. RANDROSIA. oppidum est egregium territorii Arhusiensis, ad Gudium flumen in Chersoneso nostra situm **Randers** appellatum.

Numisma hoc concavum præterea habet Regem diadematum ἀνδροπώγωνα, qvi plena barba mentum operit, capillo reflexo. Deinde

No. 32. HERINGA. Vetus illa Diœceseos in Cimbria Alburgensis, olim Borglumensis, civitas est, comitiis Vendelicis qvondam præclara sedes, nunc **Hiøringe** dicta. Numo hoc eadem civitas suam qvoq; exserere voluit fidem erga Regem eundem, qvi mitra Regia seu corona operta pellitus apparet. *Pelliceos* enim & egregiè vestitos eo seculo, qvò Rex *Sveno* vixit, majores nostros habuisse Reges, Principes & Magnates, nobis *Helmoldus*, qvi seculo eodem circa annum 1140 vixit & scripsit. *Chron. Slavor. lib. I. cap. I.* autor est, de Pruzis sic loqvens: *Pellibus abundant peregrinis, qvarum odor lethiferum nostro orbi superbiæ venenum propinavit, qvi ad marturinam vestem anhelamus, qvasi ad summam*

mam beatitudinem. Itaq; partim prisco more amictum se hic voluit Rex, cujus majores, qvemadmodum adhuc Lapones exterius pellium pilos gerunt, glabra parte interius obversa, qvomodo frigus longè meliùs arcebant majores, naturam pellium in his secuti & sua commoda, qvi, Christianis jam factis, arte pellionum tantum in patagiis & fimbriis exterius pellium hirsutam partem obversam gestabant, interius verò pelles in totum inverso ordine, vestimento, uti nunc fit, subductas voluerunt, qvomodo Regem hunc vestitum fuisse credimus.

Postea in Regem eundem suum qvoq; contestata est amorem numismate hoc.

Tab. XL.

No.33. ALABURGA, qvæ urbs in Cimbria ad Lymicum sinum est celeberrima, Diœceseos ejusdem caput conspicuum, Aalburgum nunc vocatum, ex cujus monasterii agro prope urbem eandem numi hi omnes bracteati & concavi superiore anno sunt eruti & partim à me perqvam submissè huc allati. Diœcesis hæc olim Borglumensis usq; ad annum 1536 fuit denominata à sede Episcopi, qvæ cœnobium erat Borglum: Anno qvippe eodem Stygotus Pontificiæ Religionis Præsul ultimus Episcopatui renunciare coactus fuit, cui ad vitam monasterium hoc fuit concessum, unde, qvi eum secuti sunt, repurgatæ religionis Episcopi Aalburgũ inhabitare cœperunt, qvod Diœcesi huic deinde suum indidit nomen. Regiè mitratus est Rex idem in numo hoc im̃issa barba & capillis itidem flexis, annulos & nodos qvodammodo exprimentibns. Patrio more deinde amictus exstat pallio plicato, vestimenti genere, qvod majoribus nostris dicebatur *Faldones*, à plicis, nobis Folder & Germanis Falte, sic denominato, qvemadmodum & hujus Regis σύγχρονος scriptor *Helmoldus Chron. Slavor. lib.* I, *cap.* I. circa annum 1140 enarrat: *Pro laneis indumentis, qvæ nos appellamus Faldones, illi (Pruzi) offerunt tam pretiosos martures.*

No.34. SVENO. Nomen est Regium, qvod crux in numo hoc concavo angulatim habet & nisi me omnia fallunt, etiam numus hic ad *Svenonem Graathede* referri interq; numos civitatum annumerari debet, utpote inseqventibus numis à civitatibus procusis simillimus.

No.35. RAND. In crucis angulis numus habet literas, qvas interpretari mihi aliter non contingit, qvàm RANDrusium: opidum in Chersoneso nostra territorii Arhusiensis amœnum, ad Gudium flumen Arhusiâ borealius est situm & ad peninsulæ hujus ortivum littus vergens Balthicum mare vicinum habet. Fuit qvondam urbs propugnaculis firmissimis cincta, narrat enim *Joh. Isaacius Pontanus* rerum Danic. hist. lib. VII. pag. 488. *Jutis rebellionem anno 1359. moventibus Valdemarum IV. aliqvot suorum in Jutiam misisse, qvi Randrusium arietibus, ballistis, aliisq; belli machinis oppugnationi destinatis circumqvaq; incingerent, sed obsessi, priusqvam reliqva manus accederet, eruptione tentata profligarunt obsidentes.* Nec usq; adeo hujus urbis vires fuerunt deinde attenuatæ, qvin jussu regis navem bellicam, qvæ tunc temporis inter maximas censebatur, 80 viris armisq; bene instructam ope urbis Arhusiæ anno 1531. in aciem emittere potuerit.

Tab. XL.

No. 36. ARAS. Sunt literæ, qvæ crucem in numo hoc ambientes conficiunt, nomen urbis in Cimbria Episcopatu nobilitatæ, qvæ chorographis nostris Arhusium sive Arhusia appellatur, & tractu superiori Lysbergico circa annum 1102 ad littus proximum translata, qvemadmodum *Hvitfeld. Chron. Episc. Dan. pag. 99.* memorat, plane maritima est facta, ortivam Chersonensi nostræ partem in ora ipsa Balthici maris tenens. *Knytlingorum* historia M. S. urbem eandem nomine prisco etiam ARAS cap. 20. insignivit, ad littora ejusdem urbis maritimum conflictum inter Reges Magnum Bonum & Svenonem Esthritium ponens.

No. 37. PETRVS. *hasce sex literas crux sexangularis in numo angulatim habet.*

Ab altera parte:

✝. REX *in angulis qvadratæ crucis extat.*

Numulus hic solidus rubigine absumptus videtur, qvod literæ in prima ipsius facie exesæ ideoq; à sculptore punctatæ indicant, ferreus est indeq; vilis, nobis verò rarissimus. *Julius Cæsar de bell. Gall. lib. V.* qvidem memorat, *Britannos* suo tempore *usos fuisse ferreis taleis ad certum pondus examinatis pro numo*, numulis verò nullis ejusdem farinæ, qvos Græciæ urbes primùm produxerunt. Et qvamvis puros putos ferreos Româ nobis *Savot* afferat, alios tamen non suspicamur, qvàm denarios Romanos bracteâ qvadam argentea qvondam obductos, Galli vocant eosdem *Medailles fourrées* & mediæ ætatis Latini eos dixerunt *numos forratos*, qvi nobis sunt **foerede Penge**, voce illis natâ ex Danica & Germanica lingvis, cum & Germani hos vocitent **gefütterte Pfennige.** Numi scilicet hi ferrum tegebant, sub argento, qvod terræ, in qva tot delituêre annos, acrimoniâ & rubigine ferri adeo abrosum est, ut planè devenerint ferrei. Pace ergo antiqvariorum recensemus, numum nostratem exstitisse ejusdem formaturæ, vi autem rubiginis laminâ tenui, qvæ argentea fuisse creditur, exesâ, qvia *Svenonis Graathe* tempore ars cudendi numos concavos non solùm in Dania & Germania, æqve ac olim Romæ ferrum argentô obtectum cudebatur, viguit, sed etiam ex artis monetariæ præceptis ferrum bracteâ qvadam argentea obductum signare ejusdem temporis monetarii facilè sciverunt. Proinde perqvam rarus hic nobis est numus, qvemadmodum & de Romanis *La science des Medailles* Amstelrodami 1693 impressa censet: *Lorsq; les Medailles fourrées ont une teste & un revers curieux, elles sont ordinairement rares & d'un plus grand prix que celles, qui sont de bon alloy.* Nostratem diximus & ad Regem Danicum pertinere nulli dubitamus, sed cùm Regem nullum inter Danos hoc nomine habeamus, qvid de illo tandem statuendum proferam: Ecclesiastici, qvos numum hunc procudisse nobis persvasissimum est, SVEIN & SVENONis nomen adeo barbarum existimarunt, ut licet in numis aliqvando reperiatur, illud tamen in numis, qvos cudi fecerunt, ferre neqviverint. Exemplum nobis erit *Cnuto* ille *Magnus* Daniæ, Angliæ &c. Rex, cujus nomen uti in baptismo ità & in fastis sacris mutarunt in *Lambrichti*, qvemadmodum *Scholiastes Adam. Bremensis, edit. Velleo, lib. 2. c. 36.* in margine indicat, sentiebant enim Ecclesiastici nomen CNVT esse ethnicum & barbarum, prout Norvagi gentiles contra detestarunt Christianum nomen *Jacobi* Regis *Olai Digre*, i. e. crassi, filii, qvi eum Regem constituentes nomine ethnico *Aunund* insigniverunt. *Chron. Norvag. Snorro. Sturlæi pag.*

m. 232

m. 232. Regem igitur *Svenonem Graathe* Ecclesiastici PETRI nomine ex ea causa donarunt, ne etiam barbarum & gentile ejus nomen SVEN sive SVEIN inter illorum sacra pronunciaretur. Testes hic nobis erunt *Ottho Frisingensis* & *Abbas Trithemius*, ex qvibus *Joh. Isacius Pontanus* in *chorograph. Dan. p. 766.* hoc attulit & roboravit, unde Ecclesiastici, qvi jus numos cudendi habebant, illos etiam sub nomine PETRI ex cœnobio qvodam prodire amarunt. Alii aliam addunt mutati nominis rationem, haud vero absonum esse dicentes, Regem hunc in Saxonia per biennium, & qvod excedit, exulem & ordinum omnium auxilia ibi flagitantem fraternitati cuidam se sub PETRI nomine associasse, de qvo scriptores externi eum agnoverunt, sed res fermè eodem recidit. Cujusnam verò Abbatis aut cœnobii numulus hic noster sit, omnimodo nos fugit, & nisi scriptores laudati hoc Regis nomen observassent, planè qvid PETRVS ille Rex in Danica historia significaret, nos in æternum lateret.

CANUTI V. seu MAGNI FILII.

Tab. XL.

No. 38. CANUT REX. *Ejusdem Regis vultus gratiosus, coronato vertice.*

No. 39. ARHUSIA. *Regis ejusdem icon coronata.*

Bracteatos illos & concavos numos nullius esse autumamus, qvàm *Canuti Magni filii*, qvem historiæ numerant qvintum ejus nominis Regem, nepotem *Nicolai* Regis è filio *Magno*, percussore *Canuti* Regis Obotritorum. Illius enim, præ *Canuto VI., Valdemari I.* filio, numos hos esse persentimus, tum qvòd Anti-Regis *Svenonis Graathe* simillimi sint, & numorum formaturâ & vultus positurâ. Nec ad priores *Cnutos* eos referre audemus, qvoniam Reges illi cognomines & in numis & historiis patriis semper vocitati sunt *Cnuti* & *Cnuthones*, & *Ælnothus* antea laudatus etiam narrat *Canutum IV.* qvem S. & Martyrem Othiniensem vocamus, ante apotheosin tantùm vocatum fuisse *Cnuthonem*, qvi postea in Sanctorum fastis, precibus Ecclesiasticorum, sub nomine CANUTI commendatus splendidum primò obtinuit locum. Erit itaq; ille numus, ut memini, *Canuti Magni filii*, Regiæ juventutis in Dania Principis, qvi vario Matre cum *Svenone Graathe* de dominatione, qvamvis etiam Consobrini *Valdemari I.*, S. *Canuti Obotriti filii*, societate corroboratus, certaverit, eum tamen adeò fortiter ursit, ut *Sveno* in exilium actus demum post biennium rediens *Canuto* huic & *Valdemaro I.* aliqvas regni lacinias, ut reliqvas in pace possideret, cedere coactus fuerit. Ob talem imperii sui diminutionem in convivio qvodam Roëskildiæ cœdem, utriq; intentatam, in *Canutum* solum peragere ipsi contigit, qvi eum anno 1156 vigiliis Sancti *Laurentii* ibidem trucidari curavit, fugam *Valdemaro I.* feliciter capessente. Juniorem item *Svenone Graathe* hunc fuisse *Canutum* ex sede honoratiori, qvam *Joh. Isac. Pontanus* memorat *Svenonem* ob ætatem occupasse in eodem convivio, constat; qvomodo etiam vultu majestatis pleno, capillis reflexis & coronâ eleganteius opertâ redimitis, pallio in humero dextro duplicato & fibulâ stricto, admodum juvenis in numis hisce aspicitur. Utrosq; Arosiæ, cujus in Cimbria positum ad numum sub Num. 36. hujus tabulæ descripsimus, procusos esse, ex posterioris numi facie certò conjicimus. Deniq; & illud in hoc numo observari meretur, qvòd urbs hæc, qvæ in numo sub No. 36. *Aras* est vocitata, hìc *Arhusia*, uti & *C. Lyschandro in Synopsi Hist. Dan.* postea compo-

po-

poſitionem, qvaſi *domus remorum*, exhibenti, & ex eo Chorographis corruptè dicatur, qvam vetuſtiores membranæ numiq; *Aras* vel *Aros* rectiùs ubiq; nominant: denotat enim nobis *A*, ſeu *Aa*, adhuc amnem, & *Os* ſeu *Aaos* antiqvis profundum amnis oſtium fuit, unde *Aros* ſeu *Aaraaos*, contractiùs *Aroſia*, ſecundùm oppidi ſitum concinniùs reſultat, qvemadmodum & compluribus oppidis ex eadem cauſa impoſitum fuit idem nomen, ut *Nidaroſiæ* nobili Trandenſium urbi, ad oſtium amnis *Nid* fundatæ, id qvod poſtea fuſiùs demonſtrabimus. *Ar* enim eſt gignendi caſus antiqvus nominis *A* ſeu *Aa*, qvod nobis flumen ſeu amnem eſſe diximus.

Tab. XL.

No.40. †. HORS. Cavus hic Regis *Valdemari I.* numus itidem Regis caput præ ſe fert imberbe, ſed alia vultus diſpoſitione, qvàm ſolent eſſe *Svenonis Graathe* aut *Canuti Magni filii*, numi, qvi aut macilentam aut tenuem exhibent faciem, ita ut tutò alius Regis numum dicere hunc liceat. Et qvoniam eorundem Regum tempore inter Daniæ ſubditos erat contentio magna, qvem ex tribus ſua fide proſeqverentur Regem, hincq; in cujuslibet Regis amorem, etiam omiſſo nomine ejus, ſuos cudere numos amarunt. Non eſt ergo, qvòd dubitemus, etiam in Regis *Valdemari I.* de imperio concertantis gratiam aliqvos ab urbibus fuiſſe cuſos ejusdem formaturæ numos, qvemadmodum hìc urbs HORSneſium, Cimbriæ oppidum, qvod ab Aroſia, capite Diœceſeos ejusdem conſpicuo, ſecundum & auſtralius *Pontano in Chorograph. Dan.* ponitur, ad Cherſoneſi ejusdem littus ortivum vergens, ſuo nomine Regis ejusdem faciem gravem & amplam, pulcrè exporrecto & regiè adunco naſo in numo hoc forſitan exprimi voluit. Mirari hic ſatis licet, tam paucos tanti Regis ſupereſſe numos, qvi anno 1157. *Svenonem Graathe* aperto opprimens Marte lacerum Daniæ Regnum ſub unos colligavit faſces, multa (per 25 annos imperii) reſtituit & reſtituta ampliavit, qvomodo etiam teſte *Saxone Grammat. hiſt. Dan. lib. XIV. fol. m. 148.* ſtatim ab initio imperii numiſmatis Regii adminiſtrationem Roëskildiæ habuit. Huic adſtipulatur privilegium ejusdem Regis M. S. Monaſterio Beatæ Mariæ Virginis de Eſrom, qvod ordinis Ciſtertienſis fuit, de villa Steinholt datum, ubi mentio injicitur *Stubæ* (i. e. hypocauſti) *Gerhardi Monetarii*, in qva Roëskildiæ id conceſſum fuit, traditum verò in caſtro per manum Domini *Abſolonis*, ſanctæ, ut dicitur, Roëskildenſis Eccleſiæ Epiſcopi & Svenonis cognati ipſius. At cùm priſtinæ bonitatis numos ipſius fuiſſe legamus, credimus non minus eos, qvàm cœteros recuſos fuiſſe.

Tab. XL.

VALDEMARI II.

No.41. VALDEMARVS REX. *in area numi* DAN.
‡ NICHOLA9 EPE. *In intermedio* ℞.

Ex numis præcedentibus ſatis clarè patet etiam regnantibus in Dania *Svenone Graathe*, *Canuto V.* & *Valdemaro I.* manum Romano-Gallicam in numis præcelluiſſe, itaq; conjectura haud dubia hìc datur de numi hujus antiqvitate & cujusnam *Valdemari* ſit ille ſolidus & ab utroq; latere literis, ut dicunt, rotundis ſeu monaſticis partim ſignatus numus: qvippe à tempore Regis *Valdemari II.* paulatim in numis deſvetudine viluiſſe characteres illos Romano-Gallicos, per Doctores Gallicanos, relatu *Ingulfi fol. 518.* in Angliam *Ælfredo Magno* ad gubernacula ſedente & hinc in oras noſtras cum omnium li-

tera


N° 42.

N° 43.

N° 44.

N° 45.

N° 46.

N° 47.

N° 48.


N° 49.

N° 50.

N° 51.


N° 52.

N° 53.

N° 54.

N° 55.

N° 56.

N° 57.


N° 58.

N° 59.

N° 60.

N° 61.


N° 62.

N° 63.

N° 64.

N° 65.


N° 66.

N° 67.

N° 68.

N° 69.

N° 70.

N° 71.

terarum doctrinâ traductos in numis antecedentibus vidimus, æqve ac in Galliis ex numis Regis *Philippi Augusti, Valdmari II.* συγχρόνε, literas easdem partim in monasticas qvoq; mutatas primùm perspicimus, cujus rei etiam autorem habemus *M. le Blanc in tractatu suo historico de monet. Franciæ* gallicè conscripto, ubi ejusdem monetæ typos pag. 159 depromit, literis in numis *Valdemari II.* simillimis signatos. Colligimus igitur exinde characteres eosdem in terras nostras circa eadem tempora invectos, cùm magnum nostratibus sub Rege hoc fuerit literarum commercium cum Gallicanis Doctoribus. Ex adversa numi parte inscriptum legitur: NICHOLA9 EPE. & in medio character hic R̸, qvibus NICHOLAUS *Stygotus*, Abbati Sorensi *Martino Petræo in catalogo Episcop. Roëskild.* cognomine *Lung* dictus, EPIscopus Roeskildensis denotatur. Eadem inscriptio & nos qvoq; certiores facit, nullius nisi V*aldemari II.* hunc esse numum, qvod Episcopus nullus ejusdem nominis sub qvoqvam Rege V*aldemaro* Roëskildiæ sederit, nisi sub V*aldemaro II.* Sunt qvi sinistro ordine literas in prima numi area ob ipsius spatium angustum sic positas A^{D}N legunt AND iisq; indigitari satagunt Andream in Dania olim miraculis clarum, aut Slaglosiensem aut *Andream Sunonem* Archiepiscopum Lundensem, at nos dextrè recensuisse putamus, si has literas dextrorsùm, incipiendo à litera D. legerimus DAN. qvia V*aldemarus* idem REX DANORVM fuit insequentesq; numi Regum eandem præ se ferunt titulum.

Tab. XLI.

No. 42. ✠. VALDEMARVS. *Intermedium numi occupant Literæ* REX.

✠. NICHOLAVS R̸ *in medio EPE.* i. e. *Nicolaus Roeskildensis EPiscopus.*

Qvòd *Nicolaus Stygotus*, præmisso nomine & titulo Regis in numi primo latere, suum hic ex adverso, ut in præcedenti, adjunxerit nomen & titulum, haud dubiè nobis indicio erit, Episcopum hunc ex antiqvo jure aliqvam pro officio partem monetæ Regiæ, qvæ Roëskildiæ erat, possedisse, seu certos ex ea reditus: Regii ejusmodi beneficii, Lundensi Præsuli collati, memor qvoq; est Saxo *Grammat. hist. Dan. lib. XI. fol. m.* 115. ubi narrat Daniæ Regem *Canutum S.* Lundini Scanorum *in æde Laurentiana prima dedicationis die solenniter altaria veneratum esse, & qvartam Regii numismatis portionem ei, qvi pro tempore loci Antistes exstiterit, muneris loco perpetuo jure possidendum concessisse.* Præmittebatur igitur nomen regium, ut constaret, à qvo Episcopi potestatem cudendi numos haberent, qvam sibi Ecclesiæ nostræ Præsules indultu Regum hinc & illinc diu reservarunt. Eodem jure qvoq; Pontificis Summi Nuncius Isarnus Archiepiscopo Lundensi contra Regem *Ericum Menvedium* anno 1299. adjudicavit tertiam monetæ partem, qvæ Scanorum Lundini exstabat. Numus hic è metallo puriori est & literaturæ politioris, qvæ pro eo tempore suum valdè commendat artificem.

No. 43. ✠. VALDEMARVS REX. D. *In medio numi caput Regis coronatum.*

In adversa parte:

✠. NICHOLAVS EPE. *Aream adversæ occupat mitra Episcopalis.*

Numulus hic ex utroq; metallo mixtus facie Regia signatus rarenter occurrit, ideoq; perqvam carus censetur, primores verò nominibus tantùm Re-

gis *Valdemari* Episcopiq; *Nicolai* Roëskildensis insigniti non rarò obvii sunt. Noluisse Regem hunc, Episcopum Nicolaum effigiem suam in numi adverso apponere nomini, exinde suspicamur, qvòd tantùm mitram, episcopale illud decus & illustre tegmen, hic ausus sit addere, qvi tandem qvoq; eò autoritatis provenit, ut, mortuo *Valdemaro* & filio ejus *Erico* habenas imperii capessente, vultu mitrato numos suos signatos habuerit, qvorum exemplar mox delineatum præbebimus. Proclive itaq; est, ex hoc, seqventi & præcedentibus numis certius colligere, Præsuli huic, qvi nomen, titulum & officii insignia imò iconem numorum adversæ insculpi curavit, partem numismatis Regii concessam fuisse & eum facie, nomine tituloq; regio in antico numorum esse professum, à qvo potestatem cudendi numos habuerit.

REGIS ERICI cognomine Plog-Penning/ aliàs SANCTI.

Tab. XLI.

No. 44. ✝. ERICUS REX. *Facies Regis coronata.*

✝. NICOLAVS. *Episcopi mitrati icon.*

Sunt, qvi dubitant, cuinam Regum eo nomine hunc adstruere numum debeant, ex utroq; metallo mixtum. Nobis persvasissimum est numis *Erici* Plog-Penning i. e. ex qvovis aratro censum exigentis, qvi filius fuit *Valdemari* II. annumerari debere, qvoniam sub utriusq; regimine patris scilicet & filii, *Nicolaus Stygotus* Roëskildiæ Episcopus sedit nec sub qvoqvam istorum Regum ejusdem nominis Præsulem sedisse legimus, inqve numis *Valdemari* II. tempore cusis Episcopum hunc suum apposuisse nomen & titulum satis exposuimus, qvod aliàs nulli Episcoporum Daniæ, nisi huic in numis sic contigisse observare nobis adhuc licuit, multò minus, qvod suum qvisq; ex adverso numi vultum mitratum procudi fecerit, sed siglis qvibusdam diu postea nomen tantùm expresserit. Fuit Nicolaus ille vir, nobili Lungorum stemmate prognatus & in ecclesiia Septentrionali Episcopus celeberrimus, qvi multis & magnis Regni negotiis adhibitus, etiam nomine Daniæ, præside Pontifice Innocentio IV. Lugdunensi concilio anno 1244 interfuit, indeq; eò processit, ut non tantùm *Valdemari* II. tempore nomen explicitum sed & vultum gravitatis plenum, *Erico* filio *Valdemari* regnante, in numis cudi curaverit. Dehinc, orta simultate inter Regem *Ericum* & *Nicolaum* hunc, ex concilio Othiniensi, ubi Daniæ Præsules secundùm Pontificum edicta in ecclesiæ prædatores, cujuscunq; status, anathematis fulmen vibrarunt, redux in Norvagiam 1245. secessit & inde navi conscensa in Gallias Claravallam abiit, ubi anno 1249 Bernhardini ordinis gravis socius & sodalis in fata concessit. Nec immeritò numus hic rudiori percussus Minervâ turbulentis illis accensetur annis. Cœpit tunc pristinæ Danicæ monetæ bonitas & decus temporum immanitati penitus succumbere: Et cœpit qvoq; ni fallor, Episcoporum effigies & tandem nomen in numorum typis exstirpari, cum Rex idem statim à secessu Episcopi totius Diœceseos reditus suum in fiscum redegerit & usq; ad annum 1249. retinuerit, qvo eos *Jacobo Erlando* non sine certa conditione tradidit. Hinc tandem anno seqventi Rex ex itinere in expeditione sua contra

tra Holſatos à fratre *Abele* Slesvigam amicè invitatus improviſò conſtringitur & navi impoſitus ad breviſſimum trajectum fluminis Sliæ ſecuri obtruncatus eſt veſpera *S. Laurentii*, ætatis ſuæ 34, regni verò nono. Corpus ipſius deinde in flumen Sliam projectum & à piſcatoribus demum inventum Slesvigam translatum eſt, ubi in templo Divi *Petri* prope chorum eſt ſepultum. Ob miracula, qvæ credebantur conteſtari injuſtam ipſius cœdem, apotheoſi in Divos relatus eſt, cujus brachium, credulæ turbæ à monachis toties oſtenſum, tantum æris ac pecuniæ corraſit, ut ampliſſimus, qvi adhuc exſtat, templi ambitus inde exædificatus ſit. Qvanam autem Rex hic fuerit vultus ſpecie, qvove habitu, numulus hic pro eo temporis artificio pectore tenus qvidem delineat, ulteriora verò dat ſtatua Regis ejusdem lignea, cujus, in domo capitulari Slesvigæ olim conſpectæ, deſcriptionem affert Cypræus Annal. Slesv. lib. 2. cap. 6. *Vir*, inqvit, *corona redimitus, facie pallidâ & luridâ, capillis paſſis, barbâ nigrâ ——— tunicâ oblongâ ad talos usq; demiſſa, calceis acutis & cornutis, prout eo tempore mos fuit, baltheo autem aureo per medium pallæ talaris infra lumbos cinctus.*

Tab. XLI.
No. 45. ERICUS. *Enſis oblongus in medio harum literarum inter ſolis ſtellam lunamq; creſcentem ſurſum mucrone ſe vergit, ad cujus capulum R. X. i. e. Rex.*

In latere averſo:

Crux qvadrata, qvam angulatim ambiunt literæ hæ: IACOB.

Verſo hoc numo, qvi ferè æneus eſt, ſatis conſpicuè comperimur, eum qvoq; eſſe Epiſcopalem, legitur enim ibi circa crucem nomen IACOB, qvod alius non erit nomen, niſi Epiſcopi Roëskildenſis *Jacobi Erlandi*, qvoniam nullus ejus nominis Præſul ſub qvoqvam Regum Daniæ, nomine *Erici*, niſi ſub *Erico* Plog-Penning & *Erico Glipping* vixit. Alterutrius ergò Regis tempore procuſum hunc numulum eſſe oportet, qvemadmodum & facies numi his literis ERICVS RX inſcripta numum ulterius illuſtrat. Nobis eſt perſuaſiſſimum, eum, Rege *Erico* Plogpenning/ ex officinâ monetariâ, qvæ Roëskildiæ erat, unacum cæteris ejusdem farinæ profluxiſſe. Etenim non dubitamus, Epiſcopum hunc ſub Rege eodem, commendatione præcipuâ Pontificis *Innocentii IV.*, cui à ſacris & in concilio Lugdunenſi familiaris erat, ad ſedem Epiſcopalem Roëskildiæ anno 1249. promotum & favore ejusdem Pontificis fretum omnia jura Epiſcopalia exercuiſſe, niſi qvod ejus titulum, effigiem & inſignia, æqve ac Anteceſſor ipſius *Nicolaus Stygotus*, in numis nomini ſuo non addiderit; Fuit tamen homo ſpiritus perqvam faſtoſi, ideoq; multæ inter Reges ad clavum imperii poſtea ſedentes ipſumq; exortæ fuêre ſimultates, qvi Rege *Chriſtophoro I.* non ſalutato, ſolâ auctoritate Pontificis Romani ad cathedram Archiepiſcopatus Lundenſis anno 1254 evectus omnia, invito Rege, immutare conatus eſt, nullum niſi Pontificem judicem obtendens ſuum. Hinc & Rex *Chtiſtophorus* Archi-Epiſcopum Jacobum in prædio ſuo Gisleburgo captum cuſtodiæ Caſtri Hagenſchovienſis in Fionia anno 1259 tradi juſſit, ubi vinculis conſtricto Rex *Ericus Glippingus* procerum ſuaſu, ut inimicorum multitudine paulatim levatus imperii auſpicia faciliora redderet, Lundenſem Diœceſin anno 1261. reddere voluit; Verùm enim verò *Jacobus Erlandus* tantâ tumebat arrogantiâ,

 ut

ut Diœcesin capessere nollet, prius qvàm de causâ Pontifex cognovisset. Dimissus ergo Sveciam continuò & dehinc statim Romam petiit, ut sibi illatam injuriam qvereretur apud Pontificem, qvi in concilio Lugduni in Galliis anno 1274. deniq; decrevit, ut Præsul hic apud Regem *Ericum Glipping* in gratiam reciperetur nomineq; damni & expensarum argenti marcas 15000. acciperet. Nec eo decreto *Jacobus Erlandus* contentus in Rugiam se contulit, ubi monachus anno eodem d. X. Martii diem obiit suum. Ex qvibus omnibus dispalescit, Archiepiscopo huic, & in vincula conjecto & exuli, reditus, qvi ad Diœcesin Lundensem spectabant, à Regibus *Christophoro I.* & *Erico Glippingo* ademtos fuisse & hinc qvoq; potestatem cudendi numos, qvam muneris loco Londini possidebat, tunc non fuisse concessam. Igitur sub nomine horum Regum, qvos sibi offensos habebat, hunc Antistitem, qvi spiritus erat superbissimi, numos voluisse procusos, non est qvod credamus. Certissimum proinde erit, numulum hunc sub nomine Regis *Erici* Plogpenning, *Jacobo* hoc Roëskildiæ sedente, percussum fuisse. Anticum verò numi latus, gladio inter lunulam solisq; stellam exornatum, Clarissimus *Th. Brod. Bircherod. specim. antiq. rei monet. Dan. pag. 106.* putat, repræsentare patria tunc Regum Daniæ insignia, qvemadmodum ibi & hic qvoq; in numis Regis *Erici Glippingi* videtur. Primus deniq; hic est numus, qvem adhuc reperire nobis licuit, *Cruciatâ*, ut dicunt, signatus, qvæ tessera fuit, sub cujus præsidio *Erici* hujus pater *Valdemarus II.* tantas & tam pias in barbaras Livoniæ gentes suscepit expeditiones, utpote qvæ à Pontificibus Romanis ad instar Palladii *Valdemaro* huic primùm collata legitur. Constituit itaq; *Ericus* Plogpenning, parta cum fratribus pace & Episcopo *Jacobo Erlando* ad sedem Episcopalem Roëskildiæ promoto, parentis exemplo, in Livoniam cum classe & milite anno 1249. religionis ergo trajicere. *Tenebatur præterea*, inqvit Joh. If. Pontanus p. 333. Rex hic *Pontificis summi mandato ad promovendum veri Dei cultum & orbis Christiani limitem dilatandum, ideoq; & Pontifices olim Romani parenti suo CRUCIATAM, ut vocant, contulerunt, qvam & regni insignia in solo rubeo ostentant*, latius in seqventium Regum numis, præsertim *Christophori Bavari*, eiq; splendidissimo ordine succedentium, se expandentem.

REGIS ABELIS, FILII VALDEMARI II.

Tab. XLI.

No. 46. ABEL. *Crux qvæ literas easdem habet angulatim.*

Enses duo, qvibus crux dextrorsum in typo est addita.

No. 47. ✠. ABEL REX. *In medio numi rosa.*

✠. DANORUM. *Aream occupat stella.*

No. 48. ABEL REX. *Numuli intermedium est rasum.* Ex parte aversa:

Crux inter duo peda episcopalia, qvibus superiùs affulget stellula qvædam.

Clandestino *Abelis* nutu nefaria *Erici* cæde à satellite ipsius Lagone *Gudmundo* peracta, Dux *Abel* omni conatu ad diadema Danicum adspirabat & nulla superstite *Erici* prole, *Valdemari* filius ille tunc natu maximus, hæres regni legitimus à Daniæ populo calendis ipsis Novembris proximè à cæde fratris

tris insequentibus, proclamatus est, ne & bella tumultusq; plures cieret, ducatusq; Slesvicensis à regno separaretur. Statimq; ex ordine eqvestri XXXIV. autoritate præcipua viros sibi adjunxit & una cum iis jure jurando parricidii purum se populo excusabat. Hinc & in Comitiis Roëskildiæ ab Archiepiscopo Lundensium in natalitiis Domini postea insignitus est diademate regio, sed biennio, & qvod excurrebat, imperii tantum completo & certamine cum Fresiis Eidorstadensibus inito, die Petri & Pauli anno 1253. trucidatus est. Mirantur ideo qvidam, tantam numorum copiam, qvæ hic alibiq; depromitur, sub Rege hoc tam brevi tempore imperii ex officinis monetariis profluxisse; At si monetæ diversitatem temporumq; rationem consideraverimus, vero haud absonum credimus, multos numos ex arbitrio eorum Præsulum esse percussos, qvibus ex parte potestas qvædam fuit cudendi numos, qvemadmodum Archiepiscopo Lundensi inde à Regis *Canuti S.* tempore ad qvartam usq; monetæ partem fuisse concessam & sub imperio *Erici Menvedii* ad tertiam adactam & auctam ex historiâ patriâ percepimus, nec minorem numorum copiam urbium officinæ produxerunt: Scivit enim Rex *Abel* urbes & Episcopos eorumq; asseclas in sua desideria inescare, ut se suosq; certiores de imperio redderet. Hinc multa urbibus & monasteriis indulsit, qvæ tempore fratris Erici qvasi desita atq; antiqvata, in usum & commodum eorundem reduci non tantùm permisit, sed & sub gratiæ & pietatis fictæ specie varia ipsis contulit beneficia. Freqventes ergo sunt numi ejus ex utroq; metallo, argento scilicet & ære, qvi hinc Regis nomen & titulum signatum habent, illinc verò duo peda episcopalia, qvorum intermedium crux sub stellula occupat. Alii dantur, qvorum latera postica gladios repræsentant duos, dextrorsum in typo addita *Cruciatâ*, Christianæ religionis tesserâ, forsan expeditionem, qvam bis contra Fresios Eidorenses suscepit, ejusq; apparatum denotantes, cruce in bonum adjunctâ omen. Freqventiores autem numos esse experti sumus, qvi hinc rosam illinc stellam exhibent cum inscriptione hac ex utroq; latere: ABEL REX DANORUM, qvemadmodum No. 47. Tab. XLI. videbis. Effigie vultuq; autem Regis aut Episcopi nec præsulis ullius nomine, prout tempore Regum *Valdemari II.* & *Erici* Plogpenge in numis signatum intelleximus, numulos hosce nusqvam insigniri, singularem status subesse rationem suspicamur. Exstincta enim, ut prædiximus, in typis numorum *Nicolai Stygoti* & *Jacobi Erlandi* fastuosorum Præsulũ memoriâ, tenaces sui juris cudendi numos Daniæ Reges exstitisse credimus. Et qvamvis Rex *Abel* ab initio regiminis sui, omnia, qvæ antiqvitate desita erant, urbibus & monasteriis indulsisse dicatur, attamen Episcoporum, qvi monetam nullibi integram & sui juris, sed certos alicubi ex ea reditus habuerunt, nomina & effigies in typis numismatum deletas voluisse ex hac numorum congerie satis colligimus. Qvemadmodum & diu posthac effigies Regias Episcoporumq; nomina in numis omissa percipimus, donec tandem Præsules hi seculo XIV. siglis in numis exprimi fecerint nomina, prout *fol. 110. Mus. Reg. part. II. Sect. V.* & inferius No. 61. Tab. hujus videbis, & seculo XVI. Archiepiscopi Nidrosienses *Ericus* & *Olaus* nomina unacum insignibus gentilitiis explicatè apposuerint. Qvippe magna Antistitum & ordinis Ecclesiastici in regnis his, aspectu Romani Pontificis, autoritas erat, hinc tanta inter Reges Episcoposq; dissidia intestinæq; simultates exortæ fuerunt, putabant enim Daniæ Reges injustum, Ecclesiasticos viros

eorumq; Antistites potiorem Regnorum partem possidere eamq; qvasi ex jure sibi vindicare. Tenacissimus exinde sui juris cudendi monetam factus videtur Rex *Ericus Menvedius*, qvi etiam fratrem germanum *Christophorum* Ducem Hallandiæ anno 1307. constitutum noluit, si monetam cuderet ullam, prout *Hvitfeldius Chron. Dan. part. 3. fol. m. 334.* memorat.

REGIS CHRISTOPHORI I.
FILII VALDEMARI II.

Tab. XLI.

No. 49. ✠. CHRISTOPHORUS. *Medium numi Coronâ apertâ insignitum est.* REX DANORUM. *In areâ numi crux.*

No. 50. ✠. CHRISTOPHORVS. *C. in medio.*
✠. REX DANORVM. *In intermedio apparet stella.*

Jam sese, ut censemus, offerunt numuli Regis *Christophori I.*, qvi ex testamento Patris Laalandiæ & Falstriæ Dux, neglectâ à populo Daniæ Fratris *Abelis* sobole mascula, in natalitio festo Christi anno 1252. solenniter creatus est Rex & una cum conjuge *Margareta Sambiria*, Pomeraniæ Ducis filia, consecratus. Fuit Rex, qvi Episcopis aliisq; viris Ecclesiasticis maximè infensus erat, & jus regium paulo tenacius sibi vindicaturus cum Archiescopo Lundensium, *Jacobo Erlando* fermè aperto delitigavit Marte. Hinc & inter cæteras, qvas Archiepiscopus idem contra Regem hunc habuit qverelas, de re numaria fuit illa, qvod Rex monetæ puritatem præprimis in detrimentum Clericorum Daniæ, qvi in Academiis exteris artes liberales colebant, depravaverit & literis ad *Johannem Monetarium* Roeskildiæ prohibuerit Archiepiscopo solvere centum illas marcas puri argenti & ducentas veteris monetæ, qvas Rex mutuas ab eo habebat. De cujus summæ solutione eidem Monetario mandatum jam pridem dederat. *Hvitfeldii Chron. Dan. part. 2. folio m. 249.* habent 100 **Mark Lødige Sølf** & 200 **Mark udi gamle Penninge**. Ex qvibus satis constat, Regem hunc Roëskildiæ habuisse ædem monetariam variamq; fuisse Danorum monetam, qvam in novam & veterem dispesci inde à *Canuti VI.* & *Valdemari I.* temporibus ex testamento Lundensis Archiepiscopi *Absolonis* M. S. retrolegimus, qvod ex meo antiqvitatum penu, qvamvis paupere, communicatum sagacissimus *Sperlingius* nostras doctissimis illustravit notis, in qvibus pag. 55. 56. & 103. hos ponit marcarum & denariorum calculos exactos *Marca autem*, inqvit, *argenti, qvæ nobis est* **en Mark Lødie Sølf** *est sedecim semunciarum pondus argenteum, nostrâ monetâ octo unciales thaleros reddens: Aliæ erant marcæ denariorum,* **Mark i Penninge**. *Exstantq; inter marcas hasce marcæ denariorum Scaniensis monetæ, aliæ Siælandensis, aliæ Jutensis seu Cimbricæ monetæ. Scanienses denarii & marcæ Regum Valdemari I. & Canuti VI. temporibus præ pollebant Siælandicis altero tanto & diu post etiam. Qvatuor marcæ donariorum Scaniensium, octo verò marcæ denariorum Siælandensium reqvirebantur ad unam marcam argenti conficiendam, ita ut uncialis thalerus apud Siælandenses id temporis fuerit marca denariorum; Duo verò unciales apud Scanienses marcam denariorum Scaniensium reddebant: Et qvia sedecim denarii faciunt marcam denariorum, videmus*

mus qvemlibet denarium Scaniensem argenteum valuisse hodiernæ monetæ sex asses Lubecenses, atq; sic qvondam æqvales fuisse denariis Romanis; denarios verò Siælandicos dimidio minores. Cimbricam seu Jutensem monetam Siælandicâ vilioris item fuisse pretii exinde persentimus, qvòd *Christiernus* Præsul Ripensis tempore Regis *Erici Menvedii* in diplomate suo, anno 1312. feria secunda post octavas nativitatis Johannis Baptistæ conscripto, memoret, summæ alicujus numariæ solutionem Eqviti *Heine* debitam, qvam Siælandicâ & non Cimbricâ moneta sibi fieri intercesserat prædictus eqves, cujus citam in Dania rei numariæ scientiam Episcopus idem admiratur: nam qvamvis legibus *Ericus Glippingus* anno 1284. constitutum voluerit unam eandemq; harum Provinciarum exstare debere monetam, tamen satis hic & ubiq; liqvet per Regum tempora varia provinciarum monetam diutius fuisse variam. *Novimus,* ait porrò laudatus D. O. Sperlingius pag. 57 & 58. *veteres denarios, qvi pristinæ bonitatis erant, qvoties novi cuderentur sedulò conqvisitos fuisse & ad monetam edictis severis propositis redire debuisse. Sicut mirum non videatur tam paucos numulos veteris monetæ superesse, & qvi supersunt esse ex vilioribus, qvòd præstantiores argentariorum avaritia jam dudum uncis manibus traxerit. Neqve tamen existimet aliqvis, cùm marcas argenti & marcas denariorum hic legit, unum aliqvem numum cusum tunc temporis fuisse, qvi marcam argenti & marcæ pondus in argento repræsentaret, minimè gentium. Supra denarios tunc nulli numi cudebantur, cætera nomina numorum pondus erant, donec tandem civitates Hanseaticæ, Lubeca, Hamburgum, Wismaria & Luneburgum primæ anno 1506. Marcæ nomine numum produxerint marcamq; hanc denariorum ad peculiarem statum redegerint, loco denariorum Schillingos sedecim marcæ huic tribuerint, schillingo verò cuiq; denarios duodecim. Et qvoniam hic erat STATUS MARCÆ LUBECENSIS* numo eidem civitates *prædictæ inscribi etiam curarunt: STATUS MARCÆ LUBECENSIS 1506.* Plura videbis apud autorem eundem, rei numariæ peritissimum. At litigiis inter Regem *Christophorum* Episcoposq; in Dania sic protelatis & hinc inde exortis animorum motibus, tandem Rex idem non adeò difficilem se viris Ecclesiasticis præbuit in Cimbriam seu Jutiam trajiciens, Ripas, ut infausta ista dissidia penitus soporare valeret, se contulit, ubi è medio sublatus narratur, seu dum apud Episcopum Arhusiensem convivio postea excipiebatur, octavo regni sui anno.

REGIS ERICI cognomine GLIPPING, qvi CHRISTOPHORI I. fuit filius.

Tab. XLI.

No. 51. ERICUS REX, *Medium numi gladiolus occupat inter solis stellam lunamq; crescentem.*

In adverso latere.

✠ DANORUM. *Clavis inter trifolia bina.*

No. 52. ERIC. REX *crux qvadrata in medio.*

✠ DANORUM. *Corona aperta in numi areâ.*

Tab.

Tab. XLI.

No. 53. ERICVS REX. *Lilium.*

✠ DANORUM. *Corona majuscula.*

No. 54. ERIC REX. *Crux in medio.*

✠ DANORVM. *Corona minuscula.*

No. 55. ERIC. *Hasce qvatuor literas quadrata crux angulatim habet.*

REX. *Literæ eædem ambiunt trigonum, liliis ornatum.*

Tandem hic sese sistit numulorum qvædam series Regis *Erici Glipping*, qvi ab oculorum freqventiori nictatione sic in historia patriâ cognominatur. Princeps fuit ab ungviculis non minus ac pater ipsius ordine Ecclesiastico offensus, octennem enim imperio à patre destinatum Ecclesiæ Præsules coronare Otthiniæ denegarunt, qvem tamen anno 1260. ætatis suæ undecimo, patre mortuo, inauguratum legimus. Imperio sic admotus matris consultu gessit bella varia & juris Regii æqvè ac pater tenax sæpius anathematis fulminibus fuit expositus ab iisdem viris Ecclesiasticis, donec tandem, ut perhibetur, vitiaverit nobilem fæminam, cujus maritus Stygotus Marescallus conjuratiq; ipsius ipsa Ceciliæ nocte anni 1286. in Jutiæ pago Finderup prope Viburgum Regem hunc ab itinere seu venationibus fessum & qvieti deditum multis & magnis vulneribus interemerunt, septimo supra tricesimū ætatis suæ anno, imperii verò vicesimo septimo. Tanta rerum vicissitudine sub Rege hoc inde à Patre ipsius in Ecclesia exorta, nulli dubitamus, qvin Rex hic, qvi patrissando Episcoporum reditus attenuare conatus fuit, etiam in totum sibi vindicaverit numisma Regium, qvippe Pontificis summi legatus Isarnus legitur Archiepiscopo Lundensi contra Regem *Ericum Menvedum Erici Glippingi* filium jure postea adjudicasse partem monetæ Lundensis, *Christophoro I.* & *Erico Glipping* regnantibus, utpote amissam. In urbium desideria exinde facilior fuisse videtur Rex hic, ex qvarum officinis monetariis prodiisse creduntur numismata qvàm plurima, qvamvis Episcopalia qvædam dari haud negemus, omnia tamen sub auspicio Regii nominis tituliq; procusa: Noluit enim Rex ullam monetam, nisi modo hoc percuti, qvemadmodum ex deprecatione *Valdemari*, Australis Jutiæ Ducis, eidem Regi Neoburgi in Fionia 1236. facta, constat, ubi Dux ille promisit, se nullam Slesvigæ procudere velle monetam, nisi Regis ejusdem nomine & titulo percussam. Fusiùs de his vide *Joh. Isac. Pontani rer. Dan. hist. lib. VII pag. 372. & 373.*

Primùm ergò in tabula hac sub No. 51. positi numuli facies antica nomine tituloq; Regio gaudet circa gladium, secundùm literarum positum, inter solis stellam crescentemq; lunam mucrone deorsum vergentem. In adversa verò numi parte clavis unica eminet inter trifolia duo, qvemadmodum in aliis numis sub ejusdem Regis nomine & titulo percussis, latus idem exhibet claves duas, qvi exinde omnes censentur Episcopales: Protrahit enim *Pet. Resenius in descript. Insulæ Samsoæ pag.* 37. ex Archivis Hauniensibus Episcopale sigillum Præsulis *Petri Bangii*, Roëskildiæ sub Rege hoc, *Erico Glipping*, *Christophoro* item I. & *Abele* sedentis, clavibus binis ejusdem figuræ cum cruce qvadrata signatum, qvemadmodum & in numis Episcoporum, qvi seculo 14. in Daniæ regno procusi habentur, siglis eorundem pedum Episcopale clavisq;

unica

unica additur. Exemplar videbis in tabulâ hac No. 51. Unicâ clave, qvisqvis ille fuerit Epiſcopus, ſui forte voluit ſignari numi adverſum latus, qvòd unum ſit verbi Dei miniſterium, qvo peccata ſolvuntur & ligantur, & proinde una clavis eſt ad aperiendum & claudendum cælorum regnum, qvæ pro diverſitate objectorum itemq; & factorum duplex in qvibusdam numis eſt, ſolvens ſcilicet & ligans, adeo ut etiam numis faſtuoſi illi Præſules tacitè anathematis fulmen in Regem hunc qvoq; vibraverint, qvemadmodum verbis id factum eſſe fuſiùs in hiſtoria patria legimus.

Etiam in aliqva Daniæ civitate Epiſcopali numum, ſecundo loco ſub numero 52. hìc aſſervatum & cruce qvadrata in prima facie ſignatum, cuſum eſſe, non eſt qvòd dubitemus. Ex adverſo latere numus idem habet regni inſigne, coronam nempe, pro ejusdem ſeculi more, apertam. Nullos enim Septentrionis Reges eo tempore geſtaſſe coronas niſi apertas, docet etiam numulus in tabula hâc numero 71. ſculptus, qvi eſt συγχρόνȣ Regis Norvagiæ *Erici* Præſtehadere i. e. Clericorum oſoris. Talem coronarum formaturam, ſplendido Regum ſuccedentium ordine usq; ad *Chriſtiani IV.*, Magni Regis, tempora duraſſe, ex numis & ſigillis eorum qvoq; intelligimus, nam ab eo tempore Patriæ illi Statores priſtinas Daniæ glorias, qvibus Majores ipſorum claruerunt, modo eminentiori inſtaurarunt.

Tertius, qvi hìc numero 53, emicat numus ex parte prima procuſum habet lilium τρίφυλλον, ſeculo duodecimo in numis Franciæ *à M. le Blanc* primùm obſervatum, qvod Profeſſor Gymnaſiii Otthinienſis *M. Th. Broderus Bircherod*, monetæ patriæ perqvam peritus, *Specim. antiq. rei monet. Dan.* inde à ſeculo undecimo ad pag. 60. nobis depromit in ſigillo urbis Otthiniæ in Fionia, qvæ *Adamo Bremenſi in Deſcript. Dan.* dicitur tunc temporis *urbs ſatis magna*: Urbs certè eſt inſignis, elegans & civilitate grata, qvæ ob amænum ſui in Fionia ſitum inſigne hoc pervenuſtum meretur. Qvemadmodum & urbs Suſa Phænicibus dicta fuit ἀπὸ τῶν περιπεφυκότων κρίνων i. e. *à circumnaſcentibus liliis*, & σȣ̃σον τὸ κρίνον ὑπὸ Φρυγῶν λέγεται i. e. *lilium vocatur ſuſum à Phrygibus.* qvod Hebræis eſt שׁוּשׁ. Alii Ripis Phunduſiorum cuſum volunt numulum hunc, ubi in monte liliorum, qvi adhuc exſtat, primum Ripenſis eccleſiæ templum aliæq; ædes publicæ in vicinia olim exſtructæ narrantur: Notum enim eſt ex legibus civitatis ejusdem, Rege *Erico Glippingio* in Dania regnante, in urbe hac exſtitiſſe officinam monetariam ſatis celebrem.

Priſtinum monetæ Danicæ decus ejusdemq; valorem huic Regi ulterius curæ & cordi fuiſſe, etiam lex hæc, in concilio Nyburgenſi in Fionia anno 1284 ab ipſo promulgata, conteſtatur: Then Mynt ther i Sielandt ær/ſcal wære ſo got ſom then ther i Jwtlandt ær. h. e. *ejusdem valoris & bonitatis debet eſſe moneta Sialandica atq; Jutenſis ſive Cimbrica*; Regi verò huic, variis regni negotiis ſubditorumq; inſidiis obruto, non diu poſtea ſuperſtiti, monetam pondere & bonitate coæqvare, qvod ſciam, vix contigit. Scanienſi interim monetâ, utpote qvæ cæteris in Regno Daniæ præpollebat, ſolutiones numarias inprimis factas, in *Chronicis Dan. Huidtfeldii* ex ſtipulationibus ubiq; percipimus, niſi qvod ibid. *pag. m. 360.* meminerit *Chriſtiernus* Epiſcopus Ripenſis, exſtitiſſe eqvitem nomine *Heine*, qvi tempore Reginæ *Agnetæ*, qvam *Ericus*

Glippingius duxerat, ursit, sibi alicujus summæ numariæ solutionem Siælandica & non Cimbricâ monetâ fieri, qvas qvidem coæqvandas Rex idem prædicta lege sancivit.

REGIS CHRISTOPHORI II.

Tab. XLI.
No. 56. CHRISTOFOVS. *Crux qvadrata.*

Ex adverso:

✠. REX DANORVM. *Duæ columnæ, siglæ seu numerus binarius.*

Nullis numorum, qvod sciam, in muséo hoc repertis, qvi sunt Regis *Erici VII., Mendved* ob id dicti, qvòd cùm qvicqvam assertum vel negatum vellet, verbis suis ut plurimùm adjicere solitus erat: Ja Mænd & Nen Mænd/ accedimus jam ad numulos fratris, qvi in historia patria *Christophorus* ejus nominis est *II.* Hic Dux *Esthoniæ* & justus fratris hæres ad gubernacula Daniæ anno 1320. promotus ob denegatum censum, qvem subditis usq; ad decimas redituum omnium imperavit, ut fratris persolveret æs alienum, varias hinc simultates inter se subditosq; suos ciebat, qvi & exsul continuò est factus. Imperio deinde restitutus antiqvum obtinuit, qva de re tandem aliqvando à subditis, vicinorum ope, conjectus est in vincula, qvibus vix elapsus Nycopiæ in Falstria anno 1331 occubuit. Nec huic temporum immanitati rem monetariam in Dania penitus succubuisse, exinde colligimus, qvòd annales nostri, Rege *Christophoro II.* meminerint, ædes monetales & Londini Scanorum & Ripis Phundusiorum exstitisse perqvam celebres: Scanoræ itidem & Londini tempore fratris ipsius *Erici Mendvedii* qvoq; fuisse erectas officinas nobis etiam autor est *Hvidtfeldius* nostras *pag. m. 405.* qvam Rex Londini, totâ Scaniâ Domino *Ludovico Alberti ab Eberstein* oppignoratâ, sibi reservavit & *pag. 442.* Rex *Christophorus II. Johanni* Comiti Holsatiæ, ob sibi in exilio latas suppetias indulsit privilegium flandi & feriundi numos Saxcopiæ in Lolandia. Tot & tantis in Dania sancitis monetis, magnam ejusdem Regis congeriem numorum, qvamvis turbulentis temporibus, ex eisdem officinis profluxisse non dubitamus. Numus, qvem hujus Regis sub No. 56. attulimus, est moduli conspicui, qvi major cæteris Regum antecedentium numismatis aliqvalem sibi exinde acqvirit splendorem, qvamvis sit tantùm non æris Cyprii. Columnas in postico habet duas, eodem modo, qvo posteri ipsius, Reges *Valdemarus IV.* & *Olaus V.* in numis eorum cudi curarunt, binis his numeris, nî fallor, numi pretium significantibus: Duas enim oras & leges Siælandicæ & Cimbricæ loco mulctæ sæpius ponunt; Antiqvitus verò oram fuisse numisma computatitiũ & non cusum *H. Spelmanno* & *Sommero* qvidem suffragamur, qvomodo *Haqvinus Magni* filius una cum *Magno Baerfood* seu *Nudipede* Rex Norvagiæ constitutus anno 1093. remisit *Noruagis Land-oram.* h. e. numariam qvandam solutionem, qvam incola qvivis, regno egrediens, solvere tenebatur; Et in legibus Danicis, Sagefalds-Øre certam pecuniæ summam, 2½ unciales valentem, denotabat, sed eam non minus atq; marcam denariorum, à limitata denariorum summula sic denominatam, cum tempore exstitisse cusam nulli dubitamus. Hinc & *Ostersonius* nostras l. c. Oras dispescit in eas, qvæ

qvæ argenti ſunt & qvæ denariorum numerantur, computatq; unam Oram argenti valere $2\frac{1}{2}$ Oras denariorum, qvæ jam conficiunt $7\frac{1}{2}$ aſſes ſeu ſchillingos nobis uſuales, & calculis ita poſitis, duæ oræ denariorum facient jam Danicos aſſes qvinq;. Numulum autem noſtrum hìc luci expoſitum tanti pretii, cùm mediocris ſit bonitatis, vereor deputare, mentionem enim eodem loco injicit *Oſterſonius* noſtras vilioris numuli, Ørtugæ ſcilicet, qvam diſtingvere videtur in novam & veterem & calculum ponit, novæ monetæ Ørtugam tantùm conficere duos albos Danicos, ſeu trientes, veteris verò monetæ Ørtugam ſesqviaſſes uſuales Danicos, cujus pretii numisma hocce potius eſſe autumamus, niſi politioris doctrinæ lector maluerit, Regem hunc Oræ puritatem in tantum depravaſſe, ut eò citius fratris demortui perſolveret æs alienum provinciasq; hinc oppignoratas regno reſtitueret, in cujus uſum ſubditi ipſius cenſum impoſitum denegaverant, prout antea meminimus.

VALDEMARI IV.,
qvi filius eſt CHRISTOPHORI II. & cognomine ATTERDAG.

Tab. XLI.

No. 57. VALDEMARUS. *In medio numi.*
IJI In averſa:
REX DANORUM. *Crux qvadrata in numi averſâ areâ.*

No. 58. VALDEMARVS. *In numi intermedio* II.
DANORUM REX. *Crux item qvadrata.*

No. 59. ✠ VALDEMARVS. *In medio numi* O.
✠ REX DANORUM. *Crux eadem.*

Poſt obitum *Chriſtophori II.* Dania ſuo exitio per ſeptennium multas exantlavit ærumnas, dum provinciarum Dominatores potius ex pignore loculos ditare, qvàm hoſtes, regni lacinias hinc inde abſcindentes, arcere voluerunt. Legitimum igitur Regis *Chriſtophori II.* hæredem *Valdemarum*, qvi exſul aulam Imperatoris *Ludovici Bavari* non ſine induſtriæ laude ſeqvebatur, ad Regni gubernacula Daniæ cives revocabant, ut ſibi impoſitum excuterent jugum. Anno 1340. redux primùm Daniæ provincias in partes plures, veluti Penthei artus, diſſecatas hoſtium manibus extorſit, qvas unacum oppignoratis, aut pecunia aut pactionibus à ſe redemtas, generoſo animo in unum paulatim reduxit, omnes exterorum dominationibus exhauſtas. Qvomodo & Balthici maris ejusq; inſularum dominium vindicavit ſibi, præſcribendo identidem Holſatiæ, Saxoniæ, Vandaliæ Hanseaticisq; urbibus easdem leges, qvas ſubditis Daniæ antea dare non ſunt veritæ. Tandem in arce Gurrea, cujus adhuc prope Helſingoram in Siælandiâ rudera oſtenduntur, podagra laborans die Criſpini & Criſpiani, qvi fuit 25 Octobris, anno 1375. rebus humanis exceſſit, ipſius verò imperii trigeſimo qvinto.

Funeraliis poſt celebratis in ædem cœnobii Sorani juſſu filiæ Margaretæ

 trans-

translatum eſt funus, ubi ſub tumba, ex marmore exſtructa, qvieſcit. Regi huic ob tritum ipſius proverbium, qvotidiano ſermoni adhibitum **Atterdag**, cognomentum **Atterdag** hærebat, qvo innuere voluit, iterum inſtare diem, nec omnes ſoles omninò occidiſſe. Cedebat tempori & plura conſilio qvam vi gerebat, utpote qvi egregiis dotibus undiqvaq; præditus erat, qvæ induſtriam, vigilantiam atq; animi ejus adverſus tot incidentes caſus invictum robur declararunt, & hinc tempus diesq; ipſi, poſt tot exantlatas ærumnas diu ad clavum imperii ſedenti, multa revelavit.

Monetarias res qvod attinet, Rege hoc omni induſtriâ regnante, monetæ exſtitêre variæ. Anno 1355. Rex *Valdemarus* in arce Wrangſtorp die S. Olai qvædam inſtituit comitia, in qvibus Hiſtorici noſtrates meminerunt de re numaria decretum factum publicatumq; qvòd emendæ Regi, ſupremo judici, ſecundùm leges patrias debitæ, duplicarentur, ut vel eo citius qvoq; Rex hic provincias, Principibus exteris jam diu oppignoratas, redimeret. Cui bono etiam cenſemus, anno ſeqventi, eundem Regem monetam imminuiſſe novamq; cudi feciſſe, qvando *Hvidtfeldius* noſter *pag. m.* 511. *Chronolog. Dan.* narrat, eum, ob æneam pro argentea ſubſtitutam, malè audiiſſe.

Primum ergo, qvi ſeſe hìc offert No. 57. qvidam ex illis eſſe perſentiunt, qvi ex metallo mediocri cuſi, majorisq; pretii ſunt deputati, qvàm cæteri, qvare & trinis inſigniti videntur columnis, numuli valorem fortè denotantibus, qvemadmodum aliqvi binis percuſſi habentur. Ex qvibus monetam imminutionis & mutationis à Rege hoc factæ etiam arguunt.

Columnas duas, qvibus numus No. 58. ſignatus in averſa ſeqvitur, qvodammodo illuſtratas videbis in numi *Chriſtophori II.* deſcriptione, cætera ejusdem ſunt tenoris, atq; proximè præcedens numulus. Nec aliud de columnis hiſce, qvibus numuli ſignati ſunt, dicere in promptu erat, cui acqvieſcendum, donec ſe melior obtulerit illuſtratio, niſi qvis maluerit deletâ jam Epiſcoporum memoriâ in numis, ſiglis his denotari nomen Monetarii cujusdam, ſub Regibus *Chriſtophoro II.*, *Valdemaro* hoc & *Olao V.* Roëskildiæ aut alibi in Dania degentis, cum in numis horum Regum eædem exſtent columnæ, juſto tamen pretio numis deputato: *Johannem* qvippe monetarium Regem *Chriſtophorum I.* Roëskildiæ habuiſſe *Hvidtfeldius pag. m.* 249. narrat, qvem ejusdem nominis juniorem poſtea ſub Regibus his vixiſſe, haud refragamur. In aprico qvidem eſt, nullos iis temporibus apud exteros Reges duces aut populos, qvod ſciam, dari numos columnis his, pretii loco ſignatis, ne qvidem in urbibus Hanſeaticis, qvæ, ut *Crantzius in Vandalia* ſua *c.* 38. *lib.* 12. ait, *uno pondere â longa memoriâ monetam habuêre* & qvarum magiſtratus in fingendis & corrigendis numis, ſumma ſemper incubuerunt cura, Regesq; & Principes vicinos tandem exemplum ſeqvi ſuum fecerunt. Nec hoc adeò obſtare videtur, nam qvemadmodum *Crantzius* loco citato ſubindicat, civitates has anno 1468. nec dum potuiſſe adducere Reges & Principes vicinos in eam ſententiam, ut numos cudi facerent, in earum exemplum, & expreſſis ibidem dicit verbis: *Minoris ſemper fuêre in vicinis provinciis argentei numi*, & paulo antea: *Sed non poterant*, (urbes) *occurrere malis, qvæ prævenire cupiebant:* Ita qvoq; exinde certò colligere licet, Reges noſtros, cum qvibus civitatibus his multæ tunc exſtitêre ſimultates, in ſignandis numis earum mores antiqvitus

etiam

etiam non ſecutos eſſe. Nec *Magnus* Dux Megapolenſis, qvem vicini Principes ſecuti ſunt prius qvam initio ſeculi XV. *conſtituit æqvare malleum ſuum, urbibus in moneta Lubecenſibus concurrentibus*, prout laudatus *Crantzius lib. 14. cap. 22.* memorat.

Tertius, qvi inſeqvitur, æqvè ac proximè antecedens, fermè argenteus eſt, juſtiq; exinde cenſetur eſſe pretii. Præter ſolitam inſcriptionem in latere primo, qvod calcographi incuriâ hic inverſum eſt, habet in medio O magnum ſeu monaſticum, ex qvo conjectare qvidam præſumunt, numisma hoc ſub Rege eodem procuſum fuiſſe Otthiniæ in Fioniâ. Qvi verò melius cenſere videntur, litera O initiali indigitari autumant Ortingiam, aliàs Vordingburgum, ſeu Oringborg, nobis antiqvitus dictum, cùm multum negotii fuerit Regi huic in loco illo, ob comitia & Regia ſtatuta aliàs ſatis celebri: Arx qvippe fuit Regum Daniæ qvondam munitiſſima, cujus tractus, autore *Hvidtfeldio* noſtro *p. m. 526.* Regi *Valdemaro IIII.* adeò jucundus fuit, ut ibi commorari maximè amaverit, magnificeq; arcem hanc inſtaurari & ampliari fecerit, urbem ampliſſimam potius, qvàm arcem, exædificando, monetariâ officinâ perdignam. At vidimus qvoq; numulum hujus Regis ex adverſo literâ M rotundâ ſeu monaſticâ inſignitum, qvi præterea ejusdem eſt inſcriptionis atq; cæteri, æri hîc inciſi. Qvi rem hîc acu tetigiſſe ſentiunt, aliqvo modo ſurſum vertunt literam hanc & ex ea formant E, qva *Erici* Epiſcopi Otthinienſis, nobili Krabbiorum proſapiâ ſati & ſub Rege hoc Otthiniæ ſedentis, nomen exprimere ſatagunt: Si verò penitius mecum inſpexerint numulum, videbunt, lectionem in area ejus eſſe incipiendam ſecundùm crucem ante literas in orâ ejusdem numismatis poſitam, qvemadmodum in numis antiqvis ubiq; lectio ſic inſtituenda, unde litera monaſtica M. ſeſe nobis hic ſponte offeret. Et charactere hoc congruenter jam eruto, dijudicare non minus difficile erit, qvid eâ monetarius voluerit indigitari, cùm nec civitatis nec Epiſcopi cujusdam, jure cudendi numos gaudentis, nomen, à litera M. incipiens, *Valdemaro* hoc regnante, detur. Malmogiæ opidum, qvod anno 1319, necdum cæpit radices agere èq; ſolo & fundamentis tunc primùm fuit eductum, indigitari hoc charactere, vereor ſtatuere, cùm à Rege hoc *Valdemaro* eadem urbs anno 1360 tantùm exornata legatur ea prærogativâ, ut ipſi per Daniæ Regnum ſua negotia immuni liceret exercere, & de monetâ ibi altum ſit ſilentium. Igitur pace antiqvariorum perſvademur, mentionem gratam & glorioſam hic injici *Valdemari* filiæ, Reginæ *Margaretæ*, qvæ hæres Regni Daniæ anno 1353. nata, *Haqvino* verò Regi Norvagiæ anno 1359. deſponſa, anno 1363. matrimonio ei juncta eſt, anno ætatis ſuæ decimo. Et qvemadmodum ad numum *Valdemari* hujus literâ O ſignatum in *Muſei Regii* deſcriptione antecedenti dicitur, eâ indicari nepotem ipſius ex *Margareta* filia, qvem ſucceſſorem exoptaverat, qvia in numis *Olai*, qvi ſeqvuntur, literâ O Regis ejusdem nomen certè innuitur: Eodem modo in *Margaretæ* numis ex literâ M Reginæ hujus nomen, uti & hic in numis ex literis O & M. *Valdemari* exoptatorum ſucceſſorum nomina antiqvarii noſtrates eruunt, id qvod etiam ex ſiglis Epiſcoporum in numis, *Olao* & *Margaretâ* etiam regnantibus, liqvidò conſtat. Anteſagire numis ſuis *Valdemarus* hîc videtur, conſummatæ virtutis ſobolem hanc ſuum poſſeſſuram eſſe ſolium, qvi aliqvando conſiderans filiæ virtutes maximas, prolocutus eſt, *in illa na-*

turam aberrasse, fœminamq; protulisse, postqvam virum statuisset Nec procul à stipite pomum cecidit, cum *Olaus Margaretæ* ejusdem filius, etiam *Valdemaro* superstite, tantæ exstiterit indolis, ut utriusq; Regni, Daniæ & Norvagiæ perdignus censitus fuerit Princeps. Seqvuntur jam numismata

REGIS OLAI nomine V.

Valdemaro IV. mortuo in filiæ ipsius, *Margaretæ*, & *Haqvini* Regis Norvagiæ filium *Olaum* tandem post varia dissidia populus Proceresq; Daniæ consensêre, qvem decennem & qvod excessit, die inventionis crucis, Slaglosiæ in comitiis suis anno 1376. Regem salutarunt, præsentibus *Olai* parentibus spectatissimis. Anno seqventi leges constitutionesq; suas, qvibus se subditosq; teneri voluit Rex, Matris *Margaretæ*, Danicæ illius Semiramidis, consilio & ope circa ineuntem Junium Nyburgi in Fionia promulgavit, ut curam legum regniq; summam sibi fore testaretur. Præsuli Lundensi tum qvartam partem cusæ ibidem monetæ inter tot liticulas antecessoribus ipsius, ut antea narravimus, â Regibus demtam, attribuit, more nempe, ut in historia patriâ additur, dudum usitato. Exinde monetam vitam spiritumq; fortiorem sumpsisse, qvæ ab hoc Antistite etiam corrobarari cæpit, nulli dubitamus, & ex eadem monetæ officinâ Metropolitanâ allati qvoq; numi partim prodiisse videntur, qvi ex medio sive mixto metallo hîc æri incisi exponuntur luci.

Tab. XLI.

No. 60. O. REX. *Crux ex quatuor foliolis, ut apparet, composita, qvæ angulatim literas præcedentes habet circumscriptas.*

In aversa:

DANORUM. *Ambiunt literæ hæ duas in medio columnas.*

No. 61. O. REX. *Qvatuor sunt literæ, qvæ angulos qvatuor crucis singularis, qvasi ex qvatuor pugionibus compositæ, occupant.*

In latere adverso:

I. A. *Inter siglas hasce lituus clavisq; Episcopalis eminent.*

Numulus, qvi ultimo loco hic ponitur, nullius nisi Præsulis cujusdam sub Rege hoc sedentis esse, insignia episcopalia satis clarè indicant, nec ulli Episcoporum, aut in Dania aut Norvagia sub Rege hoc sedenti, secundùm siglas, qvod sciam, attribui poterit, qvàm *Jonæ Asloensi*, qvem, Rege *Olao* regimini Norvagiæ inaugurato, anno 1381. suspestitem & præsentem fuisse narrant *Chronica Norvagica pag. m. 850.* Nec in qvemcunq; Episcoporum Daniæ, Rege *Olao*, sedentem, characteres hi aptius qvadrant, cognomen enim nomini suo in numis, sigillis aut diplomatis vix addere solebant Præsules illi, qvemadmodum & *Nicolaus Stygoti*, qvi *Valdemaro II.* & *Erico* Plogpenning regnantibus, Roëskildiæ sedit, in numis nomini solùm adjecit, cujusnam loci Episcopus esset, cognomine omisso, & *Jacobus Erlandi*, *Erico* eodem Rege, in numorum adversa parte nomen suum tantùm procudi fecit, absq; cognomine aut muneris titulo, uti antea idem probatum dedimus. Et si qvæ nominibus horum Antistitum additæ fuerint denominationes, illæ certè petebantur à sede metropolitana, ut: *Nicolaus* Roëskildensis, *Tycho* Ripensis, *Petrus* Otho-

thonienſis & hic *Jonas Asloenſis*, ſcilicet Epiſcopus. Et ſic per ſeptennium poſtea Princeps hic ſupra ætatem prudens imperium utrumq; Danicum ſcilicet & Norvagicum pacis, juſti atq; æqvi amans omni induſtriæ laude tractavit, qvi conſilia Matris ſenatorumq; qvos comites plerumq; ſibi habebat, perbenignè admittebat. Falſterboæ ſuum præmaturè obiit diem anno regni duodecimo, vitæ viceſimo ſecundo, longiore vitâ dignus: Viſcera ipſius pro more ejusdem temporis Lundini Scanorum in æde Divi Laurentii, qvam multis modis exornare gaviſus eſt, depoſita ſunt, corpus reliqvum verò in Soræ cænobium translatum ibiq; ſub epicedio illuſtri conſecratum jacet, cum qvo Regum Daniæ & Norvagiæ ſoboles maſcula, antiqviſſimâ proſapiâ nata, deſiit.

REGINÆ MARGARETÆ
WALDEMARI Filiæ

Numos qvod attinet, ex annalibus patriis percipimus, eos, Reginâ hac ad ſeptentrionis gubernacula ſedente, in Daniæ provinciis interdum fuiſſe admodum raros, qvare & eo minus nobis jam obvii ſunt. Proinde qvoq; in legibus, qvas, anno 1396. feria ſecunda proximè ante feſtum Converſionis: S. Pauli promulgavit Wiburgi in Jutia, teſte *Hvidtfeldio pag. m. 7.* maximè conqveſta fuit monetæ Danicæ penuriam in Regni Provinciis, mandatq; ibi argentum cenſuale ex qvalibet domo, denarios ſcilicet grandiores octo (Angli *Groſſos* ſeu *Groats* vocant) recudendos anno eodem in ſuppetias ſibi ferri. Satis exinde etiam colligere licet ob monetæ indigenæ defectum, peregrinam tunc freqventius in uſu fuiſſe, præſertim Anglicanam, qvâ res magni pretii coemtas in hiſtoria patria ſæpius legimus: Gothlandiam qvippe à Teutonicorum eqvitum poteſtate anno 1408. perſolutis aureorum Anglicanorum novem millibus recuperavit Regina hæc, in Regnorum commoda perqvam intenta.

REGIS ERICI VIII.
ſeu POMERANI.

Tab. XLI.

No. 62. ERICUS REX D. S. N. *Corona Regis aperta. Siglæ D. S. N. denotant tria ſeptentrionis regna, ſcilicet Daniæ, Sveciæ & Norvagiæ, qvorum fuit Rex.*

In adverſa Numi:

✠ MONETA NESTVED. *Crux qvadrata.*

No. 63. ✠ MONETA RANDE. *Regii Nominis character coronatus.*

* IN NOMINE DOMI. * *Circa crucem qvadratam.*

No. 64. * IN NOMINE DOMI * *Eſt ſymbolum Regis, qvod ambit Crucem itidem qvadratam.*

MONETA OTTOIS. *Qvod eſt:* Otthonienſis. *Regis ejusdem ſigla Coronata.*

No. 65. * MONETA * ODENSE. *Regii nominis ſolita nota coronata.*

In

In adverſo numi latere.

* IN NOMINE * DOMI. *Symbolum hoc qvoq; ambit Crucem.*

Tanta, ut diximus, *Margareta* in ſeptentrione noſtro regnante, monetæ indigenæ penuria in Daniæ provinciis exſtante, ſtilum transferamus ad Regis *Erici Pomerani*, Pronepotis ipſius ex ſorore *Ingeburga*, numismata in muſeo hoc depoſita. Fuit hic Rex Reginæ *Margaretæ* ſedecennis ſocius Regni, qvi anno 1396. adoptatus & imperium poſt obitum *Margaretæ* per 26 annos tractans re expertus eſt, Magnæ illius Semiramidis Septentrionalis conſilio ſe fuiſſe deſtitutum. Matrimonio ſibi anno 1406 adjunxit Principem prudentisſimam, *Henrici IV.* Regis Angliæ filiam, qvæ immenſi auri dotem ad Sponſum hunc detuliſſe fertur. Memorant enim Annales Svecici, teſte *Hvidtfeldio pag. m. 629.* dotis numum tanti fuiſſe ponderis, ut aliqvot millia aureorum æqvaverit. Una verò an fuerit maſſa ſignata aut non ſignata, qvæ dotis hìc dabatur, aut ex pluribus conſtiterit ſegmentis, qvæ ad trutinam examinata tantam confecerunt ſum̃am numariam aureorum Anglicanorum, ſive dotis loco numi hi fuerint numerati, non adeò apparet. Verum tamen eſſe qvidam perhibent, fuiſſe Principem Gallicam, qvæ etiam dotis numum ſponſo, Regi Angliæ, aliqvot centena millia pendentem attulit, qvem auri maſſam potius ex lege jur. *Qvotiescunq; 27 C. de Suſcept.* Autor anonymus doctiſſimæ *Lucubrationis de veteris Numismatis Potentia & Qvalitate*, nuperrimè Lipſiæ & Francofurti impreſſæ, nominat. Interim in confeſſo eſt, permagnam in Dania biennio poſt exſtitiſſe copiam aureorum Anglicanorum, qvorum 9 millibus anno 1408. Gothlandiam è manibus Teutonicorum Eqvitum redemtam fuiſſe, antea narravimus. Poſt mortem Reginæ *Margaretæ* tandem Rex idem contra Holſatos Duces litem ciere coactus eſt ob Slesvicenſis Ducatus homagium, ſibi ab iis non præſtitum, qvod ad Daniæ regnum pertinere Cæſar *Sigismundus*, in cauſa hac Arbiter factus, pronunciavit. Litis ejusdem gratia Rex *Ericus* etiam Budæ Imperatorem ſalutavit anno 1424, ut una eademq; opera ſacra Hieroſolymitana deinde viſitaret, ſed à Præfecto curſus publici in itinere Hieroſolymitano detentus, magnum ſubditis extorſit cenſum, ne Sultano traderetur. In regnum rediens contra pertinaces Holſatos anno 1425 arma ſumpſit, & per idem tempus memorant annales noſtri, Regem hunc pecuniam ex ære Cyprio vilem admodum cudi feciſſe, qvare apud omnes famâ laborare cæpit, qvam ut emendaret *Philippa*, Regina ipſius, eodem ſub typo, Rege neſcio, aliam & meliorem monetam fieri curavit, autore *Hvidtfeldio pag. m. 726.*

Melioris qvoq; metalli, attamen mixti, numus eſt, primo loco ſub No. 62 hìc poſitus, qvem, imperante *Erico Pomerano*, ex officina monetaria Neſtvedenſi prodiiſſe, coronâ ejusdem Regis ſignatum, ad oram numi in adverſo latere legimus. Oppidum Neſtvedia fuit in Sælandia, Rege etiam *Erico Glippingio*, ſatis magnum, ad exiguum maris Balthici ſinum perqvam amœnè ſitum, cujus ædem Divo Petro ſacram, una cum urbe anno 1271. deflagrantem memorat toties laudatus *Hvidtfeldius* noſtras *pag. m. 274.* Propugnaculo munitum hoc emporium qvoq; erat anno 1345, jam pridem Holſatis oppignoratam, *qvi ſuis impenſis munitionem ibi poſuerunt, eoq; bona ſua transferri curarunt*, prout *Joh. Iſacius Pontanus Rer. Dan. hiſt. lib. 7. p. 474.* narrat, ut

tuti-

tutius ibidem fortè etiam nundinarent. Sed munimento hoc per idem tempus poteſtatis Danorum facto & deſolato non minus commerciis increſcere cæpit Urbs eadem, qvæ ſodalitio mercatorum olim perqvam clara (qvod nobis **Compagnie** dicitur) etiamnum plateam habet ab eo **Compagnie-Stræde** denominatam, in cujus ſitu officinam monetariam erectam fuiſſe nobis ex actis Civicis urbis ejusdem certò traditur. Et Inſcriptio in utroq; numi latere nos certiùs docet, monetam Neſtvediæ viguiſſe tempore Regis *Erici Pomerani*, cùm alius *Erici* numulus non eſſe poſſit, niſi Pomerani, qvi ſolus trium Regnorum ſeptentrionalium, Daniæ, Sveciæ & Norvagiæ hìc inſcribitur Rex, cujus cæterorumq; Daniæ Regum indultu rerum commercia in emporio hocce, qvamvis mari non adeò conterminum ſit, in tantum accrevêre, ut etiam anno 1531 navem bellicam, 60 viris armisq; neceſſariis inſtructam, qvæ pro eo tempore non inter minimas cenſebatur, urbis Slagloſiæ ope in conflictum emittere potuerit: Vide *Hvitfeld. p.m. 1356.*

Inſeqventes numulos levidenſes admodum & cupreos, qvi ſub No: 63. Randroſii in *Cherſoneſo* noſtra, No. verò 64 & 65 Othiniæ in Fionia percuſſi hìc luci exponuntur, eidem Regi adſtruimus, qvippe *Ericus* hic ſolus Rex ejus nominis eſt, qvi in annalibus noſtris ob vilem notatur monetam, qvam cudi fecerat, & inſcriptionum literæ ab iis, qvæ in numis antecedentium Regum ejusdem nominis dantur, multum diſcrepant, magisq; conveniunt in literarum formaturis proximè præcedentis numi, qvi nullius niſi Regis *Erici Pomerani* eſt: Nec præterea deprehendimus, ſiglas Regum coronatas prius fuiſſe uſitatas, qvàm in hujus ſuccedentiumq; Regum Daniæ numis. Laudat qvidem *Bircherodius Specimin. antiq: rei num. Dan. pag. 128.* Regium *Chriſtiani I.* diploma M. S., ex qvo conſtabit Othinienſium monetarias ædes à Magiſtratu ſub *Erici Pomerani* temporibus fuiſſe divenditas, attamen non exinde ſeqvitur, monetam, *Erico* hoc regnante, Othiniæ in totum fuiſſe abrogatam, cujus pravitatem Magiſtratus fortè pertæſus omnimodo anniſus eſt, ut monetaria officina deſtrueretur, ædesq; divenderentur, qvarum parietinas, **Mynte-Gaarden** dictas, Othiniæ adhuc reſtare nobis traditur, à qvibus urbis ille tractus, in qvo jacent, Danicè adhuc dicitur **Mynte-Strædet**/ i. e. vicus monetarius. Hinc & ejusdem farinæ numulos permultos Othiniæ, alibiq; *Erico* hoc regnante procuſos nobis anno 1688 ſingularis detexit caſus, qvem laudatus *Bircherodius l. c. pag. 127.* ita enarrat: *Civis qvidam Urbis noſtræ Othiniæ cùm collapſas ſuas reficeret ædes, & fundamentum earundem repararet, incidit die nono Martii in copiam numorum ſatis numeroſam. Poſſeſſor autem olim æris hujus ocream vel tibiale aliqvod his impleverat numis & in terram repoſuerat. Superveniens autem incendium forſitan aliqvod hoc, qvicqvid fuerat, integumenti conſumpſerat, & incluſum æs in maſſam pedis inſtar effigiatam redegerat, ut vix aliqvot à reliqvo corpore ſeparari & integri avelli poſſent.* Ab eadem maſſa avulſi etiam hìc dantnr numuli ænei ejusdem formaturæ, qvemadmodum & hujus Regis in Svecia Stockholmiæ, Aboæ & Aroſiæ procuſi fuêre numi, qvi ex mixto conflati ſunt metallo. Tandem imperium Septentrionale Rex ille pertæſus, ob affectum ſubditorum in dies ſibi imminutum, ſe in Gothlandiam ſubduxit, correptis regni Daniæ theſauris & Roeskildiæ ædis primariæ ornamentis qvàm pretioſiſſimis, ſtatuis ſcilicet Apoſtolorum Chriſti aureis, qvæ trimulo, teſte *Cl. Lyſchandro in Synopſi hiſt. Dan. pag. 242.*, haud fuêre minores. At

cùm decennium ibi exegiſſet & à Svecis, inſulæ & theſauro inhiantibus, graviter infeſtaretur, arcem metropolimq; inſulæ Danorum poteſtati ſponte tradidit, in Pomeraniam trajecturus, qvi in trajectu eodem duas naves cimelio ſuppellectileq; prætioſiori onuſtas amiſit. Rygenvoldiæ, in Pomerania tandem appulſus totidem annos ibi conſumpſit, & ſic cum per tempus vicennale Trionum faſces duorum Regum *Chriſtophori Bavari* & *Chriſtiani I.* Oldenburgici manibus poſt ſe verſatos vidiſſet, ſine liberis, ibi vita exceſſit anno ætatis 74. poſtqvam imperium boreale cum Regina *Margareta* 16, ſolus verò 26 annos tenuerat, inſeqventesq; annos viginti privata triverat ſorte. Bochoviæ deinde eſt ſepultus. Rex fuit admodum doctus, ſed minus felix, qvi hiſtoriam gentis Danicæ latinè contexuiſſe dicitur, in qva multa habemus, qvæ alibi neqvicqvam qværamus. Jam ad numulos

REGIS CHRISTOPHORI III.
ſeu BAVARI.

Tab. XLI.

No. 66. CRISTOFER. D. GR. REX DACIE. *Trini leones in ſcuto, Daniæ inſignia antiqva.*

In adverſa:

GLORIA IN EXCELIS DEO. *Clypeus, qvi eſt qvadripartitus, Leonibus Palatinis & rhombis Bavaricis exornatus.*

No. 67. CRISTOP. REX D. S. N. *Character nominis Regii, trifolio ſupernè in nummo exornatus.*

MON. MALMOIENS. *Scutulum cruce, latius ſe expandente, inſignitum.*

No. 68. CRISTOFER REX DACIE. *Regis ſigla coronata.*

MONETA MALMOIENS. *Scutulum, cruce eadem, ſeu Danebrogica, ſignatum.*

Erico Pomerano hunc in modum imperii faſces relinqvente, *Chriſtophorus*, Comes Palatinus Rheni & Bavariæ Dux, *Erici* ex Sorore *Sophia* nepos & Regis *Valdemari IV.* ex filia *Ingeburga*, matre ejusdem *Sophiæ*, abnepos, utpote ſucceſſioni proximior ad clavum imperii à Daniæ Senatu invitatur, & apparatu magnifico Lubecæ exceptus anno 1439. in Daniam proficiſcitur. Poſt varias diſceptationes ſeptentrionis regna, eo præſente, ſub fœdus & unionem antiqvam demum ſunt redacta. Et ruſticorum ferocia in Cimbria anno 1441 ab eo coercitâ, primùm anno eodem Sveciæ Rex ad Moraſtenium, uſitato gentis more, ſalutatur. Asloæ Norvagorum anno ſeqventi itidem conſecratus, tandem in ipſo principio anni 1443. Daniæ Regno ſplendidius Ripis Phunduſiorum inauguratur, coronâq; à Præſule Lundenſi ibidem inſignitur, operam Germaniæ Principibus Magnis præſtantibus, qvippe enſem Regium gerebat Dux Slesvicenſis; ſceptrum Sileſius, pomum Bavarus & coronam Brunsvicenſis. Poſt hæc habiti ſunt ludi eqveſtres maximè conſpicui, & è nobilitate præcipuâ viri ſeptuaginta duo inter eqvites ſunt relati, qvorum juramen-

ti

ti verba in *capsa Cypriani ord. 2. in qvarto Bibliothecæ Universitatis Havniensis*, prout tunc temporis in more positum erat, sic jacent:

Jeg bether mig saa Gud hielpe / Jomfrue Maria / Sancte Knut / Sancte Erick oc Sancte Oluf / at jeg wil efter min yderste Mact meth Lif oc Gods beskiærme then hellige Christne Tro oc Evangelium oc holde oc verie Kircken oc henne Tiænere ved syn Frihed oc Frælsæ. Stande moth Uræth / oc styrcke Frid oc Ræt / oc beskiærme Fatherløse oc Motherløse Børn / Jomfruer / Enkiær oc arme Folck; oc være trygger oc tro min Konninger / oc myn Rige. oc rætfærdeligen holde oc giøme mit Ridderskab / Gud til Hether efter min beste Formuge. Saa hielpe mig Gud oc Helghene! h. e. *Ita me Deus juvet, Virgo Maria, S. Canutus, S. Ericus & S. Olaus, promitto, me viribus omnibus defensurum esse Christianam Religionem & Evangelium, protecturumq; Ecclesiam ejusq; ministrorum immunitates & velle aversari qvicqvid injustum, justumq; & pacem firmando, orphanos, virgines, viduas, pauperes omnes adjuvare, fidumq; me fore Regi meo & Regno, & justè servare decoreq; custodire meum ordinem eqvestrem, qvoad potuero in Gloriam Dei. Ita me Deus & Sancti adjuvent!* His ita, ut in talibus fit, magnâ pompâ peractis, numum hunc primo loco sub No. 66. positum in Dei Gloriam reiq; memoriam Ripis ex officina monetaria qvoq; prodiisse suspicamur, qvi majoris moduli est, atq; tunc temporis in septentrione assolebat, ideoq; & solennissimo actui huic dicatus censetur cum votiva acclamatione seu symbolo Regio: GLORIA IN EXCELIS (pro Excelsis) DEO! Nam & in hac Phundusiorum urbe, etiam ante annum *1269*, erectas fuisse ædes monetarias, jura Civitatis ejusdem ab *Erico Glippingo* eodem anno Nyburgi concessa haud obscurè, *Editore Resenio* nostro, ita §. 26. subindicant: *qvicunq; argentum non dativum produxerit vendendo & Monetarius illud falsum esse pronunciaverit, & ille asserit, se illud in venalitatibus suis accepisse, ille potius qvàm Monetarius ad defendendum se prævalebit.* Id qvod privilegiis ferè iisdem Regis *Christophori Bavari*, in ipsa coronationis prædictæ festivitate datis, corroboratur. Tacemus hìc Regis *Christophori I.* immunitates, anno 1252. Riparum civibus erogatas, qvas jura & priviligia eadem in exitu confirmatas qvoq; laudant, qvoniam nos eas deperditas dolemus. Ex qvibus tamen satis constabit, etiam ante *Erici Glippingi* tempora Ripis stetisse monetæ officinam, cùm ejus monetarium jam dum constitutum in privilegiis, urbi huic indultis, memoret & his antiqviores qvoq; exstiterint civitatis prærogativæ, qvarum tenore indultuq; Regum inseqventium numos refusè admodum ibi cusos esse, ejusdem officinæ monetæ, etiam in muséo hoc asservatæ & usq; ad annum 1536. nitidè percussæ contestantur. Multa præterea huic urbi fuerunt commoda, qvæ exteris etiam ibi commorandi & nundinandi occasionem olim dedêre, siqvidem & jure, ut dicunt, stapulæ eandem antiqvitus etiam gavisam esse, jura laudata §. 29. perhibent: *Qvicunq; deprehensus fuerit juxta Stadh & Stapel, qvòd falsos denarios fabricaverit, capitali sententiæ subjacebit*; Cui & argumento sint, vicorum nomina à Flandris, Anglis, Gallis, aliisq; nationibus indita, prout *Joh. Isac. Pontanus chorograph. Dan. Descript. pag. 660.* arguit. Idem decantare videtur Nobilis Poëta *Lætus* nostras *Rer. Dan. Lib. VIII. pag. 392.*

—— Ast hominum formæ est ita juncta venustas,
Ut Brabantinis aliqvod ceu è gentibus istuc
Commigrasse putem —.

Sed

Sed qvotqvot hîc vicorum superbæ domus & commerciorum venusta se exseruerunt monumenta, tot & rudera ex incendio & excidio, qvod urbs hæc anno 1242. 1258 & 1272 passa est, cineribus terrisq; ibi sepulta sunt. Restat tamen in hunc usq; diem vicus Grönningorum, qvi mihi est natale solum, contractè Grønner-Gade indigenis dictum, cujus in tractu & ædibus, qvæ olim mercatorum jam urbis spectatæ magnitudinis curia, Grönningi suas exposuisse merces stapulamq; erexisse, mihi adeò à teneris est traditum. Et â partibus meis ultrò qvoq; stare videtur Nobilissimus & Consultissimus Vir *Matthias Wormius*, Justitiæ Consiliarius Regius, qvi itidem Præses ejusdem urbis & antiqvitatis patriæ amantissimus ex Riparum archivis pro benigna ingenii venâ in honorem antiqvi juris civitatis ejusdem è Bibliotheca *D. Petri Resenii* Hauniæ 1683. editi, sic Danicè canit:

> **Sligt vidner Stabelen af Grønninger opsat /**
> **Endog den siden er omvendt og slet forlat.**

Qvod in prosam ita latinè vertimus: *Idem attestatur stapula â Grönningis hîc erecta, qvamvis postea dilapsa sit & in totum desita.*

Itaq; priscorum numismatum nobis hoc est elegantissimum, &, qvantum mihi constat, primum qvod Daniæ insignia antiqviora præ se fert, leones nempe trinos, dextrorsum procurrentes, & tria illa Balthica maris ostia (qvibus secundùm inscriptionem CRISTOFER D. GR. REX DACIE imperaturus erat) denotantes. Coronati qvidem conspiciuntur leones, sed incuriâ Calcographi, cùm vix ante Regis *Christiani IV.* tempora in numis diademati fuerint. Numi parte posteriore emicat scutum qvadrifariam divisum, ita ut primâ & qvartâ areolâ Leo Palatinus, secundâ & tertiâ verò rhombi Bavarici contineantur.

Proximè sub numeris 67 & 68 hîc seqventes Regis ejusdem numos stirpis Oldenburgicæ esse qvidam arguunt, qvia iis simillimi videntur proq; iis & qvidem Regis *Christierni II.* venditare exinde allaborant, qvòd nominis Regii charactere ferè eodem in primo numi latere sint insigniti, qvo solùm Regem *Christiernum II.* nomen suum in numis exprimendum curasse, autumant; At cùm Antecessor *Christophori Bavari, Ericus Pomeranus*, sigla item regiè coronata in numis suis usus fuerit, non dubitamus, successorem ipsius, qvemadmodum deinceps splendidissima serie Reges insequentes ad hoc usq; tempus fieri jusserunt, eundem secutum esse morem & nominis Regii characterem non minus exornatum seu coronatum voluisse, qvem Monetarii literâ monasticâ K. loco C. hîc tam in numis Danicis qvàm in Svecicis, qvos *Elias Brenerus in Thes. Num. Sveo-Goth. Stockholmiæ* alibiq; sub eodem Rege percussos anno 1691 nobis deprompsit, expresserunt. Qvid? qvod nec adeò oculos hîc fugiunt literæ ad oras numorum inscriptæ, ut ejusdem Regis nomen conficere non valeant, qvamvis ærugine partim sint exesæ. Cui accedit, qvòd in Svecicis numis præter siglam eandem in medio numi coronatam, nomen Regis *Christophori* ad oram ab eadem litera monastica ubiq; ferè incipiat, qvemadmodum pag. 22. auctarii hujus sigillo inibi laudato, qvod Ripis convivii *S. Canuti* olim fuit, Regis *Canuti* vocabulum literâ eâdem insculptum exstat.

Aversæ numorum hîc qvoq; habent scutum purum, qvod crux transit ad ultimas usq; numi oras: Latiori enim modo hoc crucis signum sese hîc expandit, nî fallor, ad instar cruciatæ, inde à *Valdemari II.* tempore & anno 1219. ad posteros asservatæ, qvemadmodum crucem eandem & in numis & sigillis postea dilatatam videmus & Regni Daniæ insignia eam albo colore in solo rubeo adhuc ostentant. Notum qvippe est ex historia pag. 74. hîc laudata, Regi *Valdemaro*, adversus gentiles Livonos belligeranti, Cruciatam â Pontifice Romano fuisse collatam, posterisq; traditam, qvam tantâ religione pro ejusdem temporis ratione fuisse custoditam satis evidenter colligimus, ac si cœlitus fuisset data, cùm ductu ipsius tantas triumforum laureas post tot debellatas & conversas gentes conqvisiverint Reges Daniæ. Credulæ itaq; Pontificiorum turbæ hinc facile religio eadem mansit, ut militibus qvoqve sub eâ animi eò fortiores in prælio redderentur. Habuerunt enim antiqvitus Pontifices eorumq; asseclæ primores etiam suos Gonfanons, qvos Galli *les Banniers de l'Eglise* explicant. h. e. labara ecclesiastica, Defensoribus ecclesiæ in bonum omen tradita. Rem fusiùs illustrat *Messire Antoine Furetiere dans les essais d'un dictionaire universel p. m. 126.* & 127. dicens: *Ce Gonfanon étoit la Baniere de l'armée Chrestienne, prise par Baudouin Conte de Boulogne & d'Auvergne, frere de Geoffroy ou Godefroy de Bouillon, auquel elle avoit été envoyée par le Pape, comme au vray Defenseur de l'Eglise contre les infideles.* i. e. Gonfanon „ hic erat vexillum exercitus Christiani, portatum â Baldevino, Comite Bo- „ noniensi & Averniensi, Godofredi Bullionum comitis fratre, cui tanqvam „ vero Ecclesiæ Defensori, contra Gentiles â Pontifice erat transmissum. „ Mera Danica vetus hæc vox *Gonfanon* vel *Gunfani* & hanc tesseram summum militare vexillum *Antonius Furetiere* appositè est interpretatus, qvoniam omnes apud qvos hæc mansit vox in Italiâ & Francia de vexillo tali intellexerunt, qvibus adstipulatur Chronicon Anglo-Saxonicum vetus, qvod *Edvinus* edidit, ubi ad annum 878. p. m. 84. dicit, *Ælfredum* in Danmonia extorsisse militare vexillum Danis, qvod *Reafn.* h. e. corvus dicebatur, legitq; *Gud-fana*, qvasi Dei vexillum, *Gud* enim nobis vocatur Deus & *Fane* vexillum. Anglo-Saxonica verba sic jacent: *And thar væs de Gud-fana genummen, the hi ræfen heten.* Ubi *Gunnfana* legendum existimo, qvamvis non malè utrumq; qvadret, sive legas *Gud-fana* sive *Gun-fana*, qvæ vox cum tempore detorta est in *Gonfanon* & *Gunfalon.* Corvi figuram olim intextam habuisse vexillum hocce, ab appellatione ejus *Reafn* colligo, qvemadmodum id septentrionis nostri historiarum monumenta M. S. Scriptoresq; Anglicani contestantur: erat enim corvus illi Trionum Deastro Odino peculiariter sacratus, hinc & *Hrafnagud* i. e. Deus corvorum ubiq; est nominatus: Itaq; nec incongruè tesseræ huic militari majores nostri, adhuc gentiles, nomen *Gud-fana* imposuerunt, qvibus, Christianis jam factis, etiam religio fuit, cruciatam, hujus vexilli loco Regibus eorum à Papa Romano collatam, divinitus fuisse datam. Nostratibus deinde vexillum idem nomine Dane-Braage / i. e. Danorum Braage exinde vocatum, qvia erat texturâ varii coloris, πεποικιλμένη, qvæ Braage Danis dicitur, de qvibus etiam vide *Hvidtfeldium p. m. 185. 933 &, 1033.* Magnâ igitur curâ labarum hocce, velut Regni & Religionis Palladium, ad posteros, ac si de cœlo demissum fuisset, conservatum fuit, cui seqventium temporum victo-

 rias

rias & res ſecundas imputabant, dum forti & felici manu id ſartum tectumq; per aliqvot ſecula contra hoſtes, etiam prævalidos, tuitæ ſunt gentes noſtræ, donec tandem in bello Dithmarſico à Rege *Johanne I.* geſto, inter victorum ſpolia anno 1500., relatu *Hvidtfeldii*, fuerit deperditum. Ex inſcriptione crucem hanc ambiente in utriusq; numuli latere patet, ambos eſſe monetæ Malmoenſis. *Malmö* indigenis appellata eſt hæc Scaniæ urbs propemodum Metropolitana, qvæ Hollandis eſt Ellebogium, è ſitu loci, cubiti formam referentis; Malmogia verò Chorographis dicta. Maritima eſt & probè jam munita, qvæ, Rege *Erico Menvedio*, in littorum tractu, qvo nunc conſpicitur, anno 1319. è ſuis educta eſt fundamentis, & cùm in editiori loco pagus ejusdem nominis fuerit conditus, Malmogia inferior ad defferentiam ſuperiris incolis eſt diu denominata; At caput è littoribus maris Codani exſerenti ſine additamento & κατ' ἐξοχὴν Malmöæ ſeu Malmogiæ nomen eſt impoſitum: Ulteriores enim vires ſumere urbs hæc mercimoniorum oportunitate cæpit, cùm habeat maris qvendam flexum, qvi portum format, præſertim Circio non flante, navigiis ſatis tutum. Anſam ergo loci ſitus indigenis & exteris dedit piſcandi gratia hìc ſuas in littore figere ſedes, qvæ ex commerciorum indultu opibus & ſplendore poſtea adeò exſtitêre inſignes, ut qvas piſcatorum humiles & è cannis contextæ olim occupaverint caſæ, eas ædificiis magnificè exornatas in hiſtoria patria per aliqvot ſecula conſpexerimus: Qvippe primùm legimus *Valdemarum IV.* anno 1360 conceſſiſſe huic urbi præter cætera hocce privilegium, ut â telonii, qvod vocant, ſolutione immunes eſſent Malmöenſes, in qvemcunq; Daniæ portum cum mercibus venire ipſis contingeret. Tandem ex numis his percipimus commercandi gratia urbi huic qvoq; indultum fuiſſe jus cudendi numos, à qvo verò Rege, non nobis planè conſpicuum eſt, interim hisce numis antiqviores Malmogiæ ſignatos videre, qvod ſciam, non licuit. Omnes ejusdem formaturæ illuſtriori cruce in ſcuto puro ſunt inſigniti, id qvod nobis argumento ſit, Regem hunc, ſeu Dominum monetæ, Principem fuiſſe patriæ amantiſſimum & antiqvæ Danorum gloriæ ſtudioſiſſimum, qvi ſub cruciatâ eadem Vandalos & Slavos ad priſtinum obſeqvium redigere meditatus eſt, & redegiſſet, ſi modo in Scaniam trajiciens, ut Jenecopiæ proceres Sveciæ in concilium & auxilium convocaret, & Helſingburgi ſubita invalitudine oppreſſus die 6 Jan. 1448. mortuus non eſſet. Chriſtophoro Bavaro ſic defuncto, Regnum Dani jure transtulerunt in *Chriſtianum Oldenburgicum*, iſtius nominis Primum, illum qvoq; *Valdemari IV.* abnepotem, cujus poſterorumq́;, qvi etiam ſplendidiori ſucceſſionis ordine ad gubernacula regia ſedêre, numos argenteos, cujuscunq; etiam ſint moduli, profluentiori copia in Muſéo hoc exiſtentes, bono cum Deo & gratiâ Monarchæ noſtri clementiſſimi, luci aliqvando etiam exponemus: crevit enim res numaria adeo ſub Optimis & Potentiſſimis ſtemmate Oldenburgico ſatis Regibus, ut etiam tantorum Principum numi nunc inter elegantiores & meliores, imò maximos, totius orbis numerentur. Jam mantiſſæ loco ad perpaucos minutulosq́ numos Norvagiæ Regum Principumq;, qvi ſeqvuntur.

RE-

REGIS SVERI MAGNI.

Tab. XLI.
No. 69. ✠ REX SVERVS MAGNVS. *Caput coronatum Regis, plenè barbati.*

In adverso latere:

Numi aversam crux transit, in cujus qvadratis literæ hæ exstant: NI. NI. NI. NI.

Est numulus perqvam nitidus, puri argenti & solidus, qvamvis tenuis, qvem antea in Musei hujus descriptione pag. 112 qvidem notavimus, sed ut illustrior fiat, hæc qvoq; sunt addenda: Dantur etiam ejusdem moduli planè bracteati & cavi, qvi numi aversam tantùm procusam habent. Omnes profitentur, literis NI in qvadratis transeuntis crucis signati, *Nidrosiæ* se fuisse cusos: Sic enim à fluvio, scilicet *Nid* seu Nid-Aae, & ostio ejusdem profundo, ubi redundat, qvod Aaos Norvagis antiqvitus dicebatur, urbs hæc, eodem in tractu sita, nomen suum est sortita. Nid-Aaer Aaos / qvod contractiùs latinè redditur *Nidrosia*, cui tamen nomen antiqvis fortè à Trondheimensium seu Trondensium mansione hodie vulgò manet Trondheim, Anno 1154. Metropolis totius Norvagiæ sedesq; Archiepiscopalis est constituta, cui præterea Islandiæ, Grönlandiæ Orcadumq; ecclesiæ subjectæ erant. Templum itaq; habuit cathedrale & magnitudine & cæsorum lapidum artificio in orbe Christiano vix simile, qvod incendio & ruinâ fœdatum veteris suæ magnificentiæ tantùm non jam ostentat rudera. Mercimoniis tam indigenarum, qvàm exterorum non minus hoc emporium, inde à *S. Olai*, cognomine *Digre* i. e. Crassi, tempore, qvi regnum Norvagiæ ab anno 1015. ad annum 1030 tenuit, clarum fuit. Sic enim narrant *Snorronis Sturlæi* Chron. Norvag. M.S.: *Olafur Kongur for meþ lyþi sino ut til Niþaros, þa let hann reysa þar hus a Niþarbacca, oc scipaþi sva, at þar scylldi vera Kaupstaþur.* h. e. Rex Olaus cum „ hominibus suis Nidrosiam profectus est, ibiq; domos erigi curavit in Ni- „ therbacca seu clivo fluminis Nid & ordinavit sic, ut ibi esset emporium: „ Etiam hinc jure cudendi numos, à Rege *Svero Magno* clementer concesso, celebrius factum est, qvemadmodum ex inscriptione numi hujus qvodammodo dispalescit, nam antiqviores hujus emporii numos videre vix continget.

Regnum Norvagiæ justo successionis ordine cùm *Sverus Magnus* peteret, qvem multa dura asperaq; perpessum Chronica Norvagica referunt, Anti-Rex *Magnus Erlingi* filius asseclæq; ipsius eum profligare & conviciis perseqvi sunt conati, tradentes, eum Regis *Sigurdi* filium ex pellice *Gunhilda* se mentiri, sed ex Unate fabro prognatum. Nupsit qvidem hæc *Gunhilda* post obitum Regis *Sigurdi* viro, qvi Unas faber vocatus erat, sed cùm *Erlingus Schaccius* ejusq, filius *Magnus* in id incumberent, ut Regia Prosapia per totum Norvagiæ regnum exstirparetur, cum filio & marito Unate ad fratrem, Ferroensem Episcopum, confugit, ubi *Sverus Magnus* adeò literis fuit imbutus, ut ad religionis munus investiretur, at, cùm hoc ageretur, matri lacrimæ cadebant, qvæ filio, id qværitanti, stirpis illum esse Regiæ, qvam huc usq; apud eum reticuit, detexit, levemq; istam pro Regia illa dignitate, qvæ Svero Magno jure competebat, æstimans. Qva occasione *Sverus* munus suum militiâ mutavit

tavit confestimq; ad Norvagos suos profectus, tandem post qvinqvennium & varios in eo cum *Magno Erlingi* filio conflictus, qvorum qvatuor ad Nidrosiam in numulo hoc, literis NI. quater repetitis, Chronica Norvag. toties laudata enarrant, Magnum vesperâ Viti & Modesti ad Bergas unà cum classe satis instructa anno 1184. prostravit. Dum toties acie justa de regno decertabatur, *Sverus* ter â populo Rex qvidem est salutatus, nec tamen prius eum coronari Præsules regni permiserunt, qvàm decennio post ultimum cum *Magno Erlingi* filio conflictum: Intercesserunt enim statim à *Magni* morte Regem *Sverum* inter & Archiepiscopum Nidrosiensem *Ericum* controversiæ magnæ, etiam ob Regi denegatum consecrationis ministerium, qvod *Nicolaus Asloensis* Episcopus in comitiis ipsi anno 1193. Bergis demum præstitit, postqvam Archiepiscopus *Ericus* diu antea, variis cum Rege *Svero* exercitis offensionibus, in Daniam ad *Absolonem* Archiepiscopum se contulerat, ibiq; & Romæ eum multis aggravare conatus erat criminibus & conviciis: Legato enim Apostolico etiam Regiam inunctionem sibi deneganti & subditos suos pecuniâ emungenti, festinum abitum è regno suo Rex *Sverus* imperavit. Hinc & in Regem hunc excommunicationis fulmen non tantùm à Papa Celestino vibratum, sed & ab Innocentio est torsum, prout ex Epp. *Innocentii l. 1. Epp. 382, 383 & 384.* edit. Baluz. percipimus. Itaq; *Saxo Grammat. histor. Dan. fol. 181,* qvi Archiepiscopi *Absolonis* fidus fuit comes & potentiæ ecclesiasticæ hic nimius cultor Regem eundem inter alia hunc in modum notat: *Et ne generis titulo carere videretur, originem mentitus Haraldum Hyberniensem avum sibi vendicando, Sivardo* (Sigurdo habent Chronica Norvagica) *se procreatum confingit, cujus etiam nomen filio, qvem antea patris vocabulo UNA* (UNAS) *appellaverat, aptavit. Et ut omnia prioris fortunæ momenta subrueret, proaviq; vocabulo in eo præsentari crederetur, simulatæ prosapiæ decus, novi nominis ornamentis usurpare sustinuit, Magnumq; se in argumentum generis vocitari constituit.* Vera qvædam hic falsis immiscuisse Saxonem, numulus noster, qvi Regem *Sverum* qvoq; cognominat *Magnum*, testis est, id qvod inscriptio gladii ipsius aliaq; monumenta, qvæ ad sepulchrum Regis *Sveri* Bergis olim suspensa *Chron. Norvag. edit. Dan. pag. m.* 527. narrant, majoribus nostris qvoq; tradiderunt. Qvo verò tempore *Magnum* hoc sibi *Sverus* Rex attribuerit cognomen aut impositum sit, non omninò liqvet. Relatu Saxonis magnam habet verisimilitudinem id non prius factum esse censemus, qvam de regio ipsius ortu certior factus erat, qvo tempore & filii sui nomen ab Unade in *Sigurdi* transmutavit; At qvia *Sveri* historia M. S., *Sverus Saga* dicta, cap. 4. *Sverum* admodum juvenem & nondum rerum potitum cognomine *Magnum* introducit, in somnio, qvod de Sancto *Olao Sverus* habuit, dicentem: *Sidan næfndi hann Sværri Magnus,* „ *oc bad hann thva ser i thvi sama Vatni.* i. e. Deinde vocavit *Sverum Magnum* „ & rogavit, ut se lavaret aqvâ eâdem: Credimus igitur majorem subesse veritatem, *Svero* à teneris adhæsisse illustre hoc & è familia Regia longè petitum cognomen, qvemadmodum novimus, *Svenonem Estrithæ* filium & Daniæ Regem idem cognomen in baptismo esse consecutum & alios imitatores ejus exstitisse in historiis nostris legimus. Aliàs *Sverus* hic, jam de Patre certior factus, more patrio, assumpsisset nomen patris, cujus hæredem in Regno Norvagiæ se esse omni jure prætendebat. Sed his argumentis de ortu *Sveri* cùm diu disputatum esset, tandem in solio justè Rex confirmatus est, qvi fiducia

ducia causæ in morte Deum justum judicem implorans vitamq; universam piè transiens, progenie per tot annorum spatia in solio Regio usq; ad Reginam *Margaretam Valdemari Qvarti* filiam deinde conservatâ, nos svadet, de justitia causæ eum fuisse omninò persvasissimum, nec propria fraude aut dolo malo qvicqvam ab eo tentatum: Jure itaq;, licet extra conjugium natum, potiorem fuisse, qvàm *Magnum Erlingi* filium, dilucidè admodum demonstravit *Bartholinus* nostras *Antiqvit. lib. 2. cap. I. pag. 236.* Præterea numulus hic creditur eo magis ex architypo prognatus, qvòd coronata facies Regis *Sveri Magni* omni modo hic videatur qvasi ad vivum efformata. Depingunt enim *Chron. Norvagica Sturlæi pag. m. 527.* *Sverum Magnum* fuisse hominem qvadratum, pulcro & deductiori vultu, prolixâ & villosâ barbâ, qvæ fuit russa, virum item eloqventem & nunqvam se ita inebriantem, ut sui compos non fuerit, parciloqvii erat singularis, dum accumbebat, & sedens spectatæ erat magnitudinis, stans vero brevioris staturæ, qvippe ipsi fuit thorax admodum longus sed femora pedesq; breviores: Miles qvoq; strenuus & audax, qvemadmodum historiæ eum ubiq; dilaudant. Rex interim fuit salutatus inde ab anno 1177, at in comitiis Bergensibus anno 1194 primùm consecratus, secundus Norvagiæ Rex, qvi coronâ fuit insignitus. Regnum tenuit per 25 annos, cùm anno 1202. mortuus sit Bergis ibiq; sepultus.

PHILIPPI, DUCIS NORVAGIÆ.

Tab. XLI.

No. 70. ✠ PHILIIP. DUX NOVEGIE. *Ejusdem caput corolla exornatum.*

✠ MONETA E. ASLOENS. *In numi area aversa crux eleganti..., qvæ in suo qvoq; qvadrato rosam ostentat.*

Norvagia anno 1204 Baglorum & Birckebeniorum seu Betulipedum dissidiis ubiq; inqvietata, ejusdem annales tradunt, *Nicolaum*, Episcopum Asloensem, suppetias Regis *Valdemari II. Philippo*, sangvine sibi juncto, in Daniam profectũ efflagitasse, ut Baglorum Dux in Norvagia constitueretur, qvem & *Ingonis* Norvagici Regis ex sorore nepotem consangvineumq; *Valdemari* esse & populum regni hoc modo citius pacari & in unum corpus redigi posse, indicavit Episcopus idem; At *Erlingus*, jure se potiorem esse demonstrans, rerum in Norvagia apud Baglos potitus est, qvi suasu *Nicolai Asloensis Philippum* Jarlum seu comitem suum statim fecit, qvalem numus hic ex arbitrio Episcopi *Ducem Norvegie* nominat: Nam ex numi aversa inscriptione: MONETA E. ASLOENS. qvodammodo dispalescit, MONETAm esse Episcopi ASLOENSis, qvam & nullius nisi prædicti *Nicolai* esse persentimus, cùm Episcopus hic tam multa ad fortunam *Philippi* fecisse legatur, ut non minus numum hunc perqvam nitidum cudi curaverit in gloriam & gratiam ipsius, qvi non modo Dux sed & Rex *Baglorum* anno 1208 est salutatus & per decennium contra *Betulipedum* Regem se præstans Ducem strenuum, anno 1218. in Löfaasia præfecturæ Tönsbergensis tandem morbo decessit.

Numulus hic uti Episcopi Asloensis ab antiqvariis nostris censetur, sic & monetæ Asloensis esse eam statuimus: Emporium qvippe ibi locorum inde

ab anno 1049 exstitisse, annales Norvagici memorant, cujus fundatorem Regem *Haraldum Haardraade* qvoq; perhibent, qvod nomen suum est sortitum à præterfluente amne **Loo** & ejusdem fluminis ostio profundo, **Aaos** Norvagis dicto, qvorum inversione urbis nomen **Aaos-Loo** seu contractè **Aslo** resultat. Mercimoniorum oportunitate cùm hinc per annos 169. vires nullas non sumere Emporium hoc potuerit, præsertim sede Episcopali jam dudum nobilitatum, non minus jure cudendi numos esse donatum colligimus, qvàm Bergensium oppidum, qvod Rege *Erico* **Præstehader** anno 1281. monetæ privilegio munitum fuisse mox dabimus: Cui accedit numulus hic luci expositus tanqvam oculatus testis aliiq; ejusdem farinæ numuli postea procusi *Asloe*, qvam vulgus *Opsloe*, dum stetit, appellare solebat, nomine aliqvantum intorto. Vetus qvæ fuit urbs jam cineribus suis ab anno 1624. jacet sepulta, novâ confestim in tractu commodiori auspiciis singulariqve indultu Gloriosissimi Regis *Christiani IV.* sitâ, nomine *Christiania* appellabatur à potentissimo illo regnorum suorum statore & instauratore, qvemadmodum in hunc usq; diem eodem vocabulo floret & viget. Caput Principis *Philippi* in numi facie more Romano redimitum voluit Episcopus Asloensis, ut testaretur, *Philippo*, ob tantas contra *Betulipedes* fortibus ausis partas victorias, meritò debere corollam triumfalem, floribus hic commixtam & coactam, *caputq;* tanti Ducis *regali Majestate* aliqvando dignè fore *sertatum*, ut ita cum *Capella* loqvamur. Nec minus concinnè inde in more positum habuêre Galli, suos Duces coronâ seu corollâ insignire, memorat enim Rogerus Hovedenus circa exitum seculi 12. pag. 792. *Johannem*, Comitem Mortainensem, fratrem *Richardi I.* Angliæ Regis Rotomagi in festo S. Marci commorantem, *accinctum fuisse gladio Ducatus Normanniæ in Matrice Ecclesia per manum Walteri Rothomagensis Archiepiscopi: & prædictus Archiepiscopus posuit in in capite Ducis circulum, habentem in summitate per circuitum rosas aureas*, prout etiam hic in corolla Ducis Philippi aureæ rosæ qvasi pullulare videntur.

REGIS ERICI MAGNI FILII.

Tab. XLI.

No. 71. ✠ ERICVS REX NORVEGIE. *Caput Regis eleganter coronatum.*

In latere averso:

✠ CIVITAS BERGENSIS. *Crux qvadrata rosam in qvolibet sui angulo repræsentans.*

Numulus hic argenteus nullius, nisi Norvagiæ Regis, *Erici Magni* filii poterit esse, qvi anno 1280 Bergis maximâ cum solennitate regno est inauguratus & ob suum deinde in Clericos malum affectum **Præstehader**: h. e. Sacerdotum osor est cognominatus: Etenim nec ejusdem nominis ante eum ullus ad gubernacula regni sedit, nisi *Ericus* **Blood-Öxe**, ab ascia sangvinolenta ità denominatus, qvi verò imperium circa annum 929 tenuit, qvo tempore nec dum in Norvagia monetam viguisse, percipimus, nec ullus in septentrione nostro eo tempore aut tam nitidæ literaturæ cusus reperietur numus. Qvid? qvod nec Bergensem civitatem ante Regis *S. Olai* tempora, qvi reg-

regnare cæpit anno 996. institutam legimus, multo minus inibi antea erectam fuisse officinam monetariam. Primùm enim cæperunt Bergæ commerciorum viribus increscere, regnantibus *Erico* hoc ejusq; Patre *Magno Hacqvini* filio, qvi Lagebæter i. e. Legum instaurator dictus: qvippe urbibus *Vandalicis* anno 1275 prima Bergis negotiandi concessa fuit potestas, ipsis à *Magno* illo Norvagiæ Statore indulta, qvam ratam filius ipsius *Ericus* habuit, qvorum tempore Bergis monetam sumpsisse vires, est verisimile, prout numi aversa hìc confitetur. Itaq; in coronationis festivitate numulum hunc, Rege *Erico* imperium capessente, Bergis procusum fuisse credimus, qvo urbs eadem sibi Regis gratiam ulterius eblandiri conata est, utpote qvæ jam dum monetæ jure clementer donata videtur. Aut si malueris, civitatem hanc privilegiis iisdem jam munitam post primam Regis *Erici* in Danos expeditionem navalem, ipso jam reduce, tanqvam victoriatum, cudi hunc numum curasse: memorant enim annales Norvagici, hunc Regem *Ericum* ob maternum hæredium sibi in Dania denegatum Regi *Erico Menvedio* bellum indixisse & anno 1288 unacum Danis extorribus & perfugis, qvasi injuria in Dania affectis, qvi tamen *Ericum Glippingum*, *Menvedii* patrem, immeritissimè trucidarunt, diversas Daniæ urbes in favillas redegisse, ipsumq; Regem post hanc expeditionem proximo in festo Pascatos, procedentem in templum coronam auream portasse, qvasi re bene in Dania gesta: Proinde & coronatum Regis caput in numi facie urbem hanc exoptasse, suspicamur. Et tantum hac vice, donec tempus rariora tulerit!

Potiora, quæ hîc irrepsêre, errata benevolus Lector sic emendet:

Pag. 10. *lin.* 2. *pro* pretioſo *lege* pretiosâ.

P. ead. l. 10. *pro* Præsbyteros *l.* Bresbyteros.

P. 16. *l.* 2. *pro* ciruitum *l.* circuitum.

P. 38, *l.* 11. *p.* Lotharingus *l.* Lotharingi.

P. 42. *l.* 26. *p.* redimeant *l.* redimant.

P. 47. *l.* 3. *p.* σύνχρονον *l.* σύγχρονον.

P. ead. l. 43. *p.* notundum *l.* rotundum.

Pag. 48. *lin.* 27. *p.* bambarum *lege* barbarum.

P. 50. *l.* 23. *p.* paritur *l.* pariter.

P. 59. *l.* 22. *p.* flagillis *l.* flagellis.

P. 64. *l.* 9. *p.* hæc *l.* hoc.

P. 68. *l.* 5. *p.* cherſonenſi *l.* cherſoneſi.

P. 71. *l.* 20. *p.* eandem *l.* eundem.

P. 76. *l.* 38. *p.* danariorum *l.* denariorum.

P. 78. *l.* 10. *p.* ordine *l.* ordini.

Cœtera, quæ hebetiores fugerunt oculos, æquus lector ſponte ſua corriget.

Old broken vellum binding removed.
First & last signatures removed,
deacidified (Barrow's magnesium bi-
carbonate formula), repaired & re-
sewed with new all-rag end papers
to new vellum thongs. Headbands
sewed on by hand. Rebound in full
vellum, laced onto book.

Carolyn Horton & Associates
430 West 22 Street
New York, NY 10011
November 1973